This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

**Usage guidelines**

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

**About Google Book Search**

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`



600011435K

28

883.

# DAV. RUHNKENII

## ORATIONES, DISSERTATIONES

ET

## EPISTOLAE.

---

CUM

SUIS ALIORUMQUE

ANNOTATIONIBUS

EDIDIT

*FRID. TRAUG. FRIEDEMANN.*

---

VOLUMEN SECUNDUM.

---

BRUNSWIGAE, 1828.

SUMTUS FECIT AC VENUMDAT L. LUCIUS.

883.

# ANIMADVERSIONES
## IN
## XENOPHONTIS MEMORABILIA.

---

### Lib. I.

C. II. 16. Ἀποπηδήσαντε Σωκράτους] Hunc locum respicientes Aelian. V. H. IV, 15. et Olympiodorus Comment. MS. in Platonis Gorgiam, alter pro ἀποπηδήσαντε, ἀποδράντες, alter ἀποφοιτήσαντες, scripserunt. Quae verba proprie dicuntur de *discipulis, qui magistri scholam temere, aut cum contemtu relinquunt.* Plato Gorg. p. 298. E. πρᾳότερόν με προδίδασκε, ἵνα μὴ ἀποφοιτήσω παρὰ σοῦ. Liban. Ep. 79. ἔπειτα παρ' ἡμῶν ὡς τάχιστα ἀπεπήδησεν. Vide L. Bos Proleg. ad Hoseam VII. 13. et I. Toupium Emend. in Suid. T. III. p. 327. Ceterum miretur aliquis, Isocratem Busirid. p. 222. C. negare, Alcibiadem a Socrate eruditum esse. Sed Isocrates quomodo intelligendus sit, docet Olympiodorus Comment. MS. quem modo laudavimus: ἄλλως τε δὲ, οὐδὲ πολὺν χρόνον παρέμεινεν Ἀλκιβιάδης Σωκράτει, ὡς δρᾶσαί τι εἰς τὴν ψυχὴν αὐτοῦ τοὺς λόγους. ἀμέλει καὶ Ἰσοκράτης μέμνηται τούτου ἐν τῷ Βουσίριδι λέγων· ὃν οὐδεὶς ᾔσθετο παρ' αὐτῷ παιδευόμενον. δηλονότι διὰ τὸ ὀλίγον τοῦ χρόνου.

Ibid. 22. *εἰς ἔρωτας ἐκκυλισθέντας.*] Omnino haec lectio praeferenda alteri *ἐγκυλισθέντας*. Est quidem apud Aspasium ad Aristotel. Nicom. VII. p. 127. *ἀεὶ πρὸς ἡδονὰς ἐγκυλίονται.* sed rectius ibid. IX. p. 149. *τὸν ἐκ σπουδῆς εἰς φαυλότητα ἐκκυλισθέντα.* Eadem forma dicitur *ἐκφέρεσθαι, ἐξοκέλλειν, ἐξολισθαίνειν, ἐκχύεσθαι πρὸς ἡδονάς.* At *ἐγκυλίεσθαι* dativo jungitur apud eundem Aspasium VII. p. 128. *οὐ γὰρ ἀεὶ τῷ πάθει ἐγκυλίεται.* et paullo post: *ἄμφω γὰρ ταῖς ἡδοναῖς ἐγκυλίονται.* Athenaeus VI. p. 262. B. *τοσαύταις ἐγκαλινδούμενον λιχνείαις.*

Ibid. 24. *ὑπὸ σεμνῶν γυναικῶν θηρώμενος*] Habet ex hoc loco Philostratus V. A. IV. p. 165. *ὁ καλός τε καὶ ὑπὸ τῶν καλῶν γυναικῶν θηρευόμενος.*

Ibid. 30. *ὅτι οἰκὸν δοκοίη πάσχειν*] Imitatur, quanquam in alia re, Plutarchus de Vitios. Pudor. p. 535. F. *καὶ μὴ πάθος πάσχειν ὑῶδες, ὑπὸ κνησμοῦ καὶ γαργαλισμοῦ παρέχοντα χρῆσθαι ῥᾷστα τῷ δεομένῳ.* Rem ipsam cum verbo *προσκνᾶσθαι* hinc sumsit Max. Tyrius Diss. XXVI. p. 317.

Ibid. 31. *τὸ κοινῇ τοῖς φιλοσόφοις*] scilicet *τὸ ἀδολεσχεῖν περὶ τῶν μετεώρων*, quod Scholiast. Aristoph. ad Nub. 97. *κοινὸν τῶν φιλοσόφων ἔγκλημα* vocat. Comici quoties philosophos *ἀδολέσχας* dixerint, nemo nescit. Plato Phaedon. p. 381. B. *Οὐκοῦν γ' ἂν οἶμαι εἰπεῖν τινα νῦν ἀκούσαντα, οὐδ' εἰ κωμῳδοποιὸς εἴη, ὡς ἀδολεσχῷ,* ubi respicit Eupolidis versus, quos Olympiodorus Comm. MS. in Phaedonem conservavit: *Τί δῆτα ἐκεῖνον τὸν ἀδολέσχην καὶ πτωχὸν, ὃς τἄλλα μὲν πεφρόντικεν· ὁπόθεν καταφαγεῖν ἔχοι, τούτου δὲ κατημέληκε.* Forte eosdem versus una cum Aristophanis Nubibus in animo habuit Xenophon Oeconom. p. 58. *καὶ ταῦτα ὢν ἀνὴρ, ὃς ἀδολεσχεῖν τε δοκῶ, καὶ ἀερομετρεῖν, καὶ τὸ πάντων δὴ ἀνοητότατον δοκοῦν εἶναι ἔγκλημα, πένης καλοῦμαι.*

Maximus quidem Tyrius Diss. XXIV. p. 293. Socratem ab Aristophane *πένητα καὶ ἀδολέσχην* appellatum dicit. Sed confundit Eupolidem cum Aristophane. Nam etsi Socrati in Nubib. vs. 175. fames exprobratur, tamen non diserte *πένης* aut *πτωχός* vocatur. Eupolidis versus etiam laudant Etymol. M. p. 18. 9. et Proclus Comm. MS. in Platonis Parmenidem, cujus locum ponam, si forte ad numeros versuum restituendos prodesse possit: *αὐτὸν μὲν τὸν Σωκράτην πτωχὸν ἀδολέσχην καλούντων τῶν κωμῳδοποιῶν, καὶ τοὺς ἄλλους δὲ ἁπαξάπαντας, καὶ τοὺς ὑποδυομένους εἶναι διαλεκτικοὺς, ὡσαύτως ὀνομαζόντων· Μισῶ δὲ καὶ Σωκράτην τὸν πτωχὸν ἀδολέσχην, ἢ Πρόδικος, ἢ τῶν ἀδολεσχῶν εἷς γέ τις*, ubi ante *ἢ Πρόδικος* excidit *καὶ*, alterius versus indicium. Nam Aristophanis versus est posterior, non Eupolidis. Schol. ad Nub. 360. *Ἀριστοφάνης ἐν Ταγηνισταῖς·*

*Τὸν ἄνδρα τοῦτον ἢ βιβλίον διέφθειρεν,*
*Ἢ Πρόδικος, ἢ τῶν ἀδολεσχῶν εἷς τις.*

Sic illud fragmentum bene correxit Kuster. ad Suid. v. *Πρόδικον.*

Ibid. 37. *τῶν σκυτέων καὶ τῶν τεκτόνων*] Similitudines et exempla, quae Socrates a fullonibus, coriariis, figulis petere solebat, saepe Sophistis risui fuerunt. Callicles apud Platonem Gorg. p. 299. B. *ἀεὶ σκυτέας τε καὶ κναφέας καὶ μαγείρους λέγων καὶ ἰατρούς οὐδὲν παύῃ.* Adde Dion. Chrys. Or. LV. p. 560. D. 564. A. et Liban. Apol. Socrat. p. 643. C. Sed hanc disserendi rationem plus habuisse in recessu, quam fronte promitteret, praeclare docet Plato Sympos. p. 335. G.

Ibid. 48. *καὶ Φαίδων δὲ*] MS. Leid. habet: *καὶ Φαιδώνδης*, ut in Codice suo reperit Bessarion. Quam lectionem si sequamur, non Phaedon Eleus intelligendus, sed Phaedondes Cyrenaeus, qui, teste Platone in Phaedon. p. 376. B. morienti Socrati affuit. Is apud Auctor.

Epist. Socratic. p. 36. et Suidam v. *Σωκράτης* non patronymica forma *Φαιδώνδης*, sed primitiva *Φαίδων* dicitur: de qua formarum commutatione disputavimus in Histor. Crit. Orat. Gr. p. 90. 100.

Ibid. 52. *ὥστε μηδαμοῦ*] Etsi me non poenitet conjecturae, *μηδὲν μηδαμοῦ*, qua Xenophonti exquisitum Atticismum restitui, ut apud Euripid. Iphig. Taur. 115. *δειλοὶ δ' εἰσὶν οὐδὲν οὐδαμοῦ*· nunc tamen pronior sum in eam partem, ut vulgatam servandam putem. Aristides T. II. p. 268. eadem constructione: *καὶ τὸ χαρίζεσθαι μηδαμοῦ τιθέντας πρὸς τὸ βέλτιστον.* Sic alii *μηδαμοῦ τιμᾷν* dicunt pro *nihili facere.* Vide Abresch. Animadv. ad Aeschyl. III. p. 91. Est igitur *μηδαμοῦ εἶναι* simile Latino, *nullo loco esse*, *μηδαμοῦ τιθέναι*, *nullo loco numerare*, ut loquitur Cicero de Fin. II. 28.

Ibib. 58. *τοὺς δημότας*] Zonaras Lexico MS. *Δημότην οἱ Ἴωνες τὸν τῶν πολλῶν ἕνα. οὕτως καὶ Ἡρόδοτος. τῶν δὲ Ἀττικῶν μόνος Ξενοφῶν. οἱ δ' ἄλλοι τοῦτον μὲν δημοτικὸν, δημότην δὲ, τὸν τοῦ αὐτοῦ δήμου, ὡς φυλέτην, τὸν τῆς αὐτῆς φυλῆς, καὶ λοχίτην, τὸν ἐν τῷ αὐτῷ λόχῳ κατατεταγμένον.* Vide de Rep. Atheniens. p. 692. A. ubi *δημόται* et *δημοτικοὶ* promiscue dicuntur.

Ibid. 60. *ὧν τινες μικρὰ μέρη*] Oblique carpit tum alios Socratis discipulos, tum inprimis Aristippum, qui primus Socraticorum philosophiam mercede docere instituit. Etiam disputationes de voluptate II. 1. de bono et pulcro III. 8. alieni ab Aristippo animi indicium habent. Vide Phaniam apud Diog. Laërt. II. 65. Quae cum ita sint, Auctor Epist. Socrat. p. 43. qui Aristippum facit Xenophontis hospitio in Scillunte utentem, minus commode finxisse dicendus est.

Ibid. 61. *Λίχας τῇ Λακεδαιμονίων*] Hunc locum vix verbis mutatis, a Xenophonte sumsit Plutarch.

Cimone p. 484. F. *καίτοι Λίχαν γε τὸν Σπαρτιάτην ἀπ' οὐδενὸς ἄλλου γιγνώσκομεν ἐν τοῖς Ἕλλησιν ὀνομαστὸν γενόμενον, ἢ ὅτι τοὺς ξένους ἐν ταῖς Γυμνοπαιδίαις ἐδείπνιζεν.* Ejusdem convivia memorat idem in Politic. Praec. p. 823. D. Hunc autem Lichan non diversum ponimus a Licha, Arcesilai F. de quo plura Thucydid. V. 51. et Xenophon Hellen. III. p. 490. D. Sane bigae, quas ad ludos Olympicos misit, argumento sunt, opibus abundasse hominem.

C. III, 4. *οἵτινες παρὰ τὰ παρὰ τῶν θεῶν*] Expressit Ibyci, antiquissimi Lyrici, versus, quos Plato affert in Phaedro p. 243. B. *καί πως ἐδυσωπούμην, μήτι παρὰ θεοῖς ἀμπλακὼν, τιμὰν πρὸς ἀνθρώπων ἀμείψω.* Vide quae notavimus ad Timaei Lex. Plat. p. 66.

Ibid. 5. *Τὴν ἐπιθυμίαν τοῦ σίτου ὄψον*] In hoc dicto imitando ipsi veteres certarunt. Teles apud Stob. Tit. V. p. 69. *ἢ οὐκ ὄψον ἀδάπανον καὶ ἀτρύφερον παρασκευάζω σοι τὴν πεῖναν;* Onosander Strateg. p. 47. *ὁ γὰρ ἀπὸ τῶν πόνων λιμὸς καὶ τὸ δίψος, ἱκανὸν ὄψον ποιεῖ, καὶ γλυκὺ κρᾶμα.* Dio Chrys. Or. VI. p. 89. B. *λιμῷ μὲν ἐχρῆτο καὶ δίψει. καὶ ἐνόμιζε τοῦτο ἱκανώτατον καὶ δριμύτατον τῶν ὄψων.* Bis diversis modis idem expressit Cicero de Fin. II. 28. et Tusc. Disp. V. 34. ubi vide Davisium.

Ibid. 9. *ἢ τῶν ἐραστῶν*] Mendosa lectio. Quis enim *σωφρονικοῖς* opponat *ἐραστάς*? Nec multo melius est *θρασέων*, quod in MS. suo reperit Leunclavius, habetque Cod. Leidens. cum *θρασὺς* vix differat a *ῥιψοκινδύνῳ*, quod statim sequitur. Forte Xenophon scripsit: *ἢ τῶν ὑβριστῶν.* Nam *σώφρων* et *ὑβριστὴς* centies opponuntur, ut hoc ipso libro p. 14. *οὐδὲ ὁ σώφρων, ὑβριστὴς γένοιτο.* Huc adde, *ἐραστῶν* non esse interpretamentum vocis *θρασέων*, ut placet viro doctissimo, sed *θρασέων* vocis *ὑβριστῶν.* Suidas: *Ὑβριστάς. τοὺς*

θρασεῖς. Nec tamen hanc conjecturam tam veram puto, ut de illa cum quoquam contendere velim.

Ibid. 9. κᾶν εἰς μαχαίρας] Descripsit Aelianus Ep. 16. σὺ μέν μοι δοκεῖς κᾶν εἰς πῦρ ἅλλεσθαι, κᾶν εἰς μαχαίρας κυβιστῆσαι.

Ibid. 12. ὅτι τὰ φαλάγγια] Haec ad verbum descripsit Clemens Alex. Paedag. III. p. 301. cum quibus Socraticae suavitatis studiosos juvabit comparasse locum alterum, qui parem leporem habet, Cyropaed. V. p. 117. ὡς τὸ μὲν πῦρ τοὺς ἁπτομένους καίει, οἱ δὲ καλοὶ καὶ τοὺς ἄποθεν θεωμένους ὑφάπτουσι. Eum laudat Plutarch. apud Stob. Tit. LXIV. p. 410. atque imitatur Sympos. V. 7. p. 681.

C. IV, 2. μηχανώμενον] Dudum conjectura ductus videram, μηχανώμενον expungendum esse tanquam variantem verborum μηχανῇ χρώμενον. Postea, quod suspicatus eram, a Codice MS. quem Is. Vossius contulit, confirmatum deprehendi.

Ibid. 6. ἠθμὸν βλεφαρίδας] Nullus hic locus esse potest voci ἠθμός. Nam quid simile colo habent palpebrae? aut quem usum colum adversus ventos praestet? Ut ventus, aut pulvis vento jactatus tenuetur? Sic video cepisse Joach. Camerarium Comm. utr. L. p. 103. At ne tenuissima quidem sine periculo transmittuntur. Hanc ob caussam nihil melius occurrit Petri Victorii invento, qui V. L. XXIV. 15. pro ἠθμὸν, vel, ut passim mendose scribitur, etiam in Cod. Leidensi, ἰσθμόν, reponit θριγκὸν, eamque correctionem cum aliunde firmat, tum e Cicerone, Xenophontea vertente, de N. D. II. 57. *Munitaeque sunt palpebrae tanquam vallo pilorum.* Nimirum ut horti hac etiam de caussa maceria (θριγκῷ) sepiuntur, ne ventus teneris plantis noceat, sic natura oculos palpebris adversus ventos, et alia, quae laedere possent, munivit. Ciceronem suum

sequitur Lactantius de Opif. Dei cap. 10. *Nam et ipsae palpebrae, quibus mobilitas inest, et palpitatio vocabulum tribuit, pilis in ordine stantibus vallatae, septum oculis decentissimum praebent.* Sed alii quoque scriptores, quotiès palpebras describunt, toties a vallo similitudinem petunt. Varro apud Non. Marcell. p. 218.

*Quos* (oculos) *cailiblepharo naturali palpebrae*
*Tinctae vallatos mobili septo tenent.*

Plinius N. H. XI. 37. *Alia de caussa palpebras natura dederat, ceu vallum quoddam visus, et prominens munimentum contra occursantia animalia aut alia fortuitu incidentia.* Seren. Samm. v. 667.

*Namque oculos infesta pilorum tela lacessunt,*
*Quodque illis dederat vallum natura tuendis.*

Sed quid opus est aliorum testimoniis, cum ipse Xenophon hac similitudine utatur de Venat. p. 982. A. *ἔχει τὰ βλέφαρα ἐλλείποντα, καὶ οὐκ ἔχοντα προβολὴν ταῖς αὐγαῖς.* Eandem loquendi formam ad supercilia transtulit Apulej. de dogm. Platon. p. 260. *Superciliorum sepes praemuniunt oculos, ne desuper proruat, quod teneras visiones mollesque perturbet.*

Ibid. 6. *ἐπεὶ δὲ τὰ ἀποχωροῦντα*] Hunc locum e Xenophonte sumsit Varro Prometheo apud Non. Marcell. p. 217. *Retrimenta cibi qua exierant per posticum vallem feci.* Sic edd. veteres et MS. Vossian. Male Merceriana prior, *vallem fecerunt:* deterius posterior, *e valle feci.* quae tamen scripturae menda induxerunt Salmasium Exerc. Plin. p. 907. ut legeret *evallefecerunt*, et Gesnerum Thes. L. L. v. *Evallefacio*, ut divisim scriberet, *e valle feci*, obscura, vel dicam, nulla sententia. Paullo emendatiorem locum dedit Ios. Scaliger ad Varron. Fragm. 168. *Retrimenta cibi qua exirent per posticum vallem feci.* Jam fonte,

unde Varro hausit sua, reperto, facile est emendare: *Retrimenta cibi qua exirent per posticum, canalem feci.* Prometheus loquitur. Ambros. Hexaëm. VI. 9. *Decore creator noster ductus reliquiarum* (i. e. ὀχετοὺς, canales) *a vultu hominum avertit, ne, dum alvum purgamus, inquinaremus adspectum.* Vide Davis. ad Cic. de N. D. II. 56. Xenophontea eleganter ad alia traduxit Plutarch. de cap. ex inim. util. p. 91. E. τῶν παθῶν τούτων ποιούμενος ἀποκαθάρσεις εἰς τοὺς ἐχθροὺς, καὶ ἀποστρέφων, ὥσπερ ὀχετοὺς, πορρωτάτω τῶν ἑταίρων καὶ οἰκείων.

Ibid. 8. ἐρώτα γοῦν, καὶ ἀποκρινοῦμαι] Haec verba, undecunque inculcata, e contextu tollenda sunt. Nec illa reperit in Codice suo Bessarion, certe in versione omisit. Sic etiam judicabat vir doctissimus, idemque mihi amicissimus, cujus certus et verus in his literis sensus est, Claudius Salgasius.

Ibid. 19. ἐν ἐρημίᾳ εἶεν] Hic pro forma Attica εἶεν restituenda est communis εἴησαν, auctoritate Grammatici veteris in Bibl. Sangerm. Εἴησαν ἀντὶ τοῦ εἶεν. Ξενοφῶν Ἀπομνημονευμάτων α. Vulgaris forma etiam est in Sympos. p. 153. Sic ἤμην pro Attico ἦν, Cyrop. VI. p. 149. E.

C. VI. 5. ὅτι ὁ μὲν ἥδιστα ἐσθίων] Haec usque ad vocem ποτοῦ, vix verbo mutato, descripsit Teles apud Stob. Tit. V. p. 69. ubi item, quae sequuntur, ἢ διψᾷ χιόνα; ἀλλ' οὐ ταῦτα διὰ τρυφὴν ζητοῦσιν ἄνθρωποι, expressa sunt ex II, 1, 30. τοῦ θέρους χιόνα περιθέουσα ζητεῖς.

Ibid. 10. μηδενὸς δέεσθαι θεῖον] Vix ullum nobilius est Socratis dictum, celebratum maxime a Diogene, aliisque Cynicis. Id ex hoc loco hauserunt Pseudo-Crates Epist. II. Philo Jud. T. II. p. 666. Plutarch. Caton. maj. p. 354. F. Diogen. Laërt. II. 27. et alii

plures, quos commemorare longum est. Censorin. de D. N. c. 1. breviter sic vertit: *Nihil egere, est Deorum: quam minime autem, proximum a Diis.* Pluribus verbis Apulej. Apolog. p. 25. *Equidem didici, ea re praecedere maxime Deos hominibus, quod nulla re ad usum sui indigeant. Igitur ex nobis, cui quam minimis opus sit, eum esse Deo similiorem.* ubi vide Pricaeum. Hinc etiam fluxit, quod legitur in Socratic. Epist. p. 14. *ὁρῶ τῷ μηδενὸς δεῖσθαι αὐτὸν ὑπερβάλλοντα ἡμᾶς — καίτοι σοφώτερόν τε εἶναι εἰκὸς, ὅστις ἑαυτὸν ἀπεικάζει τῷ σοφωτάτῳ, καὶ μακαριωτάτῳ ὑπάρχειν, ὃς ἂν ὅτι μάλιστα ἐξωμοιωθῇ τῷ μακαρίῳ.* ubi si pro *μακαριωτάτῳ* scripseris *μακαριώτατον*, locum ex obscuro clarum et perspicuum reddes. Plura de hoc dicto Menag. ad Diog. Laërt. VI. 105. et Spanhem. ad Julian. Caesar. p. 113.

Ibid. 13. *ὥσπερ πόρνους*] Videor mihi in his verbis interpolatoris manum deprehendisse.

C. VII, 5. *ἀπατεῶνα δ' ἐκάλει*] Hic quoque interpolatores grassatos esse, libri scripti ostendunt. Exc. Voss. *ἀπατεῶνα δ' ἐκάλει μικρὸν μὲν, τὸν εἴ τις ἀργύριον.* MS. Leidensis vulgatam quidem exhibet, sed *τὸν* post *ἐκάλει* omittit, quod etiam abest ab edit. Basil. Vix dubito, quin Xenophon scripserit: *ἀπατεῶνα δ' ἐκάλει οὐ μικρὸν μὲν, εἴ τις ἀργύριον* etc. *οὐ μικρὸς* est *μέγας*, et opponitur *πολὺ μεγίστῳ*.

## Lib. II.

C. I, 17. *ἄλλογε ἢ ἀφροσύνη πρόσεστι*] Xenophontis consuetudo postulat: *οὐ πολλή γε ἀφροσύνη πρόσεστι;* II. 1, 8. *τοῦτο πῶς οὐ πολλὴ ἀφροσύνη ἐστι;* ibid. II, 3, 18. *οὐκ ἂν πολλὴ ἀμαθία εἴη;* Plato Theaet. p. 138. F. *πῶς οὐ πολλὴ ἀλογία;* Sic etiam legebat Gisbertus

Koenius, cujus immatura morte Graecae literae fecerunt damni plurimum.

Ibid. 20. *Ἐπίχαρμος*] Non Epicharmo, sed Platoni, Comico, ut opinor, hunc versum tribuit Scholiast. Hermogenis p. 377. cujus locum, quod liber in perpaucorum manibus est, hic totum poniam: *Πλάτων τε γὰρ φησί· Τῶν γὰρ πόνων πωλοῦσιν ἡμῖν οἱ θεοὶ τὰ ἀγαθά· καὶ Σοφοκλῆς· Πόνος γὰρ, ὡς λέγουσιν, εὐκλείας πατήρ· καὶ ὁ ἐν Μιλήτῳ θεός· οὐδὲν ἄνευ καμάτου πέλει ἀνδράσιν εὐπετὲς ἔργον. καὶ πάλιν· Πάντα πόνος τεύχει δὲ βροτοῖς, μελέτη τε βροτείη.* Senarium sub Sophoclis nomine laudatum, ex Euripidis Licymnio affert Stob. Tit. XXIX. p. 198. Sed mirum est, priorem hexametrum, qui inter Milesii Phocylidis sententias v. 151. reperitur, Milesii Apollinis dici; si modo locus expers est corruptelae. Posteriorem Archilocho tribuit, et sic scriptum exhibet Joannes Siceliota Comment. MS. in Hermogenem: *Πάντα πόνος τεύχει· θνητοῖς, μελέτη τ' ἀρίστη.* Legendum: *Πάντα πόνος τεύχει θνητοῖς, μελέτη τε βροτείη.* Dicerem, hanc sententiam, non Epicharmi, ut Lambinus putat, expressisse Horatium I. Serm. 9, 60. *Nil sine magno Vita labore dedit mortalibus*, nisi tam vulgaris esset, ut cuivis non stultissimo in mentem venire posset. Epicharmi autem versum, quem Xenophon attulit, sine poëtae nomine laudat Eustratius in Aristotel. Nicom. III. p. 43. addens alium simillimum: *Ἐκ τῶν πόνων τοι τἀγαθ' αὔξεται βροτοῖς.* quem ipsum, poëtae nomine suppresso, laudat Lucian. Rhet. praec. p. 8. *τὸν ποιητὴν ἐκεῖνον ἀληθεύειν ὤμην, λέγοντα ἐκ τῶν πόνων φύεσθαι τὰ ἀγαθά.* Sed ex Euripidis Erechtheo ductus est, teste Stobaeo Tit. XXIX. p. 199. Epicharmeum dictum ita vertit Priscianus Praeëx. Rhet. p. 1338. *Laboribus vendunt Dii nobis omnia bona.* Nescio, an illud in animo habuerit Dionys. Halic

T. II. p. 317 οὐδὲν τῶν μεγάλων μικρῶν ἐστι πόνων ὤνιον. Mox Xenophon idem suis verbis sic effert: τῶν γὰρ ὄντων ἀγαθῶν καὶ καλῶν οὐδὲν ἄνευ πόνου καὶ ἐπιμελείας θεοὶ διδόασιν ἀνθρώποις, quod forte expressit Philo Jud. T. I. p. 168. παντὸς ἀγαθοῦ καὶ ἀρετῆς πάσης ὁ θεὸς ἀνέδειξε ἀνθρώποις πόνον, οὗ χωρὶς τῶν καλῶν παρὰ τῷ θνητῷ γένει συνιστάμενον οὐδὲν εὑρήσεις. Sed valeat hic etiam, quod modo de Horatio diximus.

Ibid. 22. ὄμματα ἔχειν ἀναπεπταμένα] Zeno, modestam virginem describens, apud Clem. Alexand. Paedag. III. p. 296. ἔστω ὀφρῦς μὴ καθειμένη, μηδὲ ὄμμα ἀναπεπταμένον, μηδὲ ἀνακεκλασμένον. cujus loci elegantiam non cepit Potterus. Quae sequuntur, ἐσθῆτα δὲ, ἐξ ἧς etc. furtim descripsit sutor centonum satis lepidus, Aristaenetus I, 25. ut indicio Dorvillii Vann. Crit. p. 302. cognovimus: τὸ δὲ ταραντινίδιον, ἐξ οὗ διαφανῶς ἡ ὥρα διέλαμπεν· θαμὰ δὲ καὶ τὴν πτέρναν αὐτὴ πρὸς ἑαυτὴν ἐπιστρεφομένη διεσκοπεῖτο, πολλάκις δ' ἅμα τε ἑαυτὴν ἐθεώρει, καὶ εἴτις αὐτὴν ἄλλος θεᾶται. ubi e contextu expellendum est δ' ἅμα, quod librarius temere repetiit ex praecedenti θαμά.

Ibid. 30. οὐ μόνον τὰς στρωμνὰς μαλακὰς] Huc pertinet locus Varronis Hercule Socratico, apud Non. Marcell. p. 539. 542. *In omnibus rebus bonis cotidianis: cubo in Sardinianis tapetibus: chlamydas et purpurea amicula.* Quae et mutila sunt et mendosa. Quod excidit, conjectura, qui poterit et volet, assequatur: mendae hoc modo corrigendae: *In omnibus rebus bonis, quotidiano cubo in Sardianis tapetibus: chlamydas et purpurea amicula.* Scaliger ad Varron. Fragm. p. 112. scribit *quotidianus cubo.* Male. Nam Voluptatem, non Herculem, loqui, clarum est. De adverbio *quotidiano*, vide quae notavimus ad Rutil. Lup. I. p. 11. *Sardiana tapetia*, quae Sardibus pur-

pura tingebantur. Nam a *Σάρδις* est *Σαρδιανὸς* et *Σαρδιανικὸς*. Vid. Steph. Byz. ex eoque corrige Etym. M. p. 708. 29. Apud Polluc. VII. 77. editur: *καὶ Σαρδωνικὸς δὲ χιτών τις ἐκαλεῖτο*, sed e Codicum scriptura *Σαρδανικὸς* faciendum *Σαρδιανικός*. *Tincturam Sardianicam* ex Aristoph. Acharn. 112. et aliunde illustrarunt Interpretes ad Hesych. v. *Βάμμα Σαρδιανικόν*. Nostram in Varrone emendationem egregie confirmat Heraclides Cumaeus apud Athen. XII. p. 514. C. *διήει διὰ τῆς τούτων αὐλῆς πεζὸς ὑποτιθεμένων ψιλοταπίδων Σαρδιανῶν*.

Ibid. 31. *διὰ νεότητος τρεφόμενοι*] Non dubito, quin Xenophon scripserit *φερόμεναι*· idque verbum *περῶντες* confirmat. *Λιπαροὶ* et *αὐχμηροὶ* qui dicantur, exponit Pollux, hunc locum laudans, II. 34.

C. II, 3. *εἰλικρινὴς ἀδικία*] Attice et exquisite pro *mera injustitia*. Sic etiam *καθαρὸς* et *λαμπρὸς* dicuntur Aristophan. Avib. 1548. *Τίμων καθαρός*. quod Hemsterhusius bene vertit Plautina locutione: *Timon purus putus*. Grammaticus Ms. Bibl. Sang. *καθαρὸς δοῦλος, οἱονεὶ ἀπηκριβωμένος. Ἀντιφάνης Ἀγροίκῳ*. Alciphron III. 21. *Παρμένων, ζημία καθαρά*. ubi vide Berglerum. Idem III. 38. *ἦν δὲ οὗτος μάλα λαμπρὰ ζημία*. Sic ibi scribendum.

Ibid. 8. *ἐπὶ τῷ βίῳ παντί*] id est, *ea conditione, ut vitam salvam habeat*. Nota vis praepositionis *ἐπὶ* cum dativo. Aristoph. Avib. 153. *Ὀπούντιος οὐκ ἂν γενοίμην ἐπὶ ταλάντῳ χρυσίου*. Dio Chrys. Or. XXXIII. p. 407. D. *γυναικὶ μὲν δὴ τοιαύτῃ ξυνοικεῖν οὐδεὶς ἂν ἐθελήσειεν, οὐδὲ ἐπὶ πεντακοσίοις ταλάντοις*. Vide Wesseling. ad Diodor. Sicul. II. p. 138. Est autem figura proverbii, qualis Cyrop. III. p. 69. B. *κἂν τῆς ψυχῆς πριαίμην, ὥστε μήποτε λατρεῦσαι ταύτην*.

Ibid. 14. *τοὺς μὲν θεοὺς παραιτήσῃ*.] Zonaras Lex.

MS. *Παραιτοῦμαί σε, καὶ παρῃτήσατο αὐτὸν, καὶ παρῃτήσατο τὸ πρᾶγμα, οὐ δεῖ λέγειν, ἀλλ' οἷον ὅτι, παραιτοῦμαί σε συγγνώμην ἔχειν, καὶ, παραιτοῦμαι σε μὴ χαλεπαίνειν. Ξενοφῶν, τοὺς μὲν θεοὺς παραιτήσῃ συγγνώμονάς σοι εἶναι.* Eadem leguntur in Lexico MS. Regio, ubi bene additur: *λέγουσι δὲ ἐπὶ τοῦ αὐτοῦ παρίεμαι.* de quo verbo quaedam notavimus ad Timaei Lex. Plat. p. 149.

C. IV. 1. *ὡς πάντων κτημάτων κράτιστον*] Hunc locum expressit Cicero de Amicit. 15. *Quid stultius, quam — cetera parare, quae parantur pecunia, equos, familias, vestem egregiam, vasa pretiosa: amicos non parare, optimam et pulcherrimam vitae, ut ita dicam, suppellectilem?* item Dio Chrys. tum alibi, tum Or. VI. p. 97. D. *τοῦ δὲ καλλίστου καὶ λυσιτελεστάτου κτήματος ἁπάντων ἐστὶν ἀπορώτατος, εὐνοίας καὶ φιλίας.*

Ibid. 4. *τὸ πλῆθος εἰδότας*] Haec quoque imitatus est Cicero de Amicit. 17. *Saepe querebatur, quod omnibus in rebus homines diligentiores essent; ut capras et oves quot quisque haberet dicere posset: amicos quot haberet, non posset dicere: et in illis quidem parandis adhibere curam, in amicis eligendis negligentes esse.*

Ibid. 7. *ἃ δὲ αἵτε χεῖρες*] Haec imitando sua fecit Dio Chrys. Or. III. p. 53. D. *εἰ δὲ ὀφθαλμοὶ, καὶ γλῶτται καὶ χεῖρες ἀνθρώπων τοῦ παντὸς ἄξια*, etc. ubi ante *καὶ γλῶτται* librariorum negligentia elapsum est *καὶ ὦτα.* Res clara cum e Xenophonte, tum multo magis ex iis, quae consequuntur apud Dionem: *καὶ διὰ μὲν ὤτων οὐκ ἄν τις ἀκούσαι. — καὶ τῇ μὲν γλώττῃ* etc.

C. V, 5. *πωλῇ καὶ ἀποδῶται τοῦ εὐρόντος*] Viri docti *εὐρόντος* capiunt pro *εὑρεθέντος*, durissima enallage, ut bene judicat Dorvillius ad Charit. p. 113. Tamen

ᾤετο εἰδέναι ὅτι ῥᾷστον ἀφύλακτα λαμβάνειν. Sed MS. ab Is. Vossio collatus sic habet: καὶ εὐφυέστερος ὢν ἀπὸ τῶν συκοφαντῶν λαμβάνειν. Qua lectione nihil elegantius et verius, modo ὢν, quod alienum est, deleatur. Cyrop. I. p. 34. B. γενόμενοι οὖν τινες οὕτω εὐφυεῖς καὶ πρὸς τὸ εὖ ἐξαπατᾷν καὶ πρὸς τὸ εὖ πλεονεκτεῖν, ἴσως δὲ καὶ πρὸς τὸ φιλοκερδεῖν οὐκ ἀφυεῖς ὄντες. Qui locus codicis scripturam egregie confirmat.

C. X, 3. καὶ μὴ μόνον τὸ] Legendum: καὶ μὴ μόνον τοῦτο. abjectis verbis, κελευόμενον ἱκανὸν ὄντα ποιεῖν, quorum ingrata est repetitio. Sic etiam Bessarion in libro suo reperisse videtur.

## Lib. III.

C. I, 1. ἀκούσας — ἥκειν] Lexicon MS. Bibl. Sangerm. Ἀκούσας ἥκειν, οὐχ ἥκοντα, Ξενοφῶν ἐν Ἀπομνημονεύμασιν ἔφη, καὶ Μένανδρος, καὶ ἄλλοι. Altera tamen cum participio constructio exquisitior est et Attica magis.

C. V, 6. ἢ πολέμους δείσωσιν] Bene Brodaeus et Ernestus V. Cl. corrigunt πολεμίους· quod Exc. Vossiana confirmant. Polyb. VI. 42. loco simillimo: ὅταν μὲν ἢ διὰ πολεμίων φόβον, ἢ διὰ περίστασιν χειμῶνος, ὁρμὴ παραστῇ τοῖς ἐμβάταις, συμφρονεῖν καὶ προσέχειν τὸν νοῦν τῷ κυβερνήτῃ, γίνεται τὸ δέον etc. Xenophontem more suo imitatur Dio Chrys. Or. XXXI. p. 360. B.

Ibid. 17. πολλὴ μὲν ἀπειρία] Ex antecedentibus verbis, ἐπηρεάζουσιν ἀλλήλοις, venit mihi in mentem legere: πολλὴ μὲν ἐπήρεια καὶ κακία. Eaedem voces permutantur in Artemidoro IV. 72. p. 243. Δωκλῆς ὁ Γραμματικὸς φοβούμενος ἐξ ἀπειρίας ἀργύριον ἀπολέσαι. ubi vir doctus Animadv. p. 711. reponere tentabat

ἐξ ἐμπορίας, *per mercaturam*; sed legendum: ἐξ ἐπηρείας, *per calumniam et vexationem*. Alio modo idem verbum corruptum est in Libanio Ep. 802. χρημάτων δὲ πολλῶν αὐτῷ οἰχομένων ἐν τοῖς κακοῖς ἐκείνοις, ἃ αὐτῷ παρὰ τῆς Προφητίου γέγονεν ἐπιεικείας. ubi Wolfius reponit αἰκίας, Dorvillius φιλονεικείας. Neuter bene. Libanius scripsit ἐπηρείας.

C. VI, 12. αὐτόθεν] Grammaticus MS. Bibl. Sangerm. Αὐτόθι. Ξενοφῶν ἐν μὲν Ἀπομνημονευμάτων γ'. Ἡρόδοτος ἐν ἱστοριῶν γ', ἀντὶ τοῦ αὐτός. Scribe: ἀντὶ τοῦ αὐτοῦ. Herodoti locus est p. 225. τῶν γινομένων αὐτόθεν χρημάτων. ubi Cod. Arch. αὐτόθι, ut Grammaticus MS. Sed αὐτόθεν utrique loco accommodatius judicamus.

C. VII, 4. κατὰ μόνας] Grammaticus MS. Bibl. Sang. Καταμόνας, ἀντὶ τοῦ ἰδίᾳ. Θουκυδίδης α'. Ξενοφῶν Ἀπομνημονευμάτων γ'.

C. IX, 6. τὴν ἀνεπιστημοσύνην] Grammaticus MS. Bibl. Sangerm. Ἀδημοσύνη. Ξενοφῶν Ἀπομνημονεύμασιν. Ἀδημοσύνη, vox Ionica, qua Lexica carent, est apud Democritum Stobaei Tit. VI. p. 84. pro *angore, animi moerore*. Aliam formam ἀδημονία conservarunt Hesych. et Suid. in v. Vide Foesium Oecon. Hipp. v. Ἀδήμονες. Suspicabar aliquando, hoc vocabulum, cujus nullum vestigium in Memorabilibus reperitur, a Grammatico lectum esse IV, 2. ubi nunc vulgatur: ἄν τις, ἐν ἀθυμίᾳ ὄντος φίλου, δείσας, etc. Verum Grammaticus, ut opinor, non scripsit ἀδημοσύνη, sed ἀδαημοσύνη, eamque vocem ex hoc ipso loco petiit, ubi nunc textum occupat ἀνεπιστημοσύνη, quae est interpretatio vocabuli rarioris. Ἀδαημονίη est Homeri Od. Ω. 243. δαημοσύνη Orphei Argon. 726. Apollon. Rhod. II. 175. IV. 1273. cui eandem vocem II. 1264. bene reddidit Arnaldus Lect. Gr. p. 240. Quod si quis vocem poëtis usitatam

in Xenophonte non ferendam putet, scito, hunc scriptorem, in summa simplicitate, plura vocabula poëtica, quam quemquam Atticorum, qui prosa oratione scripserunt, frequentasse: quod verissimum est judicium magni Hemsterhusii ad Thom. M. p. 26. Et quid caussae est, quare Xenophonte minus dignum putetur ἀδαημοσύνη, quam δαημονέστατος Cyrop. I. p. 6. C. aut ἀδαὴς p. 37. A. In Anabas. I. p. 266. D. vulgo editur: ἔνθα Κῦρος εὐμαθέστατος — ἐδόκει εἶναι. ubi MSSti, quos viri docti adhibuerunt, pro εὐμαθέστατος bene legunt αἰδημονέστατος. Nec aliter MS. cujus excerpta penes me sunt. Sed qui primus εὐμαθέστατος in textum intulit, non αἰδημονέστατος, sed δαημονέστατος in suo codice invenit, cujus explicatio est εὐμαθέστατος. Haec satis probabiliter disputata videntur pro voce ἀδαημοσύνην. Verum tamen una, ne quid dissimulem, superest ratio vulgatae scripturae defendendae. Potuit Grammaticus ἀδημοσύνην vel ἀδαημοσύνην ducere e deperdito Memorabilium loco. Periisse autem haud pauca, non solum apparet e Codd. MSStis, quorum alius alio plenior est, sed etiam e Grammaticis antiquis, qui nonnulla e Memorabilibus laudant, quae in libris nostris frustra quaeruntur. Moeris Atticista, ut hoc utar, p. 151. inde affert ἐθελέχθρως, p. 164. ἐπιτηδείους pro *cognatis*, quorum neutrum Piersoni sagacitas invenit. Quid? Cicero quoque integriore exemplo usus videtur, de N. D. I. 12. *Atque etiam Xenophon paucioribus verbis eadem fere peccat: facit enim in iis, quae a Socrate dicta retulit, Socratem disputantem, formam Dei quaeri non oportere: eumdemque et Solem et animum Deum dicere: et modo unum, tum autem plures Deos.* Locus de forma Dei non quaerenda extat IV, 3. Sed ubi Socrates in his libris Solem, ubi ani-

mum Deum dixit, ubi denique unum aut plures esse Deos?

C. XI, 1. *Θεοδότη*] Hunc locum laudat Athenaeus V. p. 220. F. cujus verba per festinationem pro Xenophontis accepit N. Heinsius ad Ovid. Trist. II. 418. Theodote postea cum Alcibiade consuevit, eumque mortuum, muliebri sua veste contectum, cremavit. Vide Athenaeum XIII. p. 574. F. Eam inter nobilissimas Graeciae meretrices commemorat Libanius T. I. p. 582.

Ibid. 6. *τὰ πρὸς τὸν βίον*] Huc respexit Grammaticus MS. Bibl. Sang. *Βίος, ἐπὶ ἀλόγων ζώων. Ξενοφῶν Ἀπομνημονεύμασιν.*

Ibid. 8. *ὅτι μὲν γὰρ τῆς νυκτὸς νέμονται*] Cum hoc loco comparandus alius, et re et verbis conveniens, Cyrop. I. p. 36. A. Utroque loco *ὀσμὴ* legitur, non *ὀδμὴ*, qua tamen forma Xenophon usus est, teste Phrynicho de Diction. Attic. p. 30.

Ibid. 14. *διαφεύγουσα, ἕως ἂν ὡς μάλιστα δεηδῶσι*] Hoc praeceptum tenebat meretrix apud Terentium Heaut. II, 3, 125.

*quendam misere offendi militem?*
*Ejus noctem orantem: haec arte tractabat virum,*
*Ut illius animum cupidum inopia incenderet.*

Alciphron. II. 1, p. 202 *τὰς ὀπωσοῦν ἄλλως ταχὺ μαραινομένας μεσολαβούσας χάριτας, ἵνα μᾶλλον ἐξάπτωνται τοῖς διαστήμασι.* Sic ille locus legendus. Ordo verborum est: *μεσολαβούσας τὰς χάριτας μαραινομένας ταχὺ ὀπωσοῦν ἄλλως.*

Ibid. 17. *φιλωτέρα σου ἔνδον ᾖ*] Venuste, ut nihil supra. Est enim propria meretricum, amatores excludentium formula, *ἔνδον ἕτερος.* Lucian. Dial. Meretr. XII. p. 310. *μήτ' ἀπέκλεισα ἐλθόντα, ἔνδον ἕτερος εἰ-*

*ποῦσα.* VIII. p. 300. *ἐπειδὴ δὲ ἐλθόντα ποτὲ ἀπέκλεισα· Καλλιάδης γὰρ ἔνδον ἦν.*

C. XII, 2. *ἐὰν οὕτω τύχωσι, τὴν χαλεπωτάτην δουλείαν*] Haec verba desunt in Codice Bessarionis, et Ed. Basil. Teneam *τὴν χαλεπωτάτην δουλείαν*, sed facile abesse patiar *ἐὰν οὕτω τύχωσι*, quae e praecedentibus temere repetita videntur.

## Lib. IV.

C. II, 2. *διὰ ξυνουσίαν τινὸς τῶν σοφῶν*] Allusit ad notissimum senarium sive Euripidis, sive Sophoclis:

*Σοφοὶ τύραννοι τῶν σοφῶν συνουσίᾳ.*

Ibid. 5. *ἐν ὑμῖν ἀποκινδυνεύων*] Eleganter et apposite ad hunc locum Plinius H. N. XXIX. 1. *Discunt periculis nostris, et experimenta per mortes agunt: medicoque tantum hominem occidisse impunitas summa est.* *Ἀποκινδυνεύειν τοῦτο*, vel *ἐν τούτῳ* est *periculum facere.* Lysias p. 96. *ἀλλ' ἀπεκινδύνευον τοῦτο.*

Ibid. 8, sqq. *γράμματα*] Phrynichus *παρασκ. Σοφ.* MS. *Γραφεὺς καὶ ὁ ζωγράφος, καὶ Γράμμα, τὸ ζωγράφημα, καὶ ἐπιστολῶν Γράμματα, καὶ τὰ ψηφίσματα, ὡς Δημοσθένης, καὶ τὰ συγγράμματα τῶν ἀρχαίων ἀνδρῶν, ὡς Ξενοφῶν.* Vide de Venat. p. 998. A. et Valkenar. Anim. ad Ammon. p. 55.

C. III, 8. *καὶ τοῦτο φιλανθρωπίᾳ*] Post haec verba Codex Excerptorum e Xenophontis Memorabilibus, quem apud virum amplissimum, Ger. Meermannum, evolvimus, egregium supplementum praebet: *τὸ δὲ καὶ ἀέρα ἡμῖν ἀφθόνως οὕτω πανταχοῦ διαχῦσαι, οὐ μόνον πρόμαχον καὶ σύντροφον ζωῆς, ἀλλὰ καὶ πελάγη περᾷν δι' αὐτοῦ, καὶ τὰ ἐπιτήδεια ἄλλος ἀλλαχόθι καὶ ἐν ἀλλοδαπῇ στελλόμενος πορίζεσθαι, πῶς οὐχ ὑπὲρ λόγον ἀνέκφραστον;* Scilicet hic quoque accidit, quod infinitis aliis locis, ut, librarii oculis ab altero *τὸ δὲ* ad alterum aberrantibus,

quae in medio erant, omitterentur. Notandum autem, *σύντροφον* hic dici pro simplici *τροφὸν*, ut paullo ante, *συντρέφειν δὲ καὶ αὐτοὺς ἡμᾶς*, pro simplici *τρέφειν*. Aelianus, qui plura ex hoc Xenophontis loco expressit, apud Suid. v. *Ἀρίσταρχος Τεγ. καὶ ἀέρος σπᾶν, καὶ ἔχειν τροφὴν ζωῆς τὸ ἐξ αὐτοῦ πνεῦμα. Auras vitales* dicunt Poëtae Latini, ut Virgil. Aen. I. 387. Mox Valkenarius noster emendat: *καὶ τὰ ἐπιτήδεια ἄλλον ἄλλοσέ πῃ στελλόμενον ἐν ἀλλοδαπῇ πορίζεσθαι.* Denique ultima vox *ἀνέκφραστον* non est Xenophontis, sed Grammatici, explicantis formulam *ὑπὲρ λόγον*.

Ibid. 9. *ὅτι οὐκ ἂν ὑπενέγκοιμεν*] Eadem aliis verbis dicit Cyrop. VI. p. 161. C. quem locum comparent Atticae venustatis studiosi. Hinc multa duxit Dio Chrys. Or. III. p. 49. 50.

Ibid. 13. *ἀτριβῆτε, καὶ ὑγιᾶ, καὶ ἀγήρατον*] Similis locus in divina illa Cyri morientis oratione, VIII. p. 237. C. *οἳ καὶ τὴν τῶν ὅλων τήνδε τάξιν συνέχουσιν ἀτριβῆ καὶ ἀγήρατον καὶ ἀναμάρτητον.* unde corrigendus Pollux II. 14. *Ξενοφῶν δὲ, τὴν ἀγήρατον δόξαν.* Scribe *τάξιν*.

C. IV, 5. *δικαίους ποιήσασθαι*] *Δίκαιος* dicitur vel de *re*, vel de *persona*, *in qua nec abundat aliquid, nec deficit, quae muneri suo par est, numeris suis absoluta.* Herodot II. 149. *αἱ δ' ἑκατὸν ὀργυιαὶ δίκαιαί εἰσι στάδιον ἑξάπλεθρον.* quo respicit Grammat. MS. Bibl. Sang. *Δίκαιον μέτρον, τὸ ἴσον. Ἡρόδοτος β'.* Aeschines adv. Ctesiph. p. 441. *τίς οὖν ἀποδέδεικται λόγος δικαίῳ συνηγόρῳ.* ubi vocis vim praeclare illustravit Jo. Taylorus. Latini eodem sensu *justum* dicunt, ut Fabricius Bibl. Gr. Vol. II. p. 71. male reprehendat interpretem Luciani de Hist. conscr. p. 52. *δίκαιος συγγραφεὺς, justus scriptor*, vertentem. Huic notioni affinis est altera, qua *δίκαιον* dicitur, quod omnibus partibus aequabili-

tatem servat, frequens illa in Hippocrate, et copiose explicata a Foësio in Oecon. sed minime intellecta ab interpretibus in Xenophonte nostro Cyrop. II. p. 50. B. *οὔτε γὰρ ἅρμα δήπου ταχὺ γένοιτ' ἂν βραδέων ἵππων ἐνόντων, οὔτε δίκαιον, ἀδίκων συνεζευγμένων.* ubi *δίκαιον ἅρμα* est *currus aequabilitatem in eundo servans*, *ἄδικοι ἵπποι, equi inaequales vel robore, vel velocitate.* Sic a Polluce I. 196. *δίκαιος τὴν γνάθον* dicitur equus, *qui maxillam aequabiliter mollem habet:* contra a Xenophonte de re equestr. p. 936. et a Polluce l. c. 197. *ἄδικος τὴν γνάθον· cui pars maxillae mollis est, pars dura. Δίκαιον* autem *ἅρμα* quam temere vexarit Leunclavius, apparet ex Lexico MS. Bibl. Sangerm. *Ἀδικομάχους ἵππους Ξενοφῶν τοὺς δυςπειθεῖς λέγει, καὶ Δίκαιον ἅρμα, τὸ εὐπειθές.* ubi corrigendum videtur: *Ἀδικογνάθους ἵππους*, quos Xenophon eodem loco etiam *ἑτερογνάθους* appellat. Haec scripseram, cum Cl. Beioto Hist. Academ. Inscript. T. XXXIV. p. 17. eandem Xenophontei loci interpretandi rationem placuisse viderem. Sed ut redeam illuc, unde deflexi, saepe miratus sum, tamdiu tamque patienter pro Xenophonteis legi potuisse verba putida et praeter rem inculcata, *φασὶ δέ τινες καὶ ἵππον καὶ βοῦν τῷ βουλομένῳ δικαίους ποιήσασθαι, πάντα μεστὰ εἶναι τῶν διδαξόντων.* quae sciolus formasse videtur ex Platone Apolog. Socrat. p. 359. G. *εἰ μέν σου τῷ υἱέε πώλω ἢ μόσχω ἐγενέσθην, εἴχομεν ἂν αὐτοῖν ἐπιστάτην λαβεῖν, καὶ μισθώσασθαι, ὃς ἔμελλεν αὐτῷ καλῷ κἀγαθῷ ποιήσειν τὴν προσήκουσαν ἀρετήν.*

Ibid. 6. *ἔτι γὰρ σὺ — ἐκεῖνα τὰ αὐτὰ λέγει,*] Dio Chrys. Or. III. p. 40. C. haec memoriter sic laudat: *πάλιν σὺ ταῦτα, Σώκρατες*, ubi scribendum: *πάλιν σὺ ταυτὰ ταῦτα.*

C. VIII. 8. *εἰ δὲ βιώσομαι πλείω χρόνον*] Perspicua

imitationis vestigia sunt in Auctore Socrat. Epist. p. 33. ubi scribendum, γῆρας ἐπικεῖσθαι, et in Dione Chrys. Or. XXVIII. p. 281. C.

— Ao. MDCCLXXII.

---

# D. RUHNKENII FRAGMENTA

IN ADDENDIS ET CORRIGENDIS AD HEYNII VIRGILIUM PASSIM DISJECTA

T. IV. p. 211 — 238 *).

---

## *Ad Bucolica.*

P. I. p. 6. col. 2. l. 3. ad Ecl. I. v. 28 Servos cum dominis pacisci solitos de libertate pretio certo redimenda, idque pretium eos e peculio solvisse, docuit etiam Lipsius ad Tac. Annal. XIV. 42. quem locum subministravit mihi Ruhnkenius, quem, quoties nomino, honoris caussa nominare me, jam ab initio profiteor; addito Burman. ad Petron. 75. et ad Ovid. Amor. I. 8. 63.

P. 10. Ecl. I. v. 54. *a limite* esse ab ea parte, qua vicinus est limes, jam Oudendorpium docuisse ad Sueton. Aug. 91. Ruhnkenius mihi indicavit.

P. 19. not. ad Ecl. II. v. 29. Melius *cervos*, quod bene me monuit Ruhnkenius.

P. 43. not. ad Ecl. IV. v. 24. Ruhnkenius ma-

---

*) Ed. pr. Lips. 1767 — 1775. Transsumsimus haec Fragmenta ex Editione Angl. Opusculorum Ruhnkenii, una cum paucis annotatiunculis ex ejusdem Praef. p. XXXIX. *B.*

lebat jungere *herba veneni*, pro venenata. Illustravit hunc genitivum pro adjectivo positum Oudendorp. ad Sueton. Aug. 94. p. 329.

P. 48. ad Ecl. IV. v. 60. Verum sensum, quem exposui, versus jam vidisse Pomponium Sabinum, monuit me Ruhnkenius.

P. 99. ad Ecl. IX. v. 58. Monuit me etiam hic amicissimus Ruhnkenius, *auras murmuris* ab Oudendorpio ad Sueton. p. 1023. esse illustratas.

## *Ad Georgica.*

P. 129. ad L. I. v. 59. Male adhaesi ad *palmas Eliadum equarum*, ut recte me monuit Ruhnkenius. Nam *palmae* dictae sunt pro iis, qui palmam et victoriam obtinent: ita Aen. V. 339. ubi vide, et Drakenb. ad Silium XVI. 504. Itaque *palmae Equarum E.* sunt equae victrices inter equas in Elide currentes.

P. 173. nota ad L. I. v. 361 et 362. delenda est. — Emendavit jam in Arato, quod commode me monuit Ruhnkenius, Heringa in Obss. c. 24. *εἰν ἁλὶ δίᾳ.*

P. 176. ad L. I. v. 382. Virgilium non aliter accepisse *πυκνὰ* in Arato arbitrabatur Ruhnkenius, quam ut *densis* esset *πυκνῶς*, *dense*, *crebro*. Sic Ovid. Trist. III. 4. 21. *ut tutas agitavit Daedalus alas*, h. e. *tuto*. Val. Flacc. VI. 229. *densa spargens hastilia*, h. e. *dense*.

P. 223. not. ad L. II. 214 — 216. Non erat, cur hic fluctuarem, quod Ruhnkenius quoque me monuit. Posterior ratio haud dubie vera. Centies sic Graeci *φημὶ οὐ*, et Latini *nego*, tribuunt rebus vita carentibus.

P. 268. ad L. II. v. 500. *Volentia rura* e graecismo exponit Toupius V. Cl. Emend. in Suid. T. II.

p. 49. [I. 285. ed. Oxon.] quod Ruhnkenius me monuit: commemorat enim ex Xenophonte *ἡ γῆ θέλουσα — διδάσκει.*

P. 302. ad L. III. 193. sq. *Cursibus auras vocare*, volebam a navigatione vel volatu esse traductum. Vento tamen ad currendum opus non est. Recte vellit aurem Ruhnkenius, praestare alteram interpretationem, ut sit *provocare*. Dicuntur enim equi contendere cum vento. Et v. c. in Callim. in Del. 112. *τί νῦν ἀνέμοισιν ἐρίζεις;*

P. 374. ad L. IV. v. 209. *Fortuna domus.* Admonuit me Ruhnkenius, vim omnem et elegantiam hujus dictionis me non satis exposuisse; scilicet *Fortuna domus*, ut in numis *Fortuna Augusti*, vel *Augustorum*, proprio aliquo ac solenni modo de statu et conditione gentis dicitur, quae ei quasi fatali aliqua necessitate assignata est. Exempla vide in Sueton. Aug. 65. ubi haud dubie *Fortuna domus* cum Oudendorpio legendum, et Stat. Silv. V, 2. 76. et ibi Markl.

## *Ad Aeneida.*

T. II. Exc. I. ad L. II. princ. p. 232. Ruhnkenius meus significavit mihi, se in hac de Pisandro digressione a me dissentire: Suidae fidem habendam esse nullam: incidisse eum in duo diversos Grammaticos, alterum doctum, alterum indoctum, qui *ὁμωνυμίᾳ a*) turpiter deceptus recentiori Pisandro assignaverit, quae veteri tribuere deberet. „Sic," pergit, „a Suida Lexicon illud compilatum esse, sexcentis locis apparet. Uno ut exemplo defungar, vide v. *Θεαίτητος*, ubi priore articulo Theaetetum Atheniensem fuisse dicit et Socratis discipu-

---

*a*) Cf. Praef. ad Tim. supra p. 81. sive p. xv. Ed. II. *B.*

lum, posteriore Heracleensem et Platonis discipulum." — „At, inquis, nunquam antiquioris poëtae carmen recentiori tributum est. Ne hoc quidem universe verum. Carmen pervetustum, *Κήϋκος γάμον*, Grammatici quidam ad recentiorem poëtam retulerunt. At Athenaeus lib. II. p. 49. B. vindicat antiquissimo poëtae Hesiodo. Edidit Eabricius Bibl. Gr. Vol. VIII. p. 415. carmen bene longum *περὶ καταρχῶν* sub *Maximi* nomine; enimvero aut ego nullum poëseos Graecae sensum habeo, aut hoc carmen scriptum est a poëta Alexandrino, Callimachi et Apollonii Rhodii aequali." — Sunt alia, in quibus monitus concedo viro praestantissimo lubentissime. Primum malueram *Ἡραϊκὰς θεογαμίας* legere quam *Ἡρωϊκὰς*· — Recte tamen urget Ruhnkenius, inauditam Graecis formam esse *Ἡραϊκὸς*, et ab *Ἥρα* formari *Ἡραῖος*· tum, si carmen de Junonis nuptiis egisset, ineptum fuisset addere nomen *Θεός*. Nam ex *Junonis* nomine, satis colligitur, *deae* nuptias celebrari. Verum, inquit, non egit de Junonis nuptiis; tantum ab iis *incepit*, ut Macrobius ait. Quid igitur poëta hoc carmine tractavit? Nempe *Ἡρωϊκὰς θεογαμίας*, id est, *heroum nuptias cum deabus*, sicut Hesiodus, quem sibi imitandum sumserat, *γυναικῶν κατάλογον* scripsit, i. e. catalogum *mulierum mortalium*, quae nupserant diis. — Porro vir doctissimus bene monet, ea, quae ab Scholiasta Apollonii Rhodii afferuntur, vix ex Larandensi petita esse posse, cum is scriptor recentissimus fuerit; — in Indice autem eorum scriptorum, quorum testimonia in Scholiis Apollonii afferuntur, nullum occurrere, qui non Augusti et Tiberii aetate superior sit; — si ad lib. II. 329. Lucianus laudatur, eum ab interpolatore intrusum videri *b)*.

---

*b)* „Minime a vero aberrat Ruhnkenii conjectura; etenim in

Ibid. p. 234. l. 17. Eratosthenis locum e Phavorini Lexico emendandum esse ὡς ἔνδοξον πεποιηκὼς ἔργον docuit me idem Ruhnkenius; idque jam vidisse eruditum juvenem Koppiersium Obss. Philol. p. 110.

Ibid. p. 235. l. 8. Non invideo hic meis popularibus animadversionem praeclaram ejusdem viri doctissimi Ruhnkenii privatis litteris ad me perscriptam: „Etymologi [in v. κεραννὺς] locum," inquit, „paullo festinantius inspexisti. Is non laudat Pisandrum, ut vulgarem notionem verbi κεράσαι firmet, sed ut doceat, veteres κέρατι ἀντὶ προχόου usos esse, quod rarum et notatu dignum. Atque hic irascor academicis istis occupationibus, quae tibi justum meditandi tempus eripuerunt. Quod si habuisses, pro sagacitate tua facile vidisses, Πίνδαρος legendum esse, non Πείσανδρος. Ecce tibi Pindari locum, quo Etymologi glossa pertinet, apud Athenaeum XI. p. 476. A. ἐξ ἀργυρέων κεράτων πίνοντες ἐπλάζοντο. Contrario errore peccatum est in Zenobio VI. 49. — ὡς φησὶ καὶ Πίνδαρος ὁ ποιητὴς ἐν τοῖς περὶ Ἡρακλέους. ' Repone Πείσανδρος. Versus, quos respicit Zenobius, conservavit Schol. Aristoph. ad Nub. 1047. Idem error apud Etymologum MS. Bibl. Regiae Paris., qui, cum formam ἀὲς pro ἀεὶ Doribus tribuisset, statim addit: ἐπειδὴ καὶ τὸ ἀὲ παρὰ Πεισάνδρῳ, ubi scribendum παρὰ Πινδάρῳ c), quem Dorice

---

Cod. MS. Harl., quem contuli, hujus scholii nec vola nec vestigium est." KIDD. *B.*

c) „Cf. Etym. MS. apud Koen. ad Greg. Metrop. p. 160. cit. quoque ab Hermanno in praef. ad Hec. p. XXIII. et Cod. Sangerm. apud Heyn. ad Il. M. 212. qui Porsoni additamentum in Suppl. ad praef. p. XVI. egregie corroborat, et Koenii emendationi adstipulatur; huic quoque plane conspirat Cod. MS. D'Orv., ut me monuit doctissimus amicus." KIDD. *B.*

scripsisse scimus. Ad Pindarum igitur referenda Hesychii glossa: ἀὲ ἐπὶ τοῦ· ἀεὶ καὶ ἕως." Hactenus vir longe eruditissimus.

Ao. MDCCLXXV.

---

# DISPUTATIO
DE
# VITA ET SCRIPTIS LONGINI,

quam, praeside

## DAVIDE RUHNKENIO,

a. d. XXIII Octobris MDCCLXXVI
in Academia Lugduno-Batava
defendet

## PETRUS JOANNES SCHARDAM.

---

§. 1.

Quanquam bonae literae, et praeclara ingenia seculo tertio una cum ipso imperio Romano conciderunt, tamen, in tanta etiam conversione rerum ac perturbatione, fuit aliquis excellentium virorum proventus. Quorum longe principes numerantur inprimis duo, Longinus, cui vel meliora tempora perpaucos pares tulerunt, ac Porphyrius, e Longini disciplina profectus, et ad magistri laudes, quanquam longo intervallo, proxime accedens. Porphyrii vitam, studia, et scripta Lucas Holstenius,

vir magna et recondita eruditione, tam accurate enarravit, ut exemplum dederit talis historiae bene scribendae. At Longini memoriae qui pari et cura et doctrinae copia consuleret, adhuc scimus repertum esse neminem. Quo magis convenit, eandem illi, aut etiam diligentiorem, si fieri potest, operam navare.

## §. II.

Longinus in fronte libri *Π. Υ.* vocatur *Dionysius Longinus d)*, a Photio Lex. MS. v. *Σέρφοι*, *Cassius Longinus*, a Suida v. *Λογγῖνος*, *Longinus Cassius*, cognomine praeposito gentili nomini. Quam nominum transpositionem Graecis aut solis, aut maxime usitatam dicit Reimarus in Vita Dion. Cassii p. 1534. Sed multis exemplis planum fecit Dukerus ad Flor. II. 2. 11. Latinos scriptores eandem rationem frequentare; eamque argenteae, quam vocant, aetati inprimis vindicavit Lipsius ad Senec. de Tranq. an. 14. Plenum igitur hominis nomen erat *Dionysius Cassius Longinus*. Graeco *Dionysii* nomini, quod infans acceperat, Romanum *Cassii Longini* accessit, sive quod ipse in familiae Cassiae Longinae clientelam receptus esset, sive quod ejus majores per aliquem ex Cassiis Longinis civitatem accepissent. De quo more Graecis barbarisque

d) Constat, Hier. Amatium, Biblioth. Chisianae praefectum, et nuperrimum Longini Editorem Benj. Weiskium, contrariam vulgo receptae sententiam tueri, censentes auctorem libri *περὶ ὕψους* non esse Longinum, de quo Ruhnkenius hic disputavit, sed alium excellentioris ingenii et doctrinae hominem, qui Augusti fere vixerit aetate: movit eos potissimum inscriptio Codicis Vaticani, *Διονυσίου ἢ Λογγίνου*. Vid. Weiskii Praef. p. XVII. et XXIV. Annot. p. 213 — 218. Add. p. 634. *B.*

frequentissimo videndus Henr. Cannegieterus de Nominib. cap. VI. Certe melior est haec ratio illa Fabriciana Bibl. Gr. T. IV. p. 435. qua Longinum nepotem facit Cassii Longini apud Plutarch. Symp. IX. 1. quamvis contextus facile doceat, illum Longinum, non Graecum, sed unum quem e proceribus Romanis fuisse. Et quoniam de Longini nomine dicere coepimus, hoc quoque notandum videtur, eum nunquam simpliciter *Dionysii*, semel *Dionysii Longini*, bis terve *Cassii Longini*, plerumque uno *Longini* nomine laudari. Quam observationem si quis minutam et contemnendam dicat, is sciat, eam mox nobis in gravioribus profuturam.

## §. III.

Quo anno Longinus natus sit, nemo commemoravit, satis habentibus antiquis scriptoribus, tempus, quo summam ingenii gloriam attigisset, designare. Photius Bibl. Cod. CCLXV. p. 1470. *ἐπὶ Κλαυδίου δὲ Λογγῖνος ἤκμαζε.* Georg. Syncellus Chron. p. 384. *ἐφ' οὗ (Αὐρηλιανοῦ) φασὶ Φιλόστρατον τὸν Ἀθηναῖον ἱστοριογράφον, καὶ Λογγῖνον ἀκμάσαι.* Sed quid natalem diem annumve scire attinet, cum aetas ejus satis certis et perspicuis indiciis teneatur? Nam si magistrum viginti annis discipulo Porphyrio, qui A. C. 233. natus est, grandiorem fuisse ponamus, natalis ejus incidit in A. C. 213. vixitque adeo Longinus sexaginta annos, quoniam certum est, eum A. C. 273. periisse. Non minus incertus est ejus locus natalis. Abr. Sellerus Ant. Palmyr. p. 288. Palmyrenum esse suspicatur; Syrum vel Emisenum Gabriel de Petra, cui Holstenius de Vita Porphyr. cap. 5. accedere videtur; Pamphylium Langbaenius, quippe Dionysium Longinum perperam confundens cum Dio-

nysio Phaselite. Syrum viri docti Longinum faciunt hoc argumento, quod mater Syra fuit, et quod ex Vopisco in Aurelian. 30. sibi collegisse visi sunt, Longinum Syriacae linguae peritum fuisse. At scierit Syriace, nihil impedio: quamvis id ex ambiguo Vopisci loco vix intelligi possit: num idcirco statim in Syria natus putandus est? Ejus enim linguae vel a matre in Graecia, vel a Palmyrenis, apud quos postea vixit, discendae facultatem habuit. Equidem multo pronior sim in sententiam Jo. Jonsii de Script. Hist. Phil. III. 14. Athenas Longino patriam tribuentis. Hic certe ejus avunculus, Phronto, Emisenus, ex cujus sorore Phrontonide natus est Longinus, artem rhetoricam docebat. Qua de re egregius est locus Suidae: *Φρόντων Ἐμισηνὸς, ῥήτωρ, γεγονὼς ἐπὶ Σευήρου τοῦ βασιλέως ἐν Ῥώμῃ· ἐν δὲ Ἀθήναις ἀντεπαίδευσε Φιλοστράτῳ τῷ πρώτῳ, καὶ Ἀψίνῃ τῷ Γαδαρεῖ. ἐτελεύτησε δὲ ἐν Ἀθήναις, περὶ ξ' ἔτη γεγονώς· καὶ ἀδελφῆς Φροντωνίδος παῖδα ὄντα Λογγῖνον τὸν Κριτικὸν κληρονόμον κατέλιπεν. ἔγραψε δὲ συγγνοὺς λόγους.* Hunc Phrontonem, Graecum rhetorem, Langbaenius et alii, qui Longini vitam enarrarunt, errantem ducem, Jo. Rualdum in Plutarchi Vita cap. 5. secuti, temere confuderunt cum oratore Romano, M. Cornelio Frontone, M. Antonini Philosophi in Latinis literis magistro, de quo vide Capitolin. in M. Anton. 2. Quem errorem, nuper etiam repetitum ab historiae philosophicae compilatore *e)* T. II. p. 214. ita confutavit vir doctissimus, Eduardus Corsinus in Plutarchi Vita §. 5. dicere ut contra posse nemo videatur. Phronto, dum vixit, Longinum in filii modum amavit, et moriens bonorum suorum heredem scripsit. Nec dubitari potest, quin idem ejus ingenium ad omnem

*e)* Bruckero. cf. Elog. Hemsterh. supra p. 253. *B.*

humanitatem finxerit, eique viam, qua ad veram eloquentiam iretur, monstarit, praesertim cum aemulatio, Phrontoni cum Philostrato et Apsine intercedens, cujus Suidas mentionem facit, vix sineret sororis filium aemulorum disciplinae commendari.

## §. IV.

Ipse Longinus in Praefatione luculenta libri *περὶ τέλους*, quam Porphyrius in Vita Plotini p. 127. conservavit, narrat, se ab ineunte aetate cum parentibus multa itinera obiisse, multas regiones lustrasse, et omnes, qui clarum in philosophia nomen haberent, per hanc peregrinandi opportunitatem vidisse. Et quo, quantam facultatem habuerit optimi cujusque magistri sibi legendi, facile judicari potest. Ex Platonicis vidit Euclidem, Democritum, Proclinum, Ammonium Saccam, Origenem, Plotinum, Amelium, Theodotum, Eubulum: e Stoicis Themistoclem, Phoebionem, Annium, Medium, Herminum, Lysimachum, Athenaeum, Musonium: ex Peripateticis Heliodorum Alexandrinum, Ammonium, Ptolemaeum. Quorum omnium, si Ammonium Saccam, Origenem, Plotinum et Amelium excipias, vix tenuis notitia ad nos pervenit, propterea quod alii nihil literis prodiderunt, aliorum libros vetustas intercepit. Democritus scripsit Commentarium in Platonis Alcibiadem, quem laudat Olympiodorus Commentario MS. in eundem dialogum p. 29. B. *Τὸ εὖ λέγεις, ὁ μὲν Δημόκριτος ἐπίκλην χνα, διότι μετρούμενον τὸ ὄνομα αὐτοῦ χνα* (i. e. 651.) *ποιεῖ, ὡς ἀπὸ Σωκράτους ἐκδέχεται. ὁ δὲ Δαμάσκιος, ὡς ἀπὸ Ἀλκιβιάδου. καὶ ἄμεινον τὸ δεύτερον.* item Commentarium in Phaedonem, qui ab eodem Olympiodoro in eundem dialogum commemoratur: *Ὅτι τὴν γῆν, οἱ μὲν ἀσώματον φασὶ τὴν ἐνταῦθα λεγομένην,*

οἱ δὲ σωματικήν. καὶ τούτων ὅλον μὲν τὸν κόσμον, Ἀρποκρατίων, τὸν δὲ ὑπὸ σελήνην, Θεόδωρος. τῶν δὲ ἀσωμάτων, τὴν μὲν ἰδέαν Δημόκριτος, τὴν δὲ φύσιν, Πλούταρχος. Ejusdem Democriti mentionem facit Syrianus Commentario MS. in Aristotelis Metaphysica: μηδὲ Πλούταρχον καὶ Ἀττικὸν καὶ Δημόκριτον τοὺς Πλατωνικοὺς κατ' αὐτὸ τοῦτο ζηλοῦμεν. Ptolemaeum Peripateticum Fabricius Bibl. Gr. T. II. p. 310. laudari putat a Sexto Empiric. adv. Gramm. I. 3. p. 229. In quo virum egregium ratio fallit. Nam primum Ptolemaeus, quem Longinus vidit, per temporis rationes vix potuit a Sexto Empirico commemorari. Deinde Longinus diserte testatur, eum nihil, praeter carmina et declamationes, scriptum reliquisse. Ammonio Peripatetico hanc insignem variae copiosaeque eruditionis laudem tribuit Longinus: οὐ γάρ ἐστιν, ὅστις ἐκείνῳ γέγονεν εἰς πολυμάθειαν παραπλήσιος. a cujus judicio non discrepat Philostrat. Vit. Sophist. II. 27. p. 618. Ἱππόδρομος πλεῖστα ἀνέγνω μετά γε Ἀμμώνιον τὸν ἀπὸ τοῦ Περιπάτου. ἐκείνου γὰρ πολυγραμματώτερον ἄνδρα οὔπω ἔγνων. ubi Peripateticum Ammonium cum Platonico a Gothofredo Oleario confundi, nemo miretur, cum hic etiam errarit Jonsius, tanto doctior et sollertior, de Script. Hist. Phil. III. 13. p. 282. Vide Fabricium Bibl. Gr. T. IV. p. 172.

## §. V.

Hi sunt ineuntis seculi tertii philosophi, cogniti omnes a Longino. In quibus cum ingenio scientiaque longe excellerent Ammonius Saccas et Origenes, horum se potissimum disciplinae tradidit, iisque audiendis multum temporis consumsit. Ipsum testem audiamus in Praefatione libri περὶ τέλους· Τοῦ δὲ δευτέρου τρόπου

Πλατωνικοὶ μὲν Ἀμμώνιος καὶ Ὠριγένης, οἷς ἡμεῖς τὸ πλεῖστον τοῦ χρόνου προσεφοιτήσαμεν, ἀνδράσιν οὐκ ὀλίγῳ τῶν κὰθ' ἑαυτοὺς εἰς σύνεσιν διενεγκοῦσιν. Alexandriae tum philosophiam Platonicam docebat Ammonius, cui, quod juvenis saccis portandis victum quaesisset, scurrilis Alexandrinorum dicacitas cognomen *Saccas* indidit, non dissimile nomini *Cybiosactes*, quo, ut Suetonius in Vespas. 19. auctor est, olim unum e regibus suis, post Vespasianum notarant. Magna hujus philosophi fama erat, partim justis de caussis orta, partim ab adolescentibus, temere, ut fieri solet, novitatem disciplinae mirantibus, commota. Etenim rem inauditam ac prope incredibilem profitebatur, se ex diversarum sectarum sententiis unum quasi philosophiae corpus confecturum, Platonemque cum Aristotele in concordiam redacturum. Sed de Ammonio tanto minus hic dicere necesse est, quod tota philosophandi ratio, quam secutus est, e Plotino, ejus discipulo, qui illam literis prodidit, intelligitur. Vide e veteribus Hieroclem apud Photium Bibl. Cod. CCXIV. p. 550. e recentioribus Moshemium Dissert. de turbata per Platonicos Ecclesia §. 7. seqq. et Histor. Christian. seculi II. §. 27. seqq. quanquam is in multis fingenti, quam docenti similior est. Alter Longini magister erat Origenes, omnium Ammonii discipulorum, si Plotinum excipias, nobilissimus, quem Suidas v. Ἀμέλιος cum Ammonio conjungit. Hierocles l. c. p. 554. οὗ τῶν γνωρίμων οἱ ἐπιφανέστατοι Πλωτῖνός τε καὶ Ὠριγένης. Multi *f)* hunc Origenem, a Christianis sacris alienum, confundunt cum inclyto illo Origene Adamantio, Ammonii et ipso discipulo, tanquam Jo. Jonsius de Script. Hist. Phil. III. 16. p. 293. et Jo. Pearsonus Proleg. in Hierocl. p. 29. revocans

*f)* Probant ad Eunap. Boissonadius p. 167. et Wyrtenb. p. 40. *B.*

tamen errorem suum Vindic. Ignat. II. p. 10. Sed quomodo distinguendi sint, praeclare docet H. Valesius ad Euseb. H. E. VI. 19. quem, praeter ceteros, sequitur Huetius Origenian. I. 7. Quanti Plotinus Origenem fecerit, testimonio sit, quod narrat Porphyrius in Plotini Vita p. 116. Cum Origenes forte Romae in Plotini scholam venisset, tantus illi rubor suffusus est, ut statim docendi finem faceret, grave esse dicens disserere, praesentibus iis, qui, quae traduntur, aeque teneant, atque ipse, qui docet. Ob quam cum Plotino et Porphyrio consuetudinem, Romae institutam, Origenes ab Eunapio in Porphyr. p. 17. Porphyrii condiscipulus vocatur, frustra, ut nobis videtur, Huetio l. c. tertium aliquem Origenem ex illo loco fingente. Longinus autem non Romae, sed Alexandriae, Origenem audivit, quod, quo tempore Origenes Romae cum Plotino et Porphyrio versabatur, ipse jam dudum Athenis bonas artes tradiderat, Porphyriumque formarat. Idem in Praefatione libri περὶ τέλους, quam non semel laudavimus, testatur, Origenem nihil de philosophia literarum monumentis mandasse, et, si quid extet, velut liber περὶ δαιμόνων, levioris operae esse, atque aliud agenti excidisse. Ex illo libro quaedam affert Proclus in Platonis Timaeum p. 24. Alium ejus libellum laudat Porphyrius in Plotini Vita, p. 97. ὅτι μόνος ποιητὴς ὁ βασιλεύς. de qua inscriptione alii aliter. Valesius ad Euseb. l. c. libellum, suspicatur, comparatum fuisse ad Imperatoris Gallieni facultatem poëticam laudandam. Cujus opinionem merito repudiat Fabricius Bibl. Gr. T. IV. p. 97. Nam neque Originem, primum Graecum, deinde philosophum, decebat, sibi de versibus Latinis judicium arrogare, neque tam foeda ignavissimi Imperatoris adulatio in gravem philosophum cadebat. Melius igitur alii sensum philosophicum in hoc indice quaesiverunt, ut Bruckerus

Hist. Phil. T. II. p. 216. quamvis, qualis fuerit, nemo expediverit. Nobis in mentem venit legere: ὅτι νοῦς ποιητὴς καὶ βασιλεὺς, id est, *mentem hoc universum condidisse, et conditum regere.* Ita liber scriptus est ad refellendos ejus aetatis philosophos, qui tria rerum principia statuerent, de quibus vide Th. Galeum ad Jamblich. de Myster. p. 297. et R. Cudworth. System. Intell. T. I. p. 884. et ad confirmandam sententiam Platonis Phileb. p. 79. D. πάντες γὰρ συμφωνοῦσιν οἱ σοφοὶ, ἑαυτοὺς οὕτω σεμνύνοντες, ὡς νοῦς ἐστι βασιλεὺς ἡμῖν οὐρανοῦ καὶ γῆς. ubi Olympiodorus Commentar. MS. laudat simile Orphicum: νοῦς δέ οἱ ἀψευδὴς βασιλήϊος. Ita versus scribendus, non, ut in Orphei Fragmentis Gesnerianis p. 410. editus est: νοῦς δὲ οἷα ψευδὴς βασιλήϊος. His Origenis libris adde ejusdem Commentarium in Timaei Platonici prooemium, saepe a Proclo in eundem Tim. laudatum, in quo interdum a Longino, qui illud ipsum prooemium singulari libro explicuerat, dissentit, ut cognoscere licet ex Proclo p. 10. 26. in his autem Origenianis scriptis, subitariis et temere fusis, non mirum est, si gratiam orationis et venustatem requirat Eunapius in Porphyr. p. 17. Hactenus de altero Longini in philosophia magistro, Origene.

## §. VI.

Jam etsi Longinus Ammonium, Origenem, Ammoniique discipulum, Plotinum aliis aetatis suae philosophis anteferebat, non tamen idcirco existimandus est, philosophandi rationem, quam illi sequerentur, per omnia probasse; praesertim cum dissensionem suam a multis Plotinianis, aut, si malis, Ammonianis decretis aperte prae se ferat in Epistola ad Porphyrium, quam

ille inseruit Plotini Vitae p. 125. Longinum ignoret oportet, qui tali ingenio placuisse credat duram et contortam philosophorum, qui conciliari nollent, conciliationem, insanum allegorici sive secretioris sensus quaerendi studium, mysticas disputationes de Deo, divinisque emanationibus, et daemonibus, quibus omnes illorum libri sunt referti, alia denique multa, hic non attingenda, quibus tum vera et sincera Platonis philosophia foedum in modum adulterabatur. Non ille e turbidis recentiorum Platonicorum hauriebat rivulis, sed liquidos purosque antiquorum philosophorum, maxime Platonis, fontes consectandos putabat. Quo nomine *φιλαρχαῖος* verissime appellatus est a Porphyrio in Vita Plotini p. 116. *ἀναγνωσθέντος δὲ αὐτῷ τοῦ τε περὶ ἀρχῶν Λογγίνου, καὶ τοῦ Φιλαρχαίου.* quod Ficinus ita vertit: *Quum liber Longini et Phylarchei de Principiis lectus esset.* Sed cui vel fando auditus est philosophus *Phylarcheus?* Paulo prudentius Langbaenius in Vita Longini, et Valcs. de Critica I. 17. *φιλαρχαῖος* libri indicem esse conjecerunt. Sed Porphyrii verba corrupta sunt, quibus facile sic medeare: *ἀναγνωσθέντος δὲ αὐτῷ τοῦ περὶ ἀρχῶν Λογγίνου, τοῦ φιλαρχαίου.* id est, *cum ei lectus esset liber Longini, priscae sapientiae studiosi, de Principiis.* Quam Porphyrii mentem vidit etiam Fabricius Bibl. Gr. T. IV. p. 116. et 436. Omnino germanum Platonicum fuisse Longinum, non modo clarum est ex libris, aut fragmentis potius librorum, quae supersunt, sed multo magis ex Commentariis ad Platonem interpretandum comparatis. Ejus Commentarium in Phaedonem memorat Olympiodorus Commentario inedito in eundem dialogum p. 379. D. *Πᾶς διὰ τὰ χρήματα πάντες οἱ πόλεμοι γίνονται; πολλοὶ γὰρ καὶ δι' ἄλλας αἰτίας ἐγένοντο. ῥητέον οὖν, ὡς μὲν Ἀρποκρατίων, ἢ ὅτι ἐπὶ τὸ πλεῖστον, ἢ ὅτι καὶ ἡ τῶν*

λαφύρων ἐλπὶς ἐπιτείνει τὸν πόλεμον. ὡς δὲ Λογγῖνος, τὰ ἐκτὸς πάντα χρήματα καλεῖ. οἱ δὲ Ἀττικοὶ ἐξηγηταὶ, ἐπειδὴ ὀργάνοις χρῶνται τοῖς χρήμασι πάντες οἱ πολεμοῦντες. Ejusdem Commentarium in Timaeum, vel potius in prooemium Timaei, saepe laudat Proclus in eundem dialogum, tanquam p. 10. 11. 16. 20. 21. 29. 50. 63. 98. Non facile putem, ullum interpretem tantis ingenii et doctrinae praesidiis ad scriptorem aliquem explicandum, quantis Longinus ad Platonem, accessisse. Cujus libros utinam fanaticorum interpretum, Procli, Hermiae et Olympiodori jactura redimere liceret! Paucas admodum Longini explicationes Proclus, quippe veram interpretandi rationem, qua ille utebatur, prae mystica sua contemnens, afferendas putavit. Tamen ex paucis illis apparet, eum non solum res, sed, quoniam Plato a scribendi quoque elegantia spectari voluit, etiam verba persecutum esse. Juvat aliquot, exempli caussa, apponere. Ad Tim. p. 523. A. hanc annotationem laudat Proclus p. 19. Λογγῖνος μὲν ἐν τούτοις ὠραΐζεσθαι τὸν Πλάτωνα φησὶ, διὰ τῶν παραβολῶν καὶ τῆς τῶν ὀνομάτων χάριτος, καλλωπίσαντος (lege, καλλωπίσαντα) τὸν λόγον, ἐνδεικνύμενος εἴς τινας Πλατωνικοὺς, αὐτοφυῆ τὴν ἑρμηνείαν ταύτην, ἀλλ' οὐκ ἐκ τέχνης πεπορισμένην τῷ φιλοσόφῳ λέγοντας. εἶναι μὲν γὰρ τὴν ἐκλογὴν τῶν ὀνομάτων πεφροντισμένην τῷ Πλάτωνι καὶ οὐ κατὰ τὸ ἐπιτυχὸν ἕκαστα λαμβάνειν αὐτόν. ἀλλὰ τοῦτο μὲν εἴποι ἄν τις ἀπὸ τῆς κοινῆς τῆς τότε καὶ συνήθους ἑρμηνείας ἥκειν καὶ εἰς αὐτόν. πολλὴν δὲ αὐτὸν ποιεῖσθαι καὶ τῆς συνήθους προμήθειαν. θᾶττον γὰρ ἂν τὰς ἀτόμους Ἐπικούρου συνελθούσας ποιῆσαι κόσμον, ἢ ὀνόματα ὡς ἔτυχε συγκείμενα καὶ ῥήματα λόγον κατωρθωμένον. Πλάτωνα δὲ ἐν μὲν τῇ χρήσει τῶν ὀνομάτων ἠτιάσαντο τινὲς, ὡς μεταφοραῖς χρώμενον. περὶ δὲ τὴν συνθήκην, ἅπαντες θαυμάζουσιν. ἀλλ' ὅμως οὐδὲ ἐκ ταύτης μόνον ἄν τις

λάβοι τὴν περὶ τὴν ἑρμηνείαν αὐτοῦ φροντίδα, ἀλλὰ ἐκ τῶν τοιούτων ἐπιτηδεύσεων, οἵαν ἐν τούτοις ἐπιδείκνυται. οὐ γὰρ ἁπλῶς λέγει ὁ Σωκράτης ὃ πεθεῖ γενέσθαι αὐτῷ παρὰ τῶν ἀμφὶ Τίμαιον, ἀλλ' ὡραϊζομένῳ πως ἔοικε, καὶ ψυχαγωγοῦντι τὸν ἀκροατήν. ubi verbum, quod excidit, sic revocandum videtur: ὡς μεταφοραῖς κατακόρως χρώμενον. Dionys. Halic. de Thucyd. pag. 161. ὅταν μὲν αὐτῇ χρήσηται κατακόρως. Jo. Siceliota Commentario MS in Hermogenem, de Procopio Gazaeo: ἀκαίρως μὲν καὶ κατακόρως χρώμενος ταῖς τροπαῖς καὶ ἐπιθέτοις ἐν τοῖς λόγοις. Rhetor MS. in Bibl. Medicea: οὐ δεῖ κατακόρως ταῖς γνωμολογίαις κεχρῆσθαι. Neque enim omnem metaphorarum usum, sed nimiam frequentationem veteres in Platone reprehenderunt, ipso Longino docente in alio opere Π. Υ. §. 32. Ex eodem ad Tim. p. 523. C. hanc annotationem excerpsit Proclus p. 21. Ὁ Λογγῖνος τὴν λέξιν θεωρεῖν οὐχ ἁπαξιῶν, ἐκεῖνο μὲν τὸ κῶλον ἐν ᾧ φησὶν, τὸ δὲ τῶν σοφιστῶν φοβοῦμαι, μή πως ἅτε πλανητὸν ὂν, ἀρχόμενον (lege, ἀρχομένου) φησὶν εἶναι διὰ σεμνότητος ἔφεσιν τὴν φράσιν ἐξαλλάττειν. τὸ δὲ ἑξῆς, ὅσα ἂν οἱάτε ἐν πολέμῳ καὶ μάχαις πράττοντες καὶ τὰ ἐχόμενα, διαστρέφοντος εἶναι τὴν φράσιν ἀπὸ τοῦ κατὰ φύσιν. τὸ δὲ τρίτον τὸ, καταλέλειπται δὴ τὸ τῆς ἡμετέρας ἕξεως γένος, παντελῶς ἀλλόκοτον εἶναι. μηδὲν γὰρ ἀπεοικέναι τοῦ βίη Ἡρακλείη, καὶ ἱερὴ ἷς Τηλεμάχοιο, καὶ ὅσα τοιαῦτα. Ad Tim. p. 523. F. haec habet Proclus p. 26. Λογγῖνος μὲν ἠπόρει, τί ποτε βούλεται τῷ Πλάτωνι τούτου τοῦ διηγήματος ἡ παράθεσις. οὔτε γὰρ ὡς διαναπαύων τοὺς ἀκροατὰς, οὔτε ὡς δεόμενος πεποίηται τὴν μνήμην. καὶ ἔλυεν ὡς ᾤετο λέγων, ὅτι πρὸ τῆς φυσιολογίας παρέλαβεν αὐτὸ ψυχαγωγῶν τὸν ἀκροατὴν, καὶ τὸ τῆς ἑρμηνείας ἐκείνης αὐχμηρὸν προθεραπεύων διὰ τῆς τούτου παραθέσεως. Hanc Longini rationem eo minus spreverim, quod totum prooemium Timaei Platonici

membrum esse videtur cum corpore parum cohaerens. Cujusmodi prooemia veteres in Heraclidae Pontici et Theophrasti dialogis reprehenderunt. Proclus Commentario MS. in Platonis Parmenidem, ubi omnia Platonis prooemia dialogorum argumentis consentanea esse contendit, sic ait: *Τὸ δὲ παντελῶς ἀλλότρια τὰ προοίμια τῶν ἑπομένων εἶναι, καθάπερ τὰ τῶν Ἡρακλείδου τοῦ Ποντικοῦ καὶ Θεοφράστου διαλόγων, πᾶσαν ἀνιᾷ κρίσεως μετέχουσαν ἀκοήν.* Sequuntur haec apud eundem Procl. p. 27. *παλαιὸν ἀκηκοὼς λόγον οὐ νέου ἀνδρός.*] *Λογγῖνος μὲν ἐν τούτοις ἐπισημαίνεται πάλιν, ὅτι φροντίζει καὶ ὀνομάτων ὥρας καὶ ποικιλίας ὁ Πλάτων, ἀπαγγέλλων ἄλλως τὰ αὐτά. τὸ μὲν γὰρ ἔργον, ἀρχαῖον ἐκάλεσε, τὸν δὲ λόγον, παλαιὸν, τὸν δὲ ἄνδρα, οὐ νέον, καίτοι ταυτὸν διὰ πάντων σημαίνων, καὶ δυνάμενος πάντα ὡσαύτως προσειπεῖν.* Paucis interjectis idem p. 28. *εἶπεν οὖν τις τῶν φρατόρων*] *Πάλιν ἐν τούτοις, οἱ μὲν τῆς λέξεως φιλοθεάμονες ἐπισημαίνονται τοῖς αὐτῶν ἐρασταῖς, ὅτι Σόλωνος ἐπαινεῖ τὴν ποίησιν ὁ Πλάτων ἀσφαλῶς, ἰδιώτῃ τὸν ἔπαινον ἀναθεὶς, καὶ εἰς χάριν ἄλλων, ἀλλ' οὐ κατὰ νοῦν λέγοντι καὶ λόγον. εἴπερ γάρ τις ἄλλος καὶ ποιητῶν ἄριστος κριτὴς ὁ Πλάτων, ὡς καὶ Λογγῖνος συνίστησιν.* Ita cum Longinus philosophiae severitatem exquisitioris doctrinae suavitate temperarit, quid miramus, si, qui se res, non verba sectari jactarent, parum magnifice de illo senserint? Plotinus quidem, durior ad haec studia, lecto ejus libro *περὶ ἀρχῶν*, teste Porphyrio in ejus Vita p. 116. exclamavit: *Φιλόλογος μὲν ὁ Λογγῖνος, φιλόσοφος δὲ οὐδαμῶς g).* Quam vocem, velut oraculo

---

g) Cujus dicti, hinc relati in censuram Ruhnkenianae Disputationis Biblioth. Crit. Vol. I. P. I. p. 121, vulgo autem non satis intellecti, vim et sententiam explanavit Cl. Wyttenbachius Philom. L. I. p. 78. confirmavitque postea notatione

missam, repetit Proclus, eruditior ille quidem Plotino, sed eodem morbo laborans, in Platonis Tim. p. 27. Sed hujus judicii iniquitas unde profecta sit, non est difficile intelligere. Urebat haud dubie hominem, suam de Ideis sententiam, quam discipuli, ut fit, laudibus in coelum ferrent, idoneis rationibus a Longino oppugnari. Huc adde, barbarae et spinis metaphysicis horridae sapientiae nunquam bene convenire cum elegante et diserta. Etiam nunc reperiuntur, praesertim de scholastica Wolfii disciplina, qui paullo elegantius philosophantes, philologos potius, quam philosophos appellent.

## §. VII.

At vero, quem nos Platonicum philosophum dicimus, Porphyrius apud Eusebium H. E. VI. 19. pro Pythagorico habuisse videtur: *συνῆν γὰρ Ὠριγένης ἀεὶ τῷ Πλάτωνι, τοῖς τε Νουμηνίου, καὶ Κρονίου, Ἀπολλοφάνους τε καὶ Λογγίνου, καὶ Μοδεράτου, Νικομάχου τε καὶ τῶν ἐν τοῖς Πυθαγορείοις ἐλλογίμων ἀνδρῶν ὡμίλει συγγράμμασιν.* Quem locum sine ulla scripturae varietate excerpsit Suidas v. *Ὠριγένης*. Fabricius quidem Bibl. Gr. T. I. p. 482. 494. credens, omnes philosophos, qui hic commemorentur, Pythagoricos esse, non dubitavit et Apollophanem et Longinum in Pythagoricorum catalogum referre. In quo fallitur vir doctissimus. Nam Apollophanes Stoicus fuit: Numenius, sicut Longinus, Platonicus; quamvis uterque de illius temporis more Pythagoricae doctrinae studium assumsisset. Alia difficultas haud paullo gravior, quam unus Valesius

---

omnium locorum Plotini, ubi dicitur *φιλόσοφος, φιλοσοφία, φιλοσοφεῖν*, in Epp. Sodal. Philom. p. 173. *B.*

pro sagacitate sua sensit, ex Porphyriano loco exoritur. Nam primum mirari subit, Longinum cum multo vetustioribus philosophis conjungi: quod artis criticae perito statim suspicionem injiciat corruptelae, in Longini nomine haerentis. Tum acrius telum, quod vulgatam lectionem prorsus jugulet, nobis temporum suppeditat ratio. Nego enim, Origenem Adamantium, eumque juvenem, Longini libros legere potuisse, quod, quo tempore Origenes juvenis philosophiae operam dabat, hoc est, sub ipsum initium seculi tertii, nondum lucem viderat Longinus. Quid igitur? Nempe pro *Λογγίνου* scribendum *Ἀλβίνου*. *Albinus*, philosophus Platonicus, qui vulgo male *Alcinous* appellatur, Origeni viam praeire potuit ad Platonem intelligendum, quippe aetate superior Origene, et jam Galeno de libris suis, T. IV. p. 372. laudatus. Ejus duplex exstat libellus, quorum alter tradit *ordinem, quo Platonis dialogi legendi sint*, alter *Epitomen doctrinae Platonis*. Priorem nostra demum aetate protulit Fabricius Bibl. Gr. T. II. p. 44. quem adeat, qui de Albino plura cognoscere velit.

## §. VIII.

Longinus vero, cum justas doctrinae copias et a magistris Alexandrinis, et ab aliis, quos in peregrinatione audierat, summo sibi studio parasset, eas Athenis, ubi natus educatusque erat, explicare instituit, docuitque juvenes haec studia aemulantes tanta assiduitate, vix ut ei tempus superesset ad condenda eloquentiae suae monimenta, si vera nobis narrat Joannes Siceliota Commentario MS. in Hermogenem *περὶ ἰδεῶν· ὁ μὲν γὰρ Λογγῖνος περὶ τὸ διδάσκειν μόνον ἐνασχολούμενος, καὶ περὶ τὸ γράφειν τελείας ὑποθέσεις οὐκ ἔχων καιρὸν, τὸ*

τῆς Ὁμήρου (Il. I. 323.) πέπονθεν ὄρνιθος, λιμώττουσαν τοὺς νεοττοὺς τρέφειν. de quo loco mox plura dicemus. Hic ejus disciplina usus est Malchus, domo Tyrius, cujus patrium nomen, Graecis auribus molestum, Longinus in Πορφύριος mutavit, forte Aristotelem, qui ex Tyrtamo fecerat Theophrastum, imitatus. Eunapius in Porphyr. pag. 13. Μάλχος δὲ κατὰ τὴν Σύρων πόλιν ὁ Πορφύριος ἐκαλεῖτο τὰ πρῶτα. τοῦτο δὲ δύναται βασιλέα λέγειν. Πορφύριον δὲ αὐτὸν ὠνόμασε Λόγγῖνος, ἐς τὸ βασιλικὸν τῆς ἐσθῆτος παράσημον τὴν προσηγορίαν ἐπιτρέψας. Qua in re Eunapii diligentiam requirit Valesius de Crit. I. 18. Neque enim Longinus, sed Amelius nominis Tyrii in Graecum Βασιλεὺς mutandi auctor fuit, ipso Porphyrio teste de Vita Plotini p. 120. Βασιλεὺς etiam, non Πορφύριος, vocatur a Longino in Praef. libri περὶ τέλους p. 181. Quae facile conciliantur *h)*, si dicamus, Malchum quidem primum ab Amelio Βασιλέα, mox a Longino ejusdem fere potestatis, sed gratioris soni nomine, Πορφύριον appellatum esse. Sed hoc utcunque accipiatur, parum referre arbitror. Illud magis convenit quaerere, quid Longinus Athenis professus sit, artemne criticam, vel grammaticam, ut Langbaenio in ejus Vita videtur, an philosophiam, ut Valesio ad Euseb. H. E. VI. 19. et de Crit. I. 17. Priorem sententiam confirmat Eunapius, Porphyrii in Grammaticis et Rhetoricis magistrum edens Longinum, in Porphyr. p. 13. παρ' ἐκείνῳ δὴ τὴν ἄκραν ἐπαιδεύετο παιδείαν, γραμματικῆς τε εἰς ἄκρον ἁπάσης ὥσπερ ἐκεῖνος ἀφικόμενος καὶ ῥητορικῆς· πλὴν ὅσον οὐκ ἐπ' ἐκείνην ἔνευσε, φιλοσοφίας τε πᾶν εἶδος ἐκματτόμενος. At hoc non persuadet Valesio de Crit. l. c. quia Porphyrius ipse Quaest. Homer. 25. suum in arte gram-

*h)* Tuetur item Wyttenb. ad Eunap. p. 29. *B.*

matica Athenis praeceptorem, non Longinum, sed Apollonium, praedicat. Praeterea rem conficere Valesio videtur Longinus Praefatione saepe laudata libri περὶ τέλους p. 131. ubi suae disciplinae philosophicae Plotinianam a Porphyrio praelatam narrat: ὃν (Πλωτῖνον) ἀποδεξάμενος μᾶλλον τῆς παρ' ἡμῖν ἀγωγῆς. *Philosophus* etiam diserte vocatur a Vopisco in Aurelian. 30. et Suida v. Λογγῖνος. Item Scholia Longini in Hephaestionem de Metris in Cod. Vatic. inscribuntur: ἐκ τοῦ Λογγίνου τοῦ φιλοσόφου. Tum dictum Plotini de Longino, quod supra retulimus, professione philosophum, non philologum, Longinum fuisse, ostendit, ut pulcre vidit Vales. l. c. Denique Πλατωνείων celebratio, quae ipsi tribuitur, non Grammaticis aut Rhetoribus, sed Philosophis, usitata reperitur. Porphyrius apud Euseb. P. E. X. 3. p. 464. Τὰ Πλατώνεια ἑστιῶν ἡμᾶς Λογγῖνος Ἀθήνησι, κέκληκεν ἄλλους τε πολλοὺς, etc. ubi deteriorum librorum scriptura, Πλωτίνεια, in fraudem inducti, Holstenius in Vita Porphyr. p. 11. et Langbaenius in Vita Longini, Plotini natalem a Longino celebratum putarunt. Verum nec Plotino magistro usus erat Longinus, nec tantum sibi auctoritatis Plotinus constituerat, ut Longinus talem ei honorem, praeteritis Ammonio et Origene, sub quibus profecerat, haberet. Excepit tum Longinus, ut hoc obiter addamus, sollemni convivio florem hominum eruditorum, Athenis degentium, Nicagoram Sophistam, Majorem, Apollonium Grammaticum, Demetrium Geometram, Prosenem Peripateticum, Calictem Stoicum, Caystrium et Maximum. Adfuit etiam Porphyrius, qui totam rem narrat, cum aliis pluribus. Ex his nonnulli sibi nomen apud posteros fecerunt, ut Nicagoras, quem Gothofr. Olearius ad Philostrat. de Vit. Sophist. II. 31. p. 624. turpi errore confundit cum Nicostrato, Rhetore M. Antonini

temporibus claro. Vide Suidam v. *Νικαγόρας*, et ibi Kusterum. Notus etiam est Major Sophista, ex Suida in v. et Scholiaste Hermogen. p. 130. Apollonium Porphyrii in Grammaticis magistrum fuisse, paullo ante diximus. Maximus, nescio, an sit philosophus, domo Tianus, cujus titulum sepulcralem Athenis vidit Sponius Miscell. erud. Antiq. p. 127.

*ΜΑΞΙΜΩ*
*ΤΙΑΝΩ*
*ΦΙΛΟΣΟΦΩ*

## §. IX.

Etsi vero Longinus se Athenis philosophum dici haberique voluit, hoc tamen non eam vim habet, ut, quod Valesius efficere tentat, se in docendo unius philosophiae finibus continuerit, nullam praeterea artem attigerit. Cum enim ipse, Platonis sui exemplo, ut bene judicat idem Valesius de Crit. I. 16. eloquentiam, et ceteras artes, quibus eloquentia alitur et augetur, cum philosophia conjunxisset, Criticesque studium Aristotelis aemulatione assumsisset, quae tandem sive lex, sive consuetudo illum impediit, quo minus suae quoque in hoc genere scientiae copiam discere cupientibus faceret? Porphyrium Criticam et Rhetoricam a Longino accepisse, disertus testis est Eunapius in ejus Vita p. 13. quem injuria reprehendi a Valesio, satis ostendit is, quem supra laudavimus, Joannes Siceliota MS. Longino non ambigue tribuens artis rhetoricae disciplinam. Verum tamen Critices scientia latius, quam philosophia, nomen suum illustravit, non quo hac facultate minus excelleret, ut Holstenium in Porphyr. Vita p. 29. existimasse video, sed quod, ut mea fert opinio, corrupta jam per recentiores Platonicos philosophia, serum erat,

homines ad veteres doctrinarum fontes, atque adeo ad sanam mentem revocare. Qui fanaticae philosophiae amor cum Porphyrium, discipulorum Longinianorum praestantissimum, ita infatuasset, ut, deserto Longino, ad Plotinum transiret, quid alios, minus acutos, et adversus novitatis illecebras minus cautos, fecisse arbitramur? Critica igitur docenda gloriam suam, omnium confessione, maxime fundavit. Quam artem, nemo nescit, partim ex insita ingenii sollertia, partim ex magna doctrinae copia efflorescere. Atque eruditionem Longini sic praedicat Eunapius in Porphyr. p. 13. *Λογγῖνος δὲ κατὰ τὸν χρόνον ἐκεῖνον βιβλιοθήκη τις ἦν ἔμψυχος, καὶ περιπατοῦν μουσεῖον i)*. Qui locus nobis in memoriam revocat similem apud Suidam v. *Μάρκελλος*. *Μάρκελλος, μάγιστρος Ἀρκαδίου τοῦ βασιλέως, κόσμος ἀρετῆς ἁπάσης. ἢ, τόγε ἁρμονικώτερον εἰπεῖν, ἀρετή τις ἔμψυχος*. Quem non dubitamus ex Eunapii historia, qua Arcadii quoque res gestas enarravit, sumtum esse. Ut Longinus *spirans bibliotheca* ab Eunapio, sic Pegasus, Jctus Romanus, quod tanta memoria erat, ut omnes leges, earumque rationes teneret, *liber* dictus est. Scholiast. Juvenal. ad Sat. IV. 77. *Pegasus juris studio gloriam memoriae meruit, ut liber vulgo, non homo diceretur*. Sunt fortasse haud pauci, quibus Eunapius Longinum pulcre et festive laudasse videatur. Certe *elegantissimum elogium* vocat Holstenius de Vita Porphyr. p. 28. Sed, ut sunt diversi sensus hominum, ego facile credam Tan. Fabro ad librum *Π. Υ.* sect. 3. Longinum ipsum, si sic se laudari audisset, non minus *viventem* istam *bibliothecam*, et *ambulans museum*, quam Gorgiae *vivum sepulcrum*, *τάφον ἔμψυχον*, ri-

i) Similia collegit Cl. Boissonadius ad Eunap. l. l. p. 155. Add. et Corr. p. 536. Nov. Add. et Corr. p. LVIII. *B.*

surum fuisse. Ab hac igitur facultate Longinus *Critici* nomen invenit, quod ei tribuitur a Sopatro Proleg. in Aristid. p. 3. Photio Bibl. Cod. CCLIX. pag. 1470. Suida v. *Λογγῖνος*, et v. *Πορφύριος*. Eundem Porphyrius in Vita Plotini, modo *κριτικώτατον*, modo *τὸν ἐν κρίσει πρῶτον ὄντα καὶ ὑπειλημμένον ἄχρι νῦν* appellat. Quid? uni omnium Longino, post Aristarchum, id honoris habitum est, ut ejus nomen simpliciter pro Critico poneretur, et *κατὰ Λογγῖνον κρίνειν* per proverbium pro *recte judicare* diceretur. Hieronymus Epist. 95. *Criticum diceres esse Longinum, censoremque Romanae facundiae.* Theophylactus, Bulgariae Archiepiscopus, Epist. 17. *μή μοι οὖν τὰς Λογγίνου κρίσεις περίαπτε, μὴ καὶ δόξῃς τισὶν αὐτός γε οὐ κατὰ Λογγῖνον κρίνειν.* Graeculus, teste Bandinio Catal. Biblioth. Laurent. T. II. p. 586. Aristidis Orationi in Minervam adscripserat: *Οὐδὲν ἔχει σπουδῆς ἄξιον.* quod judicium alius his verbis reprehendit: *Οὐχ ὡς κριτικὸς Λογγῖνος ταῦτα γράφεις.* Adde Vales. de Critic. I. 2.

## §. X.

Hic non alienum fuerit quaerere, quid tandem Longino Critici famam gloriamque inprimis confecerit? Utrum crisis in Homerum, quam laudat Eustathius ad Il. A. p. 67. et 106. an libellus *περὶ ὕψους*, in quo non pauca Critices exempla reperiuntur? Diversi generis opus fuisse, quicunque verba Eunapii in Porphyr. p. 13. diligentius perpenderit, facile intelligat: *καὶ κρίνειν γε τοὺς παλαιοὺς ἐπετέτακτο, καθάπερ πρὸ ἐκείνου πολλοί τινες ἕτεροι, καὶ ὁ ἐκ Καρίας Διονύσιος πάντων ἀριδηλότερος.* et paucis interjectis: *καὶ εἴ τις κατέγνω τινὸς τῶν παλαιῶν, οὐ τὸ δοξασθὲν ἐκράτει πρότερον, ἀλλ' ἡ Λογγίνου πάντως ἐκράτει κρίσις.* Fuit ergo liber, in quo

Longinus de antiquis scriptoribus in utramque partem judicaret, et quandam velut ingeniorum censuram ageret: quod e Graecis fecit Dionysius Halicarnassensis, e Latinis Quinctilianus decimo Institutionum Oratoriarum. Hoc opus, Longinianorum omnium facile praestantissimum, quoniam vulgo etiam ab hominibus doctissimis ignoratur, age, paullo accuratius spectemus. Titulus hic erat: *Οἱ φιλόλογοι*, id est, *variae eruditionis studiosi* k). Inscriptione fere similes sunt Varronis *Loghi-*

---

k) „Hanc viri docti rationem valde dubiam facit vel potius redarguit scholion vetustum, ab illustri et docto viro, BASTIO, nuperrime repertum et usui nostro benigne transmissum. Exstat illud, ut ipse nos docuit, in praestanti codice Paris. (Sec. X.) no. 1983. qui continet Hermogenem. Ad hujus verba, *ὡς τὸ στομφάζειν* (p. 90. ed. Ald.) scholion hoc adscriptum est:

*Στομφάζειν*] *τὸ στόμα διανοίγειν, καὶ ἦχον ἀποτελεῖν, ἀπό τε τοῦ στόματος καὶ τοῦ ὄμφακος. φησὶ δὲ Λογγῖνος ἐν κάτωνν φιλολόγων ὁμιλιῶν περὶ λέξεως στομφώδους, τὸ δέ στόμφαξ Ἀριστοφάνης ἐν νεφέλαις. ὡς συνθέτῳ χρῆται τῇ λέξει ἀπό τε τοῦ στόματος καὶ ὄμφακος, ἵνα λέγῃ ὄμφακα ἔχων τὸ στόμα, τουτέστιν ἄχρηστον καὶ ἀνωφελές. εἴρηται δὲ ἐπὶ Αἰσχύλου, ψόφου πλέον, ἀξύστατον, στόμφακα κρημνοποιὸν, ὡς τῶν ῥημάτων Αἰσχύλου φαντασίαν μὲν ἐχόντων, μηδεμίαν δὲ σύστασιν, μηδὲ κρότησιν. λέγει δὲ ταῦτα ὁ πρεσβύτης Στρεψιάδης, ὡς τοῦ παιδὸς αὐτοῦ Φιλίππου σκώπτοντος Αἰσχύλον.*

Addit vir doctus, hoc scholion nondum typis vulgatum videri, neque innotuisse Ruhnkenio et Brunckio. Quod Longini commemoretur *κα τῶν φιλολόγων ὁμιλιῶν*, eam esse plenam inscriptionem, nondum, quantum sciat, prolatam. Accurate descriptum esse a B. scholion, nemo dubitabit; sed tamen quo minus quis dubitet, aut *πλέων* et *Φειδιππίδου* in Cod. scriptum esse opinetur, ad *πλέον* et *Φιλίππον* minutis litteris adscripsit: „(sic)." Ergo secundum hujus scholii

*storici*, et Hieroclis *Φιλίστορες*, saepe veteribus laudati, sed argumento similior Telephi *ποικίλη φιλομαθία*, et Porphyrii *φιλόλογος ἱστορία*, de quibus vide Suidam v. *Τήλεφος*, et v. *Πορφύριος*, et Jo. Wowerium de Polymath. cap. XV. De magnitudine voluminis ex numero liborum judicare licet: quippe cujus liber XXI laudetur. Non una de caussa memorabilis est locus Joannis Siceliotae Commentario MS. in Hermogenem *περὶ ἰδεῶν*. Qui ubi disputat, posse aliquem de scribendi forma bene judicare, nec tamen ipsum bene scribere, et contra, hoc modo pergit: *αὐτίκα Λογγῖνος, ὡς οἱ φιλόλογοι δεικνύουσιν, ἄριστος ἐπιμερίσαι λόγων ἰδέας, δημιουργῆσαι δὲ τοιούτους ἥκιστα. καὶ Διονύσιος ὁ Ἁλικαρνασεὺς καὶ Σμυρναῖος ὁ Ἀριστείδης περὶ ἰδεῶν τι καὶ τέχνης γράψαντες, βούτα κάρας, ἡ παροιμία φησί·* (Lege, *βάτα κάρας*, et vide Gisb. Koenium, V. Cl. ad Gregor. de Dialect. p. 51.) *δημιουργοὶ δὲ λόγων πολλῶν καὶ καλῶν. εἰκότως. ἡ γὰρ πρὸς θάτερον σπουδή τε καὶ ἐπιμέλεια τὸ ἕτερον ὑφαιρουμένη παρευδοκιμεῖ. ὁ μὲν γὰρ Λογγῖνος περὶ τὸ διδάσκειν μόνον ἐνασχολούμενος, καὶ περὶ τὸ γράφειν τέλείας ὑποθέσεις οὐκ ἔχων καιρὸν, τὸ τῆς Ὁμήρου πέπονθεν ὄρνιθος, λιμώττουσαν τοὺς νεοττοὺς τρέφειν· οἱ δὲ τὸ ἀνάπαλιν.* ubi *ἐπιμερίσαι λόγων ἰδέας* intellige varias dicendi formas judicio distinguere, omninoque inveniendi vias et eloquendi artificia sub judicium vocare. Idem Rhetor alio loco sic ait: *φαίνεται δὲ ἡ ἀτοπία τοῦ ποιητοῦ* (Aeschyli) *μᾶλλον ἐν τῷ τῆς Ὠρειθυίας δράματι, ὅπου ταῖς δυσὶ σιαγόσι φυσσῶν ὁ Βορέας, κυκᾷ τὴν θάλασσαν. οὐ γὰρ φέρω ἐπὶ μνήμης τὰ ἰαμβικὰ, ἐπιλαθό-*

---

auctorem *φιλόλογοι* in ista operis inscriptione non est masculinum, sed femininum, subaudiendumque *ὁμιλίαι*. Ceterum et notandum verbum *στομφώδους*, idque B. significasse videtur linea subtus ducta." WEISKIUS. *B.*

μενος. διὸ καὶ Σοφοκλῆς μιμεῖται. (Lege, μὴ μιμεῖται) λέγει δὲ περὶ τούτων Λογγῖνος ἀκριβέστερον ἐν τῷ κᾱ. τῶν περὶ Φιλολόγων. De iisdem Aeschyli versibus Longinus etiam sententiam dixerat Π. Υ. sect. 3. In hoc autem loco libri index sic effertur, ut opinio Jonsii de Scriptor. Hist. Phil. III. 14. qua Longinum hoc opere de Philologis et Grammaticis egisse putat, confirmari videatur. Vel sic tamen scribendum: ἐν τῷ κᾱ. τῶν Φιλολόγων. Scholiastes MS. ad Aristid. T. I. p. 323. σημείωσαι ὅτι εἶπε κατορθώματα· φασὶ δὲ μὴ λέγεσθαι τὴν λέξιν. Λέγει δὲ ὁ Λογγῖνος ἐν τρίτῃ Φιλολόγων, ὅτι εὕρηται πολλαχῶς πολλαχοῦ. Auctor Vitae Apollonii Rhodii: Τάῤῥα δὲ πόλις Κρήτης, ὥς φησι Λογγῖνος ἐν τοῖς Φιλολόγοις. ubi Fabricius Bibl. Gr. T. IV. p. 444. perperam supplet βιβλίοις, vel συγγράμμασι. Exemplis enim, quae attulimus, satis effectum arbitramur, operis inscriptionem fuisse, οἱ Φιλόλογοι. Supersunt pauca Longini fragmenta, quibus, quid de antiquis scriptoribus judicarit, exponitur. Quale illud est apud Photium Bibl. Cod. CCLXV. p. 1470. τοῦ πρὸς Λεπτίνην λόγου τὸ προοίμιον Λογγῖνος μὲν ὁ Κριτικὸς ἀγωνιστικὸν νομίζει. — ἀλλὰ γὰρ ὁ μὲν Λογγῖνος τοιαύτην περὶ τοῦ προκειμένου προοιμίου τὴν ψῆφον ἐξάγει· ἕτεροι δὲ οὐκ ὀρθῶς ἔφασαν τὸ προοίμιον ἠθικὸν εἶναι. Quo exemplo perspicue expressa est illa ratio formarum eloquendi distinguendarum, quam Longinum ἐν τοῖς Φιλολόγοις secutum esse, Io. Siceliota tradit. Idem Rhetor MS. ex eodem, ni fallor, Longini libro hoc minime vulgare affert: ὅτι δὲ τοῦτο οὐ σπάνιον (videlicet ὅτι παρενεγκεῖν οἱ φιλόπονοι δύνανται τοὺς περιττοὺς τὴν φύσιν, de quibus in praecedentibus disputaverat) πλήρεις αἱ ἱστορίαι καὶ οἱ βίοι τῶν σοφιστῶν. μᾶλλον δ' ἐφ' ἑνὸς Μενελάου τοῦ ποιητοῦ τοῦτο κατίδοι τις ἂν, δυσκολίαν φύσεως φιλοπονίᾳ μεταβαλόντος εἰς τὸ ἀκριβές τε καὶ ἄμωμον, ὥς φησι καὶ Λογγῖνος. Vix no-

bis in tanta opportunitate temperamus, quin hujus Menelai, praesertim tantopere a Longino laudati, obliteratam fere memoriam in transcursu instauremus. De illo Suidas ita: *Μενέλαος, Αἰγαῖος, ἐποποιός. ἔγραψε Θηβαΐδα ἐν βιβλίοις ϛ̄β̄. καὶ ἄλλα.* *Thebaidem* ejus laudat, et unus quidem Grammaticorum, quod sciam, Stephanus Byzant. v. *Τέμμιξ. Τεμμικίς· καὶ Τεμμίκειος, τὸ κτητικόν. Μενέλαος δὲ διὰ τοῦ ῑ, Τεμμίκιον ἄστυ, ἐν πρώτῳ Θηβαΐδος.* item v. *Ὑρμήνη. Μενέλαος δὲ τετάρτῳ Θηβαϊκῶν, Ὕρμιναν, διὰ τοῦ ᾱ φησί. Τὴν δ' Ὑρμίνην Ἐχεφυλίδα φησὶ τὰς νῦν Ὁρμίνας. Ὁρμίνας δὲ καὶ τοὺς Ἐπειοὺς καλεῖσθαι.* Quem locum L. Holstenius ita tentavit: *Τὴν δ' Ὑρίνην Τριφυλίδα.* quod *Τριφυλία* Elidis pars est. Sed nihil dici poterat a Stephani mente alienius. Integra et sana sunt omnia, modo pro *Ἐχεφυλίδα* reponatur *Ἐχεφυλίδας*, quem scriptorem idem Stephanus laudat v. *Σφακτηρία. Ἐχεφυλλίδας* per duplex λ vocatur a Scholiaste inedito in Platonis Phaedon. p. 389. G. *Ἐχεφυλλίδας δὲ φησὶν Ἡρακλεία ὑπὸ Κτεάτου καὶ Εὐρύτου τῶν Μολιονίδων ἡττηθῆναι* etc. Porro Menelaus nobis memorari videtur apud Steph. Byz. v. *Εὔτρησις*, quamvis Vossius de Hist. Graec. III. pag. 181. Menelaum, philosophum Peripateticum, eundemque historiae scriptorem intelligere malit. Hactenus de Menelao. Ad Longini *Φιλολόγους* etiam referendum ejus de Aristide judicium, quod est apud Sopatrum Proleg. in Aristid. p. 3. *ἤδη μὲν Λογγῖνος καὶ πάντες οἱ κριτικοὶ πολλὰ προειρήκασιν, ὡς γόνιμος, ὡς ἐνθυμηματικὸς τυγχάνει, καὶ βίαιος, καὶ καθόλου τὸν Δημοσθένην μιμούμενος.* Ex quo loco apparet, Longinum, praeter scriptores veteres, etiam aetati suae proximos recensuisse. Denique *τὰ περὶ Ξενοφῶντος*, quae ipse *Π. Υ.* sect. 8. commemorat, nisi quis pro *Commentariis in Xenophontem*

habere velit, partem arbitror fuisse τῶν Φιλολόγων. Neque enim Xenophon in tali censura praeteriri potuit.

## §. XI.

Athenis postquam Longinus bonam vitae partem cum juventute erudienda, tum praeclaris ingenii monumentis condendis exegisset, patria relicta, in Orientem abiit, sive ut consanguineos, Emisae habitantes, inviseret, sive ut ibi hereditarium negotium ageret. Per hanc, ni fallimur, occasionem, cognitus est a virilis animi muliere, et nulli priscarum heroidum secunda, Septimia Zenobia, quae tum Orientis imperium tenebat. Quae non minore ingenio, quam animo, praedita, cum bonas artes adamaret, Longinum Graecarum literarum magistrum adhibuit. Vopiscus in Aurelian. 30. *quo* (Longino) *illa magistro usa esse ad Graecas literas dicitur.* Quo uno, si quid judicamus, argumento concidit fabula de Zenobiae Judaismo, saepe jactata ab Ecclesiae Patribus, Athanasio Epist. ad Solitar. T. I. Opp. p. 386. Photio Bibl. Cod. CCLXV. p. 1470. et aliis, quos indicat Moshemius Histor. Christian. seculi III. p. 706. Quis enim credat, Judaeam Graecarum literarum magistrum, eumque philosophum, expetiisse? Cujus gentis quantum in Graecas literas et philosophiam odium fuerit, nihil attinet disputare post luculentam demonstrationem Ernesti V. Cl. Opusc. Philol. p. 408. Unde igitur ista manavit fabula? Nempe ab immoderata et minime Christiana maledicendi licentia, quam illius aetatis orthodoxi sibi in quoslibet a se dissentientes sumebant. Accusatus erat Paulus Samosatenus cum ob alias opiniones, quas referre longum est, et haud necessarium, tum ob Judaismi suspicionem; mox etiam Patrum decreto Episcopatu Antiocheno dejectus. Hunc

ab adversariis vehementer exagitatum cum Zenobia, mulier philosopha, et in religione diversa sentientes facile ferens, tuendum suscepisset, Orthodoxi, dolorem, quem inde ceperant, ulciscentes, non modo Paulum Samosatenum ad sacra Judaica transiisse, sed ejus etiam patronam Judaeam esse, suo jure clamarunt. Fuerunt inter recentiores, qui, ut error errorem parere solet, Moysen a Longino in Zenobiae gratiam laudatum existimarent. Quorum opinio tum aliis de caussis parum probabilis est, tum quod Longinus librum *περὶ ὕψους*, et reliqua opera omnia, uno libello, quem de Odenathi laudibus scripsit, excepto, Athenis, antequam in Zenobiae notitiam venisset, edidisse videtur. Nam Palmyrae nulla librorum edendorum facultas dabatur, deficientibus, quorum manu uteretur, librariis, ut ipse in Ep. ad Porphyr. p. 124. queritur. Ne otium quidem ad talem scriptionem ab aliis rebus erat. Venerat ille quidem in aulam Palmyrenam, ut Zenobiam Graecis literis erudiret. Sed mox Zenobia, cum ipsa imperii habenas capessivisset, et summam rerum gerendarum prudentiam in Longino perspexisset, ejus maxime consiliis regnum administrare statuit. Photius l. c. *καὶ πολλὰ συνηγωνίζετο Ζηνοβίᾳ τῇ τῶν Ὀσροηνῶν βασιλίδι, τὴν ἀρχὴν κατεχούσῃ Ὀδενάθου τοῦ ἀνδρὸς αὐτῆς τετελευτηκότος.* Suidas v. *Λογγῖνος. ἀνῃρέθη ὑπ' Αὐρηλιανοῦ ὡς σύμπνους Ζηνοβίᾳ, τῇ Ὀδενάθου γυναικί.* Tum Longinus pro illo libertatis amore, qui magnis ingeniis proprius esse solet, Zenobiae animum addidit ad jugum Romanum excutiendum, in hoc etiam imitatus Platonem suum, qui Dionem a se eruditum pari ratione ad patriam liberandam impulit et armavit. Tum, eodem auctore, Zenobia nobiles illas ad Aurelianum literas, quae sunt apud Vopiscum Aurelian. 27. scripsit. Quae, cum plus spiritus, quam Zenobiae tempora ferebant, habere

viderentur, Longino exitium attulerunt. Quippe Aurelianus, iis lectis, sic exarsit, ut mox, Palmyre expugnata, de Longino supplicium sumi juberet. Vopiscus Aurelian. 30. *Grave inter eos qui caesi sunt, de Longino philosopho fuisse perhibetur, quo illa magistro usa esse ad Graecas literas dicitur: quem quidem Aurelianus idcirco dicitur occidisse, quod superbior illa epistola ipsius diceretur dictata consilio, quamvis Syro esset sermone contexta.* Adde Suidam v. Λογγῖνος. In hoc tam gravi casu, nescio, an Longinus quicquam viderit indignius, quam pro bonis consiliis malam sibi gratiam a Zenobia referri. Haec enim, cum ante omnibus in rebus virilem animum gessisset, nunc mortis metu debilitata, ad muliebre ingenium rediit, id est, suam innocentiam jactavit, invidiamque belli, quod Romanis fecisset, cum in alios, tum in Longinum, relegavit. Zosimus I. 55. ἐπεὶ δὲ αἰτίας ἔλεγεν, ἑαυτὴν ἐξαιροῦσα, πολλούς τε ἄλλους ἦγεν εἰς μέσον, ὡς παραγαγόντας οἷα γυναῖκα. ἐν οἷς καὶ Λογγῖνος ἦν, οὗ συγγράμματά ἐστι μέγα τοῖς παιδείας μεταποιουμένοις ὄφελος φέροντα. At longe alium animum Longinus prae se tulit. Tali enim constantia, tali animi robore supplicium subiit, ut, qui ipse consolandus esset, aliorum ex hac calamitate susceptum dolorem consolaretur. Ita ille in ipso mortis articulo verum se philosophum praestitit, sanctissimumque Socratem, ad cujus normam et studiorum et vitae rationem direxerat, etiam moriendo expressit. Cujus crudelem casum si quis Platonica eloquentia prodidisset, non minus nunc Longini, quam Socratis, morti illacrymaremur. Zosimus l. c. ὥπερ ἐφ' οἷς κατηγορεῖτο ἐλεγχομένῳ, παραχρῆμα ὁ βασιλεὺς θανάτου ζημίαν ἐπέθηκεν, ἣν οὕτω γεννναίως ἤγεγκεν ὁ Λογγῖνος, ὥστε καὶ τοὺς σχετλιάζοντας ἐπὶ τῷ πάθει παραμυθεῖσθαι. Hoc modo periit vir maximus A. C. 273.

§. XII.

Haec fere sunt, quae nobis de Longini vita et studiis veterum testimoniis constent. De ejus ingenio et eruditione dicere quid attinet? Sunt libri, vel potius fragmenta librorum, ex quibus judicium fieri possit, in manibus. Equidem nihil magis in Longino miror, quam tanti animi ingeniique virum seculo tertio, servitute opresso, et paene barbaro, quo omnes fortunae suae similia et faciebant et loquebantur, extitisse. Verum cum seculum, quo vivebat, insitam ingenii vim premeret, ipsum fecisse arbitror, quod aliis natura tardioribus faciendum praecepit *Π. Υ.* sect. 9. *εἰ καὶ δωρητὸν τὸ μεγαλοφυὲς μᾶλλον ἢ κτητὸν, ὅμως, καθ' ὅσον οἷόντε, τὰς ψυχὰς ἀνατρέφειν πρὸς τὰ μεγέθη, καὶ ἐγκύμονας ἀεὶ ποιεῖν γενναίου παραστήματος.* Nempe veteribus, praecipue Platone et Demosthene, legendis animum ad eam, quam in maximis minimis admiramur, extulit altitudinem. Ab eodem celso elatoque animo profectum est cum libertatis civilis studium, cujus clara vestigia impressit divino illi epilogo libri *Π. Υ.* tum alterius, quae in sententia libere dicenda, et in aliorum erroribus castigandis cernitur. Ex quo a Porphyrio in Vita Plotini p. 126. *ἐλεγκτικώτατος* dicitur, et *τὰ τῶν ἄλλων σχεδὸν πάντα τῶν καθ' αὑτὸν διελέγξας.* Eloquentiam Longini ita abjicit et contemnit Graeculus ineptus, Ioannes Siceliota, cujus locum supra §. X. p. 511. adscripsimus, ut eum nihil ad Dionysium Halicarnassensem et Aristidem esse dicat. Nos quidem non sumus ii, qui orationibus, quas Dionysius historiae interposuit, eloquentiae laudem detrahamus, aut Demosthenem feliciter ab Aristide expressum esse negemus. Veruntamen uterque, nostra sententia, cum Longino comparatus, jacet, et velut spiritu caret. Quanta enim quam incredibilis vis dicendi ex libello *Π. Υ.* elucet? Profecto

nullus unquam Rhetorum et Sophistarum aut scripsit, aut scribere potuit aliquid disertius. Unus Longinus ex omnibus Graecis magistris, id quod Ciceronem in libris rhetoricis fecisse constat, quod aliis praecipit, ipse scribendo praestat, nec minus eloquentiae praeceptis, quam exemplo suo, facit eloquentes. In docendo, quomodo ad id quod in oratione magnificum est, perveniatur, grandis est ac paene tragicus. In translationibus ut feliciter audax, et maxime similis Plutarcho, sic fortasse nimius in illis cumulandis, nec satis consentiens praeceptis suis. Excerpta Rhetorica MSS. in Bibl. Medicea: *Ὅτι Ἀριστοτέλης* (de Poëtic. 22.) *τοὺς πάντα μεταφέροντας αἰνίγματα γράφειν ἔλεγεν. διὸ λέγει Λογγῖνος σπανίως κεχρῆσθαι καὶ τούτῳ τῷ εἴδει.* Ex antiquis illis, praeter ceteros, Platonem et Demosthenem imitatur. In quibus legendis, si venustatem ejus sentire velis, te multum temporis contrivisse oportet. Praeter Graecam et Syriacam linguam, utramque vernaculam, calluit etiam Latinam, ut non solum ex Demosthenis et Ciceronis comparatione *Π. Υ.* sect. 12. sed etiam ex Suida intelligi licet. Sic enim ille Lexicographus: *Αἰωνοάριος. ὁ Ἰανουάριος μήν. οὕτω Λογγῖνος αὐτὸν ἑρμηνεῦσαι βιάζεται, ὡσανεὶ αἰῶνος πατέρα.* quae repetit v. *Ἰανουάριος.* Cum Suida convenit Tzetzes in Post-Homericis p. 75. *Τὸν ᾧ Αἰωνάριον κικλήσκει μὲν Λογγῖνος. Ἰανουάριον δ' ἀνέρες πάντες καλέουσι.* Quam vocis notationem si quis in homine Graeco rideat, is potiore jure Ciceronem de N. D. II. 27. *Janum*, quasi *Eanum*, ab *eundo* derivantem rideat. Nec tamen Longinus mihi quicquam a scriptoribus Latinis, nominatim a Quinctiliano, sumsisse videtur, ut Tollius et Pearcius ad librum *Π. Υ.* sect. 2 et 33. crediderunt. Nam quae illis locis e Latino Rhetore ducta putantur, tam sunt vulgaria, ut, si Longinus illa mutuari ab aliis voluisset,

potius a Graecis, quam a Latinis sumsisset. Nec facile adducor, ut eum quicquam Dionysio Halicarnassensi debere credam. Non tali siccitate arescebat, ut ingenium alienis fontibus rigaret.

## §. XIII.

Philosophiam, quam professus est, in mores abiis se, tametsi mors ejus satis superque declarat, tamen hoc quoque sit testimonio. Porphyrius disciplinam ejus valere jusserat, ut se ad meliorem, si Diis placet, Plotini conferret. Quam levitatem, tantum abfuit Longinus, ut ad contemtum sui traheret, injuriamque injuriae referret, ut potius hunc ipsum desertorem in suis haberet, Palmyram ad se invitaret, et, quanti eum faceret, libri περὶ ὁρμῆς dedicatione publice declararet. Quae omnia nobis narrat ipse Porphyrius in Vita Plotini pag. 120. 124. 131. Erit fortasse, qui doctrinam Christianam Longino ad talem animi moderationem profuisse dicat. Certe semichristianum eum vocat Is. Casaubonus ad Vopisc. Aurelian. 30. propter honorificum, quod de Moyse fecit, judicium. At vero, si illa ratio valeret, multi, qui sacrorum scriptorum cum laude meminerint, in his Numenius et Amelius, in semichristianorum numerum referendi essent. Omnino plerique ejus aetatis philosophi Christianorum libros satis diligenter legerant, sive ut eos refellerent, quod Celsum et Porphyrium fecisse scimus, sive quod Christianismum pro Orientalis philosophiae secta haberent. Vide Holstenium de Vita Porphyr. cap. V. p. 20. Sed Casaubonum jam ante nos confutavit Langbaenius ad Longin. Π. Υ. sect 9. p. 61. Et ipse vir summus hanc sententiam repudiasse videtur Exercitat. I. in Baron. Annal. p. 149. ubi Longinum *paganum hominem* appellat.

§. XIV.

Reliquum est, ut omnia Longini scripta, quorum magnam copiam extitisse narrat Eunapius in Porphyr. p. 14. breviter recenseamus *l)*.

*Οἱ Φιλόλογοι.* de quibus, quantum satis est, disputavimus §. 10.

*Περὶ τοῦ κατὰ Μειδίου*, scilicet *λόγου*, id est, *de Demosthenis oratione in Midiam.* Apud Suidam v. *Λογγῖνος*, qui solus hunc librum memorat, pro *Μειδίου* scribitur *Φειδίου.* Quem errorem correxit Langbaenius in Vita Longini. Pertinet hic liber ad quaestionem inter Rhetores agitatam, Midiana utrum esset *χαρακτῆρος παθητικοῦ*, an *πραγματικοῦ*? Photius Bibl. Cod. CCLXV. p. 1470. *ὡσαύτως καὶ ὁ κατὰ Μειδίου οὐκ ὀλίγοις γέγονεν ἐν σπουδῇ, καὶ τῆς πρὸς ἀλλήλους ἀμφισβητήσεως ἀφορμὰς παρέσχε. καὶ οἱ μὲν τοῦ παθητικοῦ χαρακτῆρος εἶναί φασιν αὐτὸν, μετὰ δεινώσεως ἐπειργασμένον· οἱ δὲ, τοῦ πραγματικοῦ.* Sic Longinus apud eundem Photium l. c. orationis in Leptinem *προοίμιον ἀγωνιστικὸν* esse judicavit. Nescio, an hic quoque liber pars fuerit *τῶν Φιλολόγων.*

*Ἀπορήματα Ὁμηρικά.* Suidas. Exemplum talium quaestionum scribendarum dedit Aristoteles, cujus *Ἀπορήματα Ὁμήρου*, praeter alios, laudat Grammaticus MS. Sangermanensis: *Βασίλισσα. Ἀλκαῖος Γανυμήδει. Ἀριστοτέλης Ὁμήρου Ἀπορήμασιν.* Adde Phrynichum de Dict. Attic. p. 112. Postea multi Grammatici hujusmodi quaestionibus tractandis ingenium exercuerunt, de quibus vide Io. Wowerium de Polymath. cap. X. p. 77.

---

*l)* Praeter haec a Ruhnkenio collecta non sine fructu cognosci, quae Toupius ad Longini fragm. VIII. congessit, jam Weiskius monuerat. Leguntur ea Ed. Toup. p. 252 — 254. Weisk. p. 545 — 548. *B.*

Forte ex hoc opere Eustathius sumsit emendationes Homericas, quas commemorat ad Il. A. p. 67. et 106.

*Εἰ φιλόσοφος Ὅμηρος;* Suidas. Non unus veterum hac quaestione otium suum oblectavit. Hermogenes, Medicus Smyrnaeus, *περὶ τῆς Ὁμήρου σοφίας* scripsisse dicitur in marmore Graeco, quod edidit L. Kusterus Comm. Acad. Inscript. T. IV. p. 665. Vide Davisium ad Max. Tyr. Diss. XXXII. p. 613. Porphyrius etiam de eodem argumento, in Longini gratiam, ut Holstenius in ejus Vita cap. VIII. p. 44. suspicatur, singularem librum scripsit.

*Προβλήματα Ὁμήρου καὶ λύσεις, ἐν βιβλίοις β'.* Suidas. Aristotelis etiam liber hoc titulo laudatur. Postea Grammatici certatim in hujusmodi problematis solvendis elaborarunt, inde *λυτικοὶ* apellati, de quibus vide Ionsium de Script. Hist. Phil. II. 17. p. 206. et Cel. Valckenarium Diss. de Schol. in Homer. ined. p. 145.

*Τίνα παρὰ τὰς ἱστορίας οἱ γραμματικοὶ ὡς ἱστορικὰ ἐξηγοῦνται.* Suidas. Similem librum, teste Suida, scripserat Caecilius, ille ipse, quem Longinus *Π. Υ.* sibi castigandum sumsit: *Περὶ τῶν καθ' ἱστορίαν ἢ παρ' ἱστορίαν εἰρημένων τοῖς ῥήτορσι.*

*Περὶ τῶν παρ' Ὁμήρῳ πολλὰ σημαινουσῶν λέξεων, βιβλία δ'.* Suidas.

*Ἀττικῶν λέξεων ἐκδόσεις β'. εἰσὶ δὲ κατὰ στοιχεῖον.* Ex hoc Lexico sumtum videtur, quod habet Photius Lex. MS. *Σέρφοι. οἱ πτερωτοὶ μύρμηκες, οὓς ἡμεῖς Νύμφας. οὕτως Δίδυμος. Κάσσιος δὲ Λογγῖνος· Σέρφος, πτηνόν τι μικρὸν κώνωπι ἐμφερὲς κατὰ τὸ μέγεθος.* item quod habet Eustathius ad Odyss. X. p. 1919. *τιμὴν δὲ, τὴν ποινὴν λέγει. — ἡ δὲ τοιαύτη τιμὴ, καὶ τῖμος λέγεται κωμικώτερον, ὡς Λογγῖνος δηλοῖ, ὁμοίως τῷ, χολὴ, χόλος, ὠνὴ, ὦνος, καὶ τοῖς τοιούτοις.* Ex indice Grammaticorum, qui Suidae Lexico praemittitur, putaret ali-

quis, Suidam multa ex hoc Longini opere in farraginem suam conjecisse. Sed hunc indicem a mendace mangone confectum esse, nuper idoneis rationibus demonstravit Graecarum literarum in hac Academia stator, L. C. Valckenarius in Theocriteis pag. 295. et seqq. Similis fraus Lexicon sacrum ineditum, quod in multis Bibliothecis superest, *Cassiani Longini* nomine ausa est commendare.

*Λέξεις Ἀντιμάχου καὶ Ἡρακλέωνος.* Suidas. Langbaenius pro *Ἡρακλέωνος* legit *Κλέωνος*, credo, quod de poëta Heracleone ne fando quidem audiverat. Sed Longinum poëtas, quorum vix nomen ad nos pervenerit, tractasse, constat exemplo Menelai, de quo supra diximus. Minus cogitate Tan. Faber scribit, Heracleonem Ephesium, Grammaticum ab Athenaeo laudatum, intelligi posse. Quis enim unquam scripsit *λέξεις* Grammatici?

*Περὶ ἐθνικῶν.* Grammaticus vetus Bibl. Coislin. p. 597. *Ὅσοι περὶ ἐθνικῶν, Ὠρίων Θηβαῖος, Μητρόδωρος, Φιλόξενος, Λογγῖνος.* Mirum est, Stephanum Byzantinum, in *Ἐθνικῶν* scriptoribus commemorandis inprimis diligentem, nullam Longini mentionem facere.

*Σχόλια εἰς τὸ τοῦ Ἡφαιστίωνος ἐγχειρίδιον.* Supersunt in Codd. MSS. ex quibus partem ediderunt Io. Hudsonus et Io. Boivinus. Ex hoc specimine apparet, omnia exscripta esse ab edito Hephaestionis Scholiaste. Longiniana laudat Scholiastes Hermogenis. p. 387. *διὸ καὶ μέτρου πνεῦμα τὸν ῥυθμόν φησιν ὁ Λογγῖνος·* ubi ex Longini p. 264. corrigendum: *διὸ καὶ μέτρου πατέρα τὸν ῥυθμόν φησιν ὁ Λογγ.* Error natus est e scribendi compendio.

*Περὶ συνθέσεως λόγων συντάγματα δύο.* quae ipse commemorat *Π. Υ.* sect. 39.

*Τέχνη ῥητορική.* de qua alias *m)*.

*Εἰς τὴν ῥητορικὴν Ἑρμογένους.* In Bibliotheca Vindobonensi extant Enarrationes Hermogenis, excerptae ex Longino, Iamblicho, Syriano, Simplicio, et aliis. Vide Catalog. Bibl. Vindob. Nessel. P. IV. p. 14. Sed totus titulus mangonium sapit.

*Περὶ Ὕψους.* Hic liber vere aureus, de quo omnium optime nobis judicasse videtur Boilavius in Praef. versionis Gallicae, bono literarum et verae eloquentiae, quamvis mutilus, conservatus est in uno Codice Parisino, ex quo quicquid Codicum est in aliis Bibliothecis, manavit. Nulla igitur, archetypo salvo, apographorum utilitas est, nisi in conferendis verbis sectionis VIII. *ὡς κἂν τοῖς περὶ Ξενοφῶντος* usque ad verba sect. IX. *ἐν δὲ φάει καὶ ὄλεσσον.* propterea quod illae paginae ex archetypo, post facta jam apographa, exciderunt *n)*.

*Commentarius in prooemium Timaei Platonici*, de quo §. VI.

*Commentarius in Platonis Phaedonem*, de quo supra §. VI.

*Περὶ ἀρχῶν, de rerum principiis.* Porphyr. in Vita Plotini p. 116. *o)* qui de iisdem etiam librum scripsit, minus probans Longiniana, ut putat Holstenius in ejus Vita p. 51.

---

*m)* Vel hanc solam inscriptionem auctorem hujus disputationis prodere Ruhnkenium, opportune monuit ad h. l. Weiskius, qui pluribus de hujus Operis invento dixit in Praef. p. XIX. sqq. *B.*

*n)* Aliter de hoc Cod. statuit Weiskius Praef. p. IX — XVI. et in Recensione Codicum p. XLII — XLVII. *B.*

*o)* Ex eodem Porphyrii loco Longini liber *Φιλαρχαῖος* commemoratur a Toupio, Valesium secuto, l. c. Sed Ruhnkenius Porphyrii verba corrupta esse, supra monuerat §. VI. *B.*

*Περὶ τέλους*, *de finibus bonorum et malorum.* Porphyr. in Vita Plotini p. 127. ubi nobis egregiam hujus libri praefationem conservavit.

*Περὶ ὁρμῆς*, *de naturali impetu*, sive *instinctu.* Porphyr. in Vita Plotini p. 120.

*Ἐπιστολὴ πρὸς τὸν Ἀμέλιον*, qua respondet ejus epistolae *περὶ τοῦ τρόπου τῆς Πλωτίνου φιλοσοφίας*. Hanc epistolam in libri magnitudinem excrevisse, ipse ait in Praefatione libri *περὶ τέλους* p. 132.

*Περὶ τῆς κατὰ Πλάτωνα δικαιοσύνης* adversus Amelium. Ipse in Praef. laudata p. 131.

*Περὶ τῶν ἰδεῶν* adversus Plotinum. Praefatione laudata p. 131.

*Περὶ τῶν ἰδεῶν* adversus Porphyrium, Plotini de Ideis sententiam Longinianae, quam ante probarat, praeferentem. Praefatione laudata l. c. Vide Holstenium de Vita Porphyr. p. 54. Hos de Ideis libros respexit Syrianus Commentario MS. in Aristotelis Metaphysica: *Οὔτε τοῖς λεκτοῖς τοῖς πολυθρυλλήτοις ἀνάλογον τῷ νῷ παρυφίσταται, ὡς ᾤετο Λογγῖνος προσβεύειν. οὐδὲν γὰρ ὅλως παρυφίσταται τῷ νῷ, εἴπερ ἀνούσιόν ἐστι τὸ παρυφιστάμενον. πῶς δ' ἂν τὸ αὐτὸ νοητόν τε εἴη καὶ παρυφίσταιτο; οὐ μὴν οὐδὲν νοήματά εἰσι παρ' αὐτοῖς αἱ ἰδέαι, ὡς Κλεάνθης ὕστερον εἴρηκεν, οὐδ' ὡς Ἀντωνῖνος μιγνὺς τὴν Λογγίνου καὶ Κλεάνθους δόξαν.*

*Περὶ ψυχῆς.* ex quo Eusebius P. E. XV. 21. partem affert hoc titulo: *πρὸς τὴν τῶν Στωϊκῶν περὶ ψυχῆς δόξαν ἀντίρρησις.* Eundem librum laudat Porphyrius apud Stobaeum Ecl. Phys. I. pag. 103. Familiarem Longini cum Medio disputationem *περὶ τῶν μορίων τῆς ψυχῆς* ex Porphyrio commemorat Proclus in Platonis Politiam p. 415.

*Ὀδαίναθος.* quod omnium Longini scriptorum postremum videtur. Libanius Ep. 998. *Ὀδαίναθον τὸν*

λόγον, Λογγίνου δὲ ὁ λόγος, ἐγὼ μὲν ἀπαιτῶ, σὲ δὲ δεῖ δοῦναι, καὶ γενέσθαι δίκαιον περὶ τὴν ὑπόσχεσιν. Hac oratione si Longinus Odenathi laudes complexus est, ut nobis videtur, concidit, quod narrat Trebell. Pollio XXX. Tyrann. 17. Zenobiam caedis Odenathi consciam fuisse.

Praeter haec Langbaenius ad Longinum retulit librum Διονυσίου τοῦ Φασηλίτου περὶ τῆς Ἀντιμάχου ποιήσεως, et alterum περὶ ποιητῶν, utrumque laudatum a Grammatico vetere, qui Nicandri vitam scripsit: item Διονυσίου Ἄπορα, laudata a Scholiaste Homeri ad Il. B. 308. et Διονυσίου Κριτικὰ sive Κρητικὰ apud Diogen. Laërt. I. 38. Verum nihili sunt rationes, quibus utitur, et vix dignae, quae refellantur. Nam, si probabile est, ut supra §. III. demonstravimus, Longinum natum esse Athenis; cur ad eum refertur opus Phaselitae? At *Dionysii* nomine nititur Langbaenius. Immo hoc nomine Longinus, ut eodem loco docuimus, ne semel quidem simpliciter laudatus reperitur. Denique falsum est, quod dicitur, Longinum per temporis rationes a Diogene commemorari potuisse. Nam Diogenes, quacunque demum aetate vixit, certe ante Longinum vixit. Recte igitur Fabricius Bibl. Gr. T. IV. pag. 435. 443. 444. quatuor illos libros, Longino tam temere tributos, sustulit ex indice operum Longinianorum.

---

# DEDICATIO
## EDITIONIS
## C. VELLEII PATERCULI.

---

*NOBILISSIMIS ADOLESCENTIBUS,*

HENRICO ET IACOBO
FAGEL,

*S. P. D.*

DAVID RUHNKENIUS.

*Centesimus annus ipse est, cum vir eximius, Nicolaus Heinsius, Vellejum Paterculum, animadversionibus suis expolitum, uni ex majoribus Vestris, Caspari Fagelio, primario reipublicae Batavae administro a), dedicaret. Quae res mihi circumspicienti, cui novam ejusdem scriptoris editionem donarem, gentem Vestram, ut vetustate et amplitudine splendidissimis parem, sic insito quodam literarum amore plerisque superiorem, in animum revocare potuisset. Verum nihil attinet, dedicandi caussas, quae in promptu sunt, tam alte repetere. Etenim, quae magna felicitatis meae pars est, a multis inde annis talem necessitudinem cum familia Vestra constitutam habeo, ut nemo Fageliani nominis sit observantior, nemo Fageliis in voluntate semel erga me suscepta constantior. Cujus conjunctionis initium ortum est tum, cum parens Vester meam in disciplinam trade-*

---

a) „His fere verbis Nic. Heinsius ipse usus est, alioquin Ruhnkenium non puto sic scripturum fuisse: nam *administer* alicujus aut hominis aut rei dicitur, quorum neutrum in rempubl. cadit." *Zumpt. F.*

*batur. Atque hic animum meum tentari sentio, ut in illius viri laudes digrediar, quo neminem omni laude digniorem cognovi, quem ob raras animi ingeniique dotes incredibili quodam amore dilexi, quo denique disciplinae meae alumno vere mihi visus sum posse gloriari. Sed nolim vulnus, quod vix consanuit, virtutibus ejus commemorandis refricare, aut lacrimas, quae vix exaruerunt, alieno tempore renovare. Illud unum dixisse satis sit, ut Vos, Nobilissimi Adolescentes, qualis Vobis pater imitandus sit, mature intelligatis, me, tametsi per vitae rationes sexcentos juvenes ad humanitatem formarim, nunquam tamen felicius et omnibus numeris perfectius, quam parens Vester nactus erat, ingenium tractasse, neque adeo b) de ullo discipulorum meorum spem concepisse majorem. Itaque ex talibus sui c) documentis jam tum augurabar, in eo reipublicae Batavae aut Wittios, aut Slingelandos, aut his similes, redditum iri. Neque hoc augurium nos fefellisset, nisi Deo visum esset, hoc tale ingenium patriae tantum ostendere. Sed ut ad ea, quae rem propius attingant, progrediar, solebat parens Vester, etiam cum ad summos honores pervenisset, saepe multumque de Graecis et Latinis literis mecum agere, et de obscuris vitiatisve veterum scriptorum locis, ex quibus ipse expedire se non posset, meam requirere sententiam. Hoc idem fecit in Vellejo Paterculo, cujus acumine in ingeniis moribusque notandis vehementer delectabatur. Quem cum ego paullo accuratius le-*

---

b) „Dubito, num *adeo* h. l. verum sit. Ni Ruhnkenius esset, putarem de *ideo* cogitasse. Certe malim abesse." *Zumpt. P.*

c) „Si esset scriptum *quum talia* sui *documenta daret*, non offenderer; nunc aliquid vitiosi inesse puto." *Zumpt. P.*

*gere coepissem, ut talis et viri et amici dubitationibus, si possem, satisfacerem, blandiente, ut fit, successu, novae editionis adornandae natum est consilium. Quae cum ita sint, quos potius in fronte hujus editionis alloquar, quam Vos, Adolescentes Egregii, quorum pater mihi Velleji edendi caussam praebuit? aut quibus potius hoc munusculum deferam, quam Vobis, in quos omnem, quo quondam patrem complexus sum, amorem transfudi? Neque hunc talem animum temere adversus Vos suscepi. Etenim pro amicitia et usu, qui mihi Vobiscum intercedit, ex proximo cognovi ingenii Vestri vim et praestantiam, quae non eas solum artes, quibus adolescentia impertiri solet, celeriter arripiat, sed abstrusiores etiam, ac talis aetatis captum superantes, et cupide appetat, et facile assequatur. Quid dicam de singulari literarum amore, quo Vos ita incensi estis, ut saepe tempus, quod animo remittendo et corpori tuendo dari solet, invitis illis, qui adolescentiam Vestram reguntur, in bonorum librorum lectione collocetis. In quo nihil degeneratis a gentis Fagelianae indole. Nam cum tot gentiles Vestri summis, quos respublica habet, functi sint honoribus, nemo tamen huc escendit natalium praesidio fretus, sed omnes haec sibi ornamenta acerrimo bonarum artium studio, et nunquam remisso labore pepererunt. Jam in tanta Vestra intelligendi celeritate, cum pari discendi assiduitate conjuncta, quis est, qui miretur, Vos, qua aetate alii literarum initiis imbuuntur, ea gradum ad Academiam nostram facere? Equidem mihi pulchrum et gloriosum duco, Vos ab Avo Vestro, summae prudentiae et doctrinae viro, quem ego totum tribus Horatii verbis,* mitis sapientia Laeli, *describere soleo, meae potissimum esse disciplinae*

*commendatos; credo, quod ex sermonibus nostris perspexerat, meos de studiorum ratione sensus mirifice congruere cum suis. De ejus igitur sententia, verissime judicantis, maximam humanioribus literis vim inesse ad ingenium humanum conformandum, biennium totum in Graecis Latinisque scriptoribus legendis, in antiquitatis et veterum annalium memoria replicanda consumetis, assumtis e Mathesi et Philosophia partibus iis, quarum utilitas in vita civili maxime cernatur. Tum his fundamentis Juris Romani scientiam, non nudam istam et jejunam, sed multarum artium comitatu circumfusam, superstruetis. Tandem, ubi plenior judicandi maturitas venerit, ad gravissimas quaestiones de Legibus Naturae et variorum populorum progressi, Academicorum studiorum curriculum decurretis. Ex hac severa, et jam inde a Scaligeranis et Grotianis temporibus ducta, disciplina immortales illi viri, quos Belgium Foederatum jure opponit aliis nationibus, prodierunt. Quae si perturbata aut eversa fuerit per novatores, quorum interest, discipulos a literarum cultu rudes habere, quo facilius eos in admiratione sui teneant, magnopere verendum est, ne in hominum vere doctorum locum succedant barbari et subtiliter loquaces circulatores. Sed meliora ominari licet, cum Vos, Juvenes Praestantissimi, tam paratos videam ad antiquam illam viam, quae sola ad excellentem eruditionem ducit, alacriter ingrediendam, et ad optimam illam disciplinam, quae Vobis in avito paternoque exemplo est, constanter persequendam. In Vos igitur, tanquam eximiam spem patriae succrescentem, omnium ora conversa sunt, in Vos publica exspectatio erecta: in Vestra denique indole excolenda Leidensis Academia sperat se omnibus,*

*quid recta institutione effici possit, planissime ostensuram. Valete. Dabam Leidae a. d.* XX. *Julii,* MDCCLXXVIII.

---

# PRAEFATIO
## EDITIONIS
## C. VELLEII PATERCULI.

---

Quod a veterum scriptorum editoribus, qui criticam rationem sequantur, jure postulatur, ut in praefatione accuratam Codicum et Editionum, quarum in lectionum judicio sit auctoritas, historiam contexant, id nobis in summa faciendi voluntate facere non licet. Est enim unus tantum hujus scriptoris Codex, una, quae auctoritatem habeat, Editio. Unicus ille, et ne integer quidem MStus, qui Vellejum conservavit, sub renascentium literarum tempus, in coenobio Murbacensi repertus est; ex quo summa diligentia et pari fide per Beatum Rhenanum, felicem bonis libris proferendis virum, expressa Editio prodiit Basileae apud Jo. Frobenium 1520. fol. De Codice ita scribit Rhenanus: *Non satis erat, vetustatem utilissimum opus initio suo truncasse, nisi fine etiam suo mutilaretur: ut nihil dicam de vitiis, quibus in medio foedissime deformatum est. — Meus codex et unicus erat, et mendosissimus. Ausim jurare, eum, qui illum descripserat, ne verbum quidem intellexisse: adeo omnia erant confusa absque ullis punctis aut distinctionibus*, etc. In tanta

igitur mendorum multitudine cum facile *a*) aliquid Rhenani, quamvis in membranis legendis exercitatos, oculos fefellisset, Io. Albertus Burerius recentem a prelo Vellejum iterum ad eundem Codicem, qui adhuc penes Frobenium esset, exegit, et discrepantes lectiones, quas enotasset, Rhenani editioni subjecit, tanta religione hac in re versatus, ut singulas syllabas minuta et anxia diligentia ad calculos vocaret *b*). Quo magis miror, quid in mentem venerit Grutero ad Vellej. II. 49. et 68. fraudis nescio cujus suspicionem jacere; quanquam reperti sunt, qui hujus judicii levitatem temere sequerentur, Burmannus ad Vell. II. 22. et in praef. et Fabricius in Bibl. Lat. T. II. p. 18. Equidem saepe optavi, ut mihi Codicis iterum inspiciendi facultas contingeret, non quod me multa, quae Rhenani et Burerii diligentiam fugissent, inventurum sperabam, sed quo certius hominum de literis bene meritorum fides confirmaretur. Quin etiam amicis quibusdam Alsatis negotium dedi, ut, si Codex Murbacensis adhuc superesset *c*), studiose inquirerent. Sed nullum inventum esse nuntiarunt, sive jam olim mala manu ablatus sit *d*), quoniam nec Montfauconius, Codices Murbacenses recensens, Bibl. Biblioth. T. II. p. 1175. ullam ejus mentionem

---

*a*) *Zumpt*: „Nescio, quo pertineat illud *facile*, ni sic scribatur: *cum facile aliquid — oculos fallere potuisset.*" *F.*

*b*) Conf. quae disputat *Bardili* in Seebodii bibl. crit. rei scholast. Hildesh. 1820. P. VIII. p. 668. seqq. et 1819. P. VII. p. 724. *F.*

*c*) *Zumpt*: „*Si* pro *num* rarum esse constat; omnino maluerim. *nunc ibi cod. Murb. exstaret.*" *F.*

*d*) *Zumpt*: „Conjunctivum probarem, si amicorum oratio esset; nunc, cum ipsius scriptoris verba videantur esse, *ablatus est — periit* praestare censeo." *F.*

fecit, sive nuper admodum perierit in monachorum ex sede Murbacensi in Gebenwilarensem migratione, de qua videndus Gerbertus Itin. Alemann. p. 366. Nec alius dum praeter hunc MStus repertus est, nisi quod Labbeus Bibl. Nov. MSS. p. 167. ex nescio qua bibliotheca memorat *Velleji Paterculi Librum priorem integrum.* Cujus rei fides sit penes auctorem. Sic Murbacensi Codice oculis nostris subtracto, relinquebatur, ut Rhenani et Burerii non dubia fide staremus. Quorum etiam Notas, singulis paginis veteris scripturae testimonium exhibentes, sub textum revocavimus, aliorum interpretum annotationibus ad libri calcem rejectis. Hactenus de Editione Rhenani, non solum principe reliquarum omnium, sed una etiam propter fidem et integritatem digna, cui nomen editionis tribuatur. Cum autem in hac editione innumerabiles loci, qui correctione indigerent, superessent, ut quisque mox ad Vellejum edendum accessit, ita ejus textum pro captu suo vel meliorem fecit, vel corrupit. Quorum editiones, esti nullum suffragii jus habentes, tamen idcirco inspiciendae sunt, ut, quid quisque correctorum Vellejo vel profuerit, vel obfuerit, cognoscatur. Primus, quantum indagare potuimus, in Vellejo aliquid mutare instituit Iunta, a nemine superiorum interpretum adhibitus, cujus cura Vellejus accessit Iustino et Nepoti, Florentiae 1525. 8. Huic successit Michael Vascosanus, Vellejum addens Appiani Alexandrini versioni Latinae, Paris. 1538. fol. cujus item nulla ratio habita est ab interpretibus Velleji. Horum conjecturas diligenter commemoravimus, sicut alii ante nos fecerant in Bonhommaeo et Gryphio, qui et ipsi nonnihil in Vellejo novarunt. Sed hi omnes priscam lectionem parce et modeste tentarunt. Mox exortus est, qui, tot ac tantis primae editionis salebris offensus, insigni temeritate, prope novum et a Rhena-

niano diversum Vellejum protruderet, ac nihil moratus corruptae lectionis vestigia, id, quod ab omnibus intelligi posset, dandum existimaret. Quae Velleji editio subjecta est Scriptoribus Historiae Augustae, ante Erasmi cura editis, et mox repetitis Basileae, apud Frobenium, a. 1546. fol. non a. 1542. ut bis per errorem scribit G. Vossius ad Vell. II. 3. et 75. Burmanno caussam praebens editionis, quae nulla esset, quaerendae. Titulus hic est: *Vitae Caesarum, quarum scriptores hi, C. Suetonius Tranquillus, Aelius Spartianus,* etc. *Annotationes D. Erasmi Rot. et Bapt. Egnátii in vitas Caes. Accesserunt in hac editione Velleji Paterculi libri II. ab innumeris denuo vendicati erroribus. Basileae apud Froben.* 1646. Quem titulum per festinationem legentes Vossius et Burmannus, quod de Scriptoribus H. A. ab Erasmo castigatis dicitur, etiam ad Vellejum, qui post accessit, traxerunt. Enimvero Erasmum ignoret oportet, qui talem ei recensionem tribuat. Quis enim minus conjectandi libidini indulsit, aut quis antiqua monimenta tractavit religiosius? Puteanus ad II. 25. inter Velleji corruptores nominat Heleanum quendam, mihi incognitum: *quod depravavit Heleanus, sive quisquis alius posterioribus editionibus manum admovit.* Sed quicunque *e)* Basileensi illi editioni praefuit, fatearis necesse est, acutum et perdoctum hominem fuisse, in quo nihil, nisi effrenatam, de qua diximus, audaciam reprehendas. Cum igitur haec editio, si minus Velleji manum, at certe quod intelligi posset, exhiberet, quis miretur, eam a doctis

---

*e)* *Sigism. Gelenium* hanc editionem curasse pro certo habet *Bardili* l. l. a 1820. P. VIII. p. 669. a. 1821. P. I. p. 112. et *Veesenmeyer* im Neu. Litterar. Anzeiger a. 1806. Nr. I. p. 7. *F.*

indoctisque cupide arreptam esse, Rhenanianam autem, tot ulceribus scatentem, prorsus neglectam? Immo, quod magis mirere, sequentes Velleji Editores, etiam qui Critici dici haberique vellent, hanc adulterinam prae sincera Rhenani expresserunt. Iactat quidem Burmannus, se Vellejum ad primam Rhenani editionem exegisse. Sed res non apparet. Ipse quoque Basileensem interpolationem plerisque locis secutus est, satis habens, primae editionis lectiones, quae in textu poni debebant, in notis commemorasse. Quo magis necessarium f) duxi, verum et germanum Vellejum, qualis in Rhenani editione prodiit, tandem aliquando reducere. Quanquam vereor, ne mihi interdum irascantur artis criticae expertes, qui Velleji textum multis locis mendosiorem, quam erat in Burmanniana et aliis Editionibus, dederim. Sed sic facere Editorem conveniebat, qui non hominum eruditorum somnia dare vellet, sed prima editione, quae ad unius Codicis exemplum formata esset, per omnia sequenda, summam lectionis veritatem quaerere statuisset. Ne orthographiam quidem, quamvis saepe vitiosam, mutare ausus sum, recte, ut opinor, judicans, in scriptore, qui ex uno tantum Codice prodiisset, nullam religionem posse nimiam videri. Nec tamen ita me primae editioni quasi in servitutem addixi, ut emendationibus sive aliorum, sive meis, tam liquidis et certis, ut qui dubitet, stuporis notam subeat, locum in textu denegarem. Tum autem diligenter vetus lectio indicata est, ut, qui novam minus probet, ingenio suo fruatur. Quoniam vero de Junta, Vascosano, et Editore Basileensi dicere incepimus, non alienum videtur, de reliquis etiam, qui in Vellejo recensendo elaborarint, judicium nostrum interponere. In

---

f) *Zumpt:* „Adjici velis *equidem.*“ *F.*

his alii nullum g) fere operae pretium fecerunt, ut Schegkius, Popma, Gruterus, Boeclerus. Quorum postremum, si mei res arbitrii fuisset, hac editione prorsus exclusissem, quod dudum explosa est a viris doctis, inprimis a Cl. Ernesto in pulcherrima praefatione ad Tacitum p. 49. eorum stultitia, qui Historicos politica ratione interpretentur. Alii de Vellejo praeclare meriti sunt, ut Acidalius, Puteanus, Lipsius, Vossius, Heinsius. Acidalianum nomen gravi invidia laborat, praesertim apud eos, qui nihil in Veterum libris emendandis ingenio, omnia MStorum auctoritati, tribui velint. Neque ego negaverim, Acidalium, juventutis aestu ablatum, multa in notis ad Vellejum, quorum ipsum postea poenituerit, effudisse. Sed idem tot tam desperata Velleji vulnera tanta felicitate sanavit, ut facile appareat, eum, si ad maturitatem pervenire potuisset, majorem reprehensoribus suis Criticum futurum fuisse. Puteano, cultissimi ingenii viro, quicquid bonae frugis Aldus Nepos attulit, sublectum esse, Aldi ignavia credibile fac it Sed ut iste ab avita paternaque virtute descivit, ita Gerardus Vossius se dignissimum tanto patre filium in Vellejo edendo praestitit. Omnium tamen Velleji interpretum longe longeque principem pono Justum Lipsium, cujus miram sagacitatem in vitiis odorandis, et parem solertiam in iisdem tollendis, non dubitem Critices studiosis, tanquam praeclarum hujus artis exemplum, commendare. Nec Heinsii in praef. judicium discrepat a meo: *Lipsius tot conjecturis pulcherrimis Paterculum*

---

g) *Zumpt:* „Nescio quam latinum hoc sit *nullum operae pretium facere*; nondum enim legi apud veteres auctores, et habet in se aliquid, quod offendat. *Non facere operae pretium* sive *non facere, quod operae pretium sit*, probum est.“ *F.*

*emaculavit, ut, cum ubique sit in scriptis felix ac praestabilis, hic tamen semet videri possit post se reliquisse.* At Burmannus hunc principatum Heinsio detulit. In quo judicio plus, quam deberet, Heinsiani nominis favor, et Lipsiani odium, valuit. Nos aequi simus, et suam cuique laudem tribuamus. Fuit Heinsius omnium, qui fuerunt, et erunt posthac, in poëtis Latinis tractandis felicissimus. Sed haec tantopere celebrata felicitas illum destituit in prosae orationis scriptoribus, Vellejo, Petronio, Curtio, Tacito, aliis. Ac, si dicendum, quod res est, discrimen inter sermonem prosaicum et poëticum non satis videtur tenuisse. Qui enim in accurata ejus rei scientia fieri potuisset, ut tot formas poëticas Vellejo, et aliis, quos nominavi, scriptoribus obtruderet? Longius a Lipsii laude abest ultimus omnium Velleji Editor, Petrus Burmannus, praesertim in eo scriptore recensendo, in quo, propter crebras corruptelas, res omnis ad acumen criticum, quo illum minus valuisse scimus, rediret. Sed quid quisque boni ad Vellejum contulerit, perspicue apparebit ex notis nostris, ubi veras singulorum emendationes commemoravimus, falsas, quas refutare longum et molestum erat, silentio nostro condemnavimus. Hactenus de Velleji Editoribus, et nostrae editionis ratione. Sequitur, ut de ipso Vellejo aliquid dicamus. Praenomen Velleji incertum fecit Rhenanus, in titulo libri *P.*, in ipso libro *C.* edens. Sed *C.* a Rhenano in Codice inventum arbitror, propterea quod, si *P.* reperisset Burerius, id pro diligentia sua non videtur praetermissurus fuisse. Rhenanus autem in titulo *P.* edidit, non Codicem, sed Tacitum Ann. III. 39. secutus. Ego *C.* praeferam, commune cum avo praenomen, quod non minus facile apud Tacitum in *P.* abire potuit, quam in *M.* apud Priscian. VI. p. 706. Nec dubitem assentiri Rhenano in Vita

Vell. et Lipsio, P. Vellejum, legatum exercitus in Thracia, cujus Tacitus l. c. mentionem facit, eundem *h*) statuentibus C. Vellejo, historiae scriptori. Profecto qui familiae suae dignitatem ostentaturus, in tali compendii brevitate locum invenit tritavi, atavi, avi, patris, patrui, fratris, laudandi, quomodo cognatum alium, praesertim exercitus ducem, si ullus tum praeter se et fratrem fuisset, silentio praeteriiset? Quod autem Ryckius, eumque secutus Cl. Ernestus objiciunt, nihil de expeditione, quam Tacitus Vellejo tribuit, in ejus historia reperiri, facilis ac promta responsio est, ejus rei narrationem justo historiae operi, quod toties promittit, servatam esse. Majoris momenti est quaerere, quid tandem Vellejum impulerit, ut, cum in priore historiae parte tot liberi spiritus documenta dedisset, in posteriore se ad humilem et servilem Tiberii adulationem demitteret? Utrum id gratiae captandae caussa fecerit, an metu diri tyranni subactus? Heinsius in epistola ad Casp. Fagelium, et Perizonius Anim. Hist. cap. VI. p. 211. sibi persuaserunt, Vellejum hoc opusculum non alia de caussa scripsisse, nisi ut Tiberii, Sejani, et aliorum hominum primariorum gratiam aucuparetur. Verum quis credat, Vellejum tam stultum fuisse, ut, cum ad Tiberii amicitiam arrepere constituisset, id non compendiaria via faceret, libello, ut hoc utar, de rebus gestis Tiberii scribendo, sed antequam ad Tiberii laudes perveniret, per mille ambages infinita seculorum spatia pervagaretur? Addit Heinsius, eundem non alio consilio res Romanas a Trojano excidio et erroribus Aeneae, qui Iuliae nobilitatis auctor fuisset, ad tempora sua deduxisse, nisi ut apud Tiberium, qui adoptione

*h*) *Zumpt:* „Maluerim *eundem statuentibus esse atque hunc C. Vell.* Nam *idem* cum dativo non construunt, nisi poetae.“ *F.*

in gentem Iuliam transisset, gratiosus fieret. Sed hoc est fingere, non demonstrare. Nos, unde Vellejus historiam orsus sit, nescimus, initio primi libri intercepto. Atqui, si Trojanorum errores memoravit, id fecit eo consilio, quo Graecorum errores attigit, ut civitatum ab illis conditarum primordia demonstraret. Levior est Barthii ratio, nec digna, quae refellatur, cui Advers. LX. 6. Vellejus *tantum praeconem Romani nominis agere* videtur, *ut eo solo fine scripsisse videri possit.* Si igitur haec adulatio a nullo *k)* gratiae profecta est aucupio, relinquitur, ut saevi et suspicacis domini metu sit expressa. A qua necessitate adulandi caussas Tacitus etiam repetit Ann. I. 1. forte Vellejum respiciens: *Tiberii, Cajique, et Claudii, ac Neronis res, florentibus ipsis, ob metum falsae.* Dicat aliquis cum Lipsio Epist. Quaest. V. 11. *Vera scribere. si non licuit, falsa non debuit. Nemo silentii caussam reddit.* At sic Vellejo in otio inertissimo consenescendum fuisset; qualis vita magnis et gloriae cupiditate incensis ingeniis mors est; neque historia Romana attingenda. Et quis tam hospes est in Caesarum historia, quin sciat, ipsum silentium probis doctisque viris crimini fuisse? Haec tam misera scriptorum sub tyrannis conditio facit, ut, si minus excusandum, certe lenius accusandum, Vellejum arbitrer, praesertim cum ejusdem culpae socios habeat, ne de poëtis dicam, Valerium Maximum, Senecam, Curtium, utrumque Plinium, Quinctilianum, et alios. Atque hanc sententiam, praeter R. Bentlejum ad Lucan. I. 33. maturiore aetate idem, qui juvenis alia omnia senserat, Perizonius in Curtio vind. p. 5. probavit. Alii alia in Vellejo reprehendunt, majore cum

---

*i) Zumpt*: „Minus Latinum videtur *a nullo* pro *non est profecta* cet.“ *F.*

iniquitate. Mitto Aldum Nepotem, hominem nullo in his literis sensu praeditum, qui ad II. 52. Vellejum non optimum Latinitatis auctorem vocat. Barthio occurrendum est, qui Advers. XVI. 7. et ad Stat. II. Achill. 146. orationis elegantiam Vellejo facile concedens, tamen sibi in eo castrense dicendi genus visus est reperisse. Quam Barthii reprehensionem suam fecit Daumius de amiss. radic. L. L. p. 475. Quis non atrum verborum et locutionum castrensium indicem, quo talis accusatio confirmaretur, exspectasset? At illi ridicule defunguntur duobus exemplis verborum *praescribere* et *praedicere*, pro supra dicere, quorum prius a mala manu Vellejo insertum docuimus ad II. 21., posterius Trogi Pompeji, Columellae, et aliorum auctoritate defendimus. Non minus falsum est, quod Burmannus dicit, Velleji dictionem multum a munditia Augustei aevi *k)* descivisse. Id non melius refelli a nobis potuit, quam locutione quaque, de qua talis dubitatio nasci posset, optimorum scriptorum exemplis confirmanda. Alia igitur Velleji vituperatores reprehendant, si volunt, aut possunt: venustum et exquisitum loquendi genus carpere supersedeant, nisi veteris elegantiae inscitiam prodere velint. Rectissime idoneus, si quis alius, hujus rei arbiter, M. A. Muretus ad Cicer. Catil. III. 10. ait, *historiam a Vellejo terse inprimis atque eleganter explicatam esse.* Ne tamen Vellejum simpliciter et sine exceptione laudemus, ultro fatemur, perinde nobis, ac Burmanno, aliisque multis, nimis frequentatum videri istud acutarum festivarumque sententiarum aucupium, quod in prosam orationem primus invexit Trogus Pompejus, in ligatam Ovidius. Certe plus laudis ab intel-

---

*k)* *Zumpt*: „Vox *aevum* Ciceronis quidem imitandi studiosis poetica videbitur.“ *F.*

ligente posteritate tulisset, si hac quoque parte imitatus esset Sallustium suum. Hunc enim unum sibi imitatione effingendum sumsit, ab hoc illud artificium indolis humanae describendae didicit, hujus aemulatione efficax est et brevitate nervosus, ab hoc denique totus ita pendet cum in verbis, tum in orationis structura, ut magnopere mirandum sit, rem tam manifestam viros eruditos fefellisse. Hac imitatione semel animadversa, quo studio nos ad Vellejum, eodem ad Sallustium cognoscendum dedimus. Ac profecto, si forte aliis felicius in Vellejo corrigendo versati videmur: quanquam nobis non tantum sumimus, ut Lipsii felicitatem nos assecutos putemus: veruntamen si Vellejus cura nostra castigatior prodit, illud non tam qualicunque ingenio nostro tribuendum est, quam summae familiaritati cum Sallustio contractae, et perpetuae utriusque scriptoris comparationi. Hic aliquis quaerat, quid sit, quare et Vellejus et ceteri historiarum scriptores, deserto eloquentissimo Livio, sese certatim ad Sallustium imitandum contulerint? Sallustianus fuit, teste Seneca Ep. 114. Arruntius, belli Punici scriptor, qui dudum periit: Sallustiani, qui supersunt, Tacitus, Septimius, Sulpicius Severus, Pseudo-Hegesippus. Nempe ab his omnibus, sicut a Martiale XIV. Ep. 191. habitus est

*Primus Romana Crispus in historia.*

Sed finem praefandi faciam, si id, quamvis leve, monuero, Velleji historiam, quae adhuc ab uno inter veteres Prisciano VI. p. 706. laudata existimatur, etiam a Scholiaste Lucani ad IX. 178. laudari. Vale.

— Ao. MDCCLXXIX.

# CENSURA
## LIBRI IGNARRIANI
DE
# PALAESTRA NEAPOLITANA,

Ex BIBLIOTH. CRIT. Part. V. p. 77, sqq. *).

---

**DE PALAESTRA NEAPOLITANA** *Commentarius in Inscriptionem Athleticam, Neapoli A.* 1764. *detectam, etc. Accedit de Bithysiae Agone Puteolano Dissertatio. Neapoli A.* 1770. 4. *ex Typographia Donati Campi.*

Nulla temere gens est, quae majorem, quam Itali, de antiquitate bene merendi opportunitatem habeat, et studiosius constantiusque in hoc genere elaboret. Verum, quantum animus fructum capit ex monumentis antiquis, quae per illos in lucem proferuntur, tantum taedii et offensionis devorat legendis verbosis, jejunis, et temere corrasis explicationibus, quae his monumentis adjunguntur. Etenim illi, relictis fontibus, unde Sigonii, Manutii, Victorii, et similes seculo XVI fluxerunt, id est, neglecta Veterum Scriptorum assidua lectione, rivulos, eosque turbidissimos, et multum sordium trahentes, consectari coeperunt. Saepius igitur ab illis testes citantur Rosinus, Knippingius, Pitiscus, quos nemo Batavorum, ne refellendi quidem caussa, nominare audeat, quam Cicero, Livius, Plinius; aut si forte ho-

---

*) Ab ipso Wyttenbachio adscripta Ruhnkenio, Bibl. Crit. Part. IX. praef. p. VI. *B.*

rum quoque testimonia afferuntur, facile patet, alienâ fide laudari. In horum Antiquariorum numerum, tantum abest, ut Nicolaus Ignarra, V. Cl., de cujus libro sententiam dicimus, referendus sit, ut potius cum Fabretto, Maffeo, et Corsino, quibus elegantiores lapidum vetustorum interpretes vix tulit Italia, comparandus videatur.

Magistro usus est Alexio Symmacho Mazochio, viro doctissimo, cui librum inscripsit. Sed acrior in discipulo vis judicandi est, major etiam rerum delectus. Saepe ille quidem a re propositâ digreditur. Sed hanc evagationem tantâ eruditione compensat, ut longissimam quamque digressionem lectu dignissimam esse, fateare. Scribendi occasio ipsi nata est ex Inscriptione Athleticâ, quae multa singularia, nec aliunde cognita, complectitur, effossa Neapoli A. 1764. Hanc parte aliqua mutilatam mira sagacitate supplevit, et pererudito commentario illustravit. Initio consilium erat, nihil, nisi quod ad hujus Inscriptionis explicationem pertineret, in medium afferre. Sed mox patriarum rerum amore invitatus, omnia Neapolitanorum studia palaestrica, inde ab Augusto, usque ad Commodum complexus est, et per hanc occasionem multas antiquitatis partes e tenebris in lucem vocavit. Denique adjecit dissertationem de Buthysiae agone Puteolano. Inscriptionem, quam diximus, Flavio Archibio dedicavit *ἡ φιλοσέβαστος καὶ φιλορώμαιος Ἀλεξανδρέων περιπολιστικὴ εὐσεβὴς σύνοδος*. Hic Cl. Ignarra p. 20. docet, Alexandrinos tam devotos fuisse numini majestatique Augusti, ejusque successorum, ut urbem suam de illorum nominibus appellarent. Quam in rem affert Stephan. Byz. v. *Ἀλεξάνδρεια ἐκλήθη δὲ ἐπὶ τῶν Ῥωμαϊκῶν Σεβάστη, καὶ Ἰουλία, καὶ Κλαυδία, καὶ Δομιτιανή, καὶ Ἀλεξυντηρία*. In postremo nomine, quod manifeste vitiosum est, sic ingenium experitur:

*καὶ ἄλλ' ἐξ εὐετηρίας;* hoc est, ipso interprete: *et alia nomina, pro temporum opportunitate.* Sed primum constructio *ἄλλως*, non *ἄλλα*, postulat: deinde *εὐετηρία* non *temporis opportunitatem*, sed *felicem annonae proventum* significat: vide Perizon. ad Aelian. V. H. II. 17. Alia igitur medicina depravato loco quaerenda. Tum forma non aliunde nota, *περιπολιστικὴ σύνοδος*, ut bene comparatur cum Latino *circumforaneus*, sic minus recte a *περιπολέω* ducitur. Non succurrebat viro doctissimo locus Phrynichi apud Pollucem VII. 203. *Ὦ κάπραινα, καὶ περίπολις, καὶ δρομάς.* ubi *περίπολις* est meretrix *περιπολιστικὴ*, *circum oppida vagans*, quam *περίδρομον* vocat Theognis v. 581. Nollem etiam huc trahi corruptam glossam Hesychii: *Πολιστὴν Σικελίαν· ἀντὶ τοῦ, νῆσον.* quam viri docti verissime sic correxerunt: *Πόλιν· τὴν Σικελίαν·* Mox p. 25. athletas *περιπολιστικοὺς* comparat cum *νικηφόροις περιαγειρομένοις* apud Platonem Polit. X. p. 521. nescio, an bene. Nam *σύνοδος περιπολιστικὴ* est, quam Galli dicunt, *une troupe ambulante.* At *νικήφοροι περιαγειρόμενοι* sunt victores ludorum, qui munuscula exigunt a spectatoribus; de quibus quae Ruhnkenius ad Timaei Lex. Platon. p. 153. disputat, non videtur legisse.

P. 32. in transitu sic corrigit Pausaniam VI. 13. ut pro *Ἥρᾳ τῇ Λακεδαιμονίᾳ* legat *Ἥρᾳ τῇ Λακινίᾳ.* Nihil verius.

P. 35. bene illustrat rarissimam vocem, quae in hoc marmore occurrit, *παραδοξονίκης*, eamque vindicat Plutarcho in Cimon. p. 531. Nec minus erudita est annotatio de formula laudandi hyperbolica, *πρῶτος ἀνθρώπων*, quae saepe in hoc lapide repetitur, quam cum recte cepisset, non debebat ad argutias delabi, et *πρῶτον ἀνθρώπων* explicare athletam, qui in primo pari decertarat.

P. 52. Docta est digressio de Inscriptione Panormitana, ubi jocularem prodit Inscriptionem, ex tabula aerea descriptam: *ῬΩΜΗ ΚΕΦΑΛΗ ΚΑΘΑΡΟΥ.* qua Graeculus Latinae linguae imperitus exprimere voluit Latinum: *Roma caput mundi.*

P. 55. Praeclare demonstrat, *τὰ ἐν Ἡρακλείᾳ ἐπινίκια Τραϊάνου*, quae in hoc marmore commemorantur, esse illos ipsos *quinquennales agonas, qui Trajani appellantur*, apud Plinium X. Ep. 79. post iselasticos factos a Trajano, apud eundem X. Ep. 119. Ex qua animadversione, nescio, plusne lucis Plinius, an marmor vetus capiat. Verum quod in priore Plinii loco *Tianorum* pro *Theanorum* reponit, id dudum legitur in bonis Editionibus. Aliis quoque indiciis deprehendimus, nihil doctissimo Ignarrae tam defuisse, quam bonorum librorum copiam.

P. 62. docet, *πενταετηρίδα* et *quinquennalia* non semper quinque annorum spatium significare, sed interdum *καταχρηστικῶς* poni pro quovis sacro conventu, sive, quod idem est, vocabula *πενταετηρὶς* et *πανήγυρις* synonyma esse. Qua palmaria animadversione, nemini dubium sit, quin multae Chronologorum rixae componi possint.

P. 76. erudite disputat de sacro agone Ephesino, qui in lapidibus apud Gruterum *Βαλβίλλεια*, sed in hoc Neapolitano *Βαρβίλλεια* dicitur rectius, a Barbillo, Astrologo, cujus mentionem facit Dio Cassius L. LXVI. p. 1084.

P. 89. In marmore haec erat lacuna: *Ἐχε . . . . . Ἄργους ἀσπίδα·* quam Cl. Ignarra sagacissime explevit, hoc modo: *Ἐχελίδας τὴν ἐξ Ἄργους ἀσπίδα·* confirmans conjecturam ex Stephano Byz. v. *Ἐχελίδαι.*

Haec omnia ex commentario in Inscriptionem athleticam delibavimus. Sequitur p. 89. diatriba de Pa-

laestra Neapolitana, ex qua longam adversus vanissimum nugatorem, Martorellium, disputationem sublatam vellemus. Melius enim est, absurde dicta ridere, et contemnere, quam serio refellere.

P. 102. Longiuscula est disputatio de *Ephebeo*, cujus tectum V. Cl. in absidem curvatum fuisse putat, inductus loco minus intellecto 2. Maccab. IV. 12. *Ἀσμένως γὰρ ὑπ' αὐτὴν τὴν ἀκρόπολιν γυμνάσιον καθίδρυσε, καὶ τοὺς κρατίστους τῶν ἐφήβων ὑποτάσσων, ὑπὸ πέτασον ἦγεν*. quod interpres vulgatus sic vertit: *Etenim ausus est sub ipsâ arce gymnasium constituere, et optimos quosque Ephebórum in lupanaribus ponere.* Hic vir doctus *πέτασον* accipit pro aedificio ad petas formam testudinato, creditque, eam vocem ab interprete vulgato, cum *fornicem* vertere debuisset, *lupanar* versam esse, contumeliae caussâ. Sed haec ratio contorta est, et a vero aliena: *πέτασος* est, *τὸ τῶν ἐφήβων φόρημα*, ut recte explicat Hesychius, et *ὑπὸ πέτασον ἄγειν* significat *ad certamina gymnica vocare.* Latini locutione non prorsus dissimili dicunt, *servos ad pileum vocare*, pro excitare ad ea agenda, quae liberi homines agere solent, sive ad libertatem vocare. Illud miror, nec Cl. Ignarram, nec quemquam alium vidisse, verbum *ὑποτάσσων* in illo Maccabaeorum loco expungendum esse, tanquam variantem lectionem vocum *ὑπὸ πέτασον*.

P. 117. Varias voeis *γυμνάσιον* notiones exponit, in primis illam minus tritam, qua pro *balneo* dicitur.

P. 132. Ex occasione disserit de *favissis templorum*, easque in lapidibus antiquis *loca abdita*, et *loca obscura* dictas ostendit. Quae tam similia sunt iis, quae de his *favissis* ad Liv. V. 50. scripsit Drakenborchius, ut inde sumta putares. Sed illum plagii suspicione absolvit summa, de qua ante diximus, bono-

rum librorum inopia. Eodem modo an excusari possit Jacobus Rhoerius, illa ipsa de favissis tradens, Fer. Daventr. Cap. 2. p. 16. viderint alii.

P. 167. Profert marmor Graecum ex Ducis Nojae museo, in quo hoc distichon scriptum est:

ΣΗΜΑ ΦΙΛΕΙΝΩ
ΤΟΥΤΟ ΦΙΛΩ ΔΕΙ ΜΕΝ
ΘΕΡΑΠΟΝΤΙ
ΙΠΠΟΚΡΑΤΗΣ ΠΑΣΗΣ
ΕΙΝΕΚΕΝ ΕΥΝΟΙΑΣ

Quod Cl. Ignarra minus feliciter sic distinguit:

Σῆμα Φιλείνῳ (τοῦτο φίλῳ δεῖ μὲν θεράποντι)
Ἱπποκράτης πάσης εἵνεκεν εὐνοΐας.

Scribendum:

Σῆμα Φιλείνῳ τοῦτο φίλῳ δεῖμεν θεράποντι
Ἱπποκράτης πάσης εἵνεκεν εὐνοΐας.

Incertus Poëta Anthol. III. p. 300. Αὐτῷ καὶ τεκέεσσι γυναικί τε τύμβον ἔδειμεν Ἀνδροτίων. Atque ita, his scriptis, correxisse video virum elegantissimum, V. M. Giovenazzium ad Livii Fragm. p. 44. a).

Nunc venimus ad locum hujus Diatribes maxime memorabilem, p. 182. ubi de Petronio Arbitro multa nova, nec ante cuiquam cognita, traduntur. Satis constat, Scriptorem Satyricôn, qui conficto ex Taciti Annalibus nomine T. Petronius Arbiter dicitur, a viris summis, fratribus Valesiis, multo recentiorem, quam vulgo putetur, habitum esse: cum quidem Henricus illum ad tempus Gallieni, Hadrianus ad Antoninorum,

---

a) „Insere:" P. 180. Euripides ap. Plutarchum de Is. et Osir. p. 166. Ἑκάτης ἄγαλμα φωσφόρου κύων ἔδει. quod ego cum aliis *Hecatae delicias* explicem, non *Hecatae symbolum*, ut placet doctissimo Ignarra, de Palaestra Neap. Ruhnk. ad Tim. p. 7. et Pors. ad Hec. 1265." KIDD. *B.*

neuter satis certis argumentis, referret. Tandem exortus est Cl. Ignarra, qui idoneis, nec facile convellendis, rationibus, id quod tantum suspicatus erat Hadrianus Valesius, demonstraret, Satyricôn Scriptorem extremo Antoninorum tempore vixisse. Disputationis summa haec est: Vix potest dubitari, quin Petronius in illa ipsâ urbe, in qua Trimalchionis coenam instruxit, hoc est, Neapoli, libros Satyricôn conscripserit, et Neapolitanorum in primis mores perstrinxerit. Nec tantum multi Graecismi, sed etiam idiotismi, quorum nonnulli adhuc plebis Neapolitanae ore frequentantur, illum in hac urbe vel natum, vel educatum arguunt. Jam temporis, quo vixit, indicium ipse praebet Cap. 44. 57. 76. aliisque locis, Coloniam appellans Neapolim, colonicosque Magistratus commemorans. Quod facere nullo modo potuit, nisi sub extremis Commodi temporibus, quibus demum Neapolim coloniam factam esse, Cl. Ignarra p. 220. tam accurate demonstravit, ut nihil dubitationis superesse videatur. Denique Petronius Cap. 76. mentionem facit Mathematici, Serapionis. Atqui hunc sub Antonino Caracallà vixisse, scimus ex Dione Cassio LXXVIII. p. 1313. Mittimus alia, quibus vir doctissimus usus est, argumenta; quae singula et sola etsi non multum ponderis habent, tamen in unum collata Petronium ex optimà aetate, in qua illum Burmanni aliorumque admiratio collocarat, ad hanc deteriorem facile detrudunt. Sed erunt fortasse, qui dicant, fieri non posse, ut Petronius, qui vulgo *Latina Siren*, si Dis placet, appellatur, aetate vixerit in barbariem inclinante. Est sane ejus oratio elegantissima: sed eadem multis maculis inquinata. Placetque nobis judicium eruditissimi Ignarrae, Petronium elegantiam habere ab assidua veterum lectione et imitatione; sordes a seculi Antoniniani contagione. Sic Lactantius, scriptor

disertissimus, elegantiam a Ciceronis studio traxit, barbarismos ex aetate, qua vixit, Constantini.

P. 192. erudite demonstrat, Pinacothecam, quam Petronius Cap. 83. commemorat, non esse diversam ab ea, quam Philostratus vidit, atque enarravit. Verum non sequimur ejus opinionem, e quatuor Imaginum libris, quos Suidas a Philostrato scriptos tradit, duos intercidisse. Omnes sane Imagines supersunt: sed quae nunc in duo libros, olim in quatuor dividebantur. Vidimus Parisiis in bibliothecâ regiâ Imaginum codicem MS. in quo L. II. Cap. 11; notatur: *Φιλοστράτου εἰκόνων γ̄.* et L. II. Cap. 27. *Φιλοστράτου εἰκόνων δ̄.* Talis igitur codicis fidem Suidas secutus est.

P. 230. Sequitur docta et copiosa Dissertatio de Bulhysiae agone Puteolano, qua multum lucis affunditur marmori Graeco apud Gruterum p. 1105. Nollemus tamen, vir eruditus p. 247. 264. ad ludibria originum orientalium delapsus esset, imitatione magistri Mazochii, quem, constat, omnia Graeca et Latina ex Hebraïcâ linguâ repetiisse, et his nugis Vossii Etymologicon, quod nuper Neapoli recusum est, refersisse.

P. 243. non vulgari eruditione disputat de Numis Graeciae Italicae et Siculae, in quibus Achelous, ubertatis agrorum symbolum, signatus est.

P. 286. Per occasionem profert Epigramma Graecum, marmori inscriptum, quod ipsi *elegantissimum*, nobis nec elegans, nec valde vetustum videtur:

*Πατρίδος ἐκ Σμύρνης βροτοὶ μ' Εὐθαλεα καλέεσκον,*
*Εἵνεκ' ἐμῆς ὄιρης, καὶ μεγέθους ἐρατοῦ.*
*Ἀλλά με μοῖρ' ὀλοὴ, πρὶν ἰούλοις πλῆσαι παρειὰς,*
*Ἥρπασε πὰρ φιλίων, οὓς τοκέας ἐκάλουν.*

In quo cum Diphthongi *οι* in *βροτοὶ*, et *αι* in *πλῆσαι* ante consonantem corripiantur, hinc vitiosae prosodiae praesidium petit. Sed, quid hac de re in Angliâ et

Belgio, patrum memoriâ, disputatum sit, vir egregius nescivisse videtur. In tertio autem versu nihil est, quod hanc opinionem confirmet, si levi mutatione scribas: πρὶν ἰούλοις πλῆσα παρειάς.

Ex his speciminibus, quantum bonae frugis Cl. Ignarrae libro insit, satis superque, arbitramur, intelligi posse.

— Ao. MDCCLXXX.

---

# CENSURA
## POEMATIS ORPHICI
# DE LAPIDIBUS,
### ED. TYRWHITTO *).

---

Ex BIBLIOTH. CRIT. Part. VIII. p. 85, sqq.

---

*ΠΕΡΙ ΛΙΘΩΝ. De Lapidibus, Poëma Orpheo a quibusdam adscriptum, Graece et Latine, ex editione* J. M. GESNERI. *Recensuit Notasque adjecit* THOMAS TYRWHITT. *Simul prodit Auctarium Dissertationis de Babrio. Londini* 1781. 8.

Ex iis, qui nunc Critici in Britannia numerantur, dubito, an quisquam ullo sit genere laudis Thomae Tyrwhitto anteponendus. Non enim vanis incertisque con-

*) A Wyttenbachio adscripta Ruhnkenio, Bibl. Crit. Part. IX. praef. pag. VI. *B.*

jecturis lectorem ludit, aut ingenii ostentatione lascivit, sed criticae disciplinae severitate usus, sententiam cujusque Scriptoris amplectitur, ex eaque in omnes partes versata facile elicit, quod prius scriptum erat. Has autem tam felices emendationes non, qui multorum mos est, Thrasonico flatu jactat, sed summa modestia viris eruditis judicandas proponit. Testes sagacitatis et moderationis sunt Euripides, Plutarchus, et Babrius, de quibus alias diximus *a)*. Testis iterum libellus, cujus titulum hic posuimus. Unde natum sit hujus Carminis denuo recensendi consilium, docta praefatione explicatur. Cum enim vulgo, librorum veterum auctoritate, Orpheo tribueretur, viri eruditi, in his jam olim Graeculus nescio quis, Demetrius Moschus, cujus argumentum libello praemittitur, temere sibi persuaserunt, omnia, quae dicantur, ex Orphei persona dici. Quod ubi semel pro vero sumtum erat, incredibile dictu est, quanta totius Oeconomiae, quam vocant, consecuta sit perturbatio, et quantae tenebrae rebus alioqui claris et perspicuis inductae. Gesnerus quidem, omnia ad istam

---

*a)* Exstat Tyrwhitti *Appendix* ad Musgravii Exercitationes in *Euripidem*, p. 133—176, unde obiter ejus fit mentio in Censura Edit. Musgravianae, Bibl. Crit. P. IV. p. 15. *Plutarchi* Fragmenta duo, ex Cod. MS. Harlejano, primus edidit Londini, 1773, postea in Germania repetita a Schneidero in Edit. libelli Plutarchei de Pueror. Educ. 1775. indeque obiter memorata ejusd. Op. P. III. p. 90. De *Babrio*, Fabularum Aesopearum scriptore, Diss. edidit Londini, 1775. cujus ibidem exstat censura P. II. p. 120—128. Ceterum, qui Tyrwhitti merita in rem Literariam uberius cognoscere cupit, adeat Auctarium Praef. Ed. Angl. Opusc. Ruhnkenii p. LXIII—LXX. [Brevem hanc vitae Tyrwhitti adumbrationem dedit etiam F. A. Wolf in Litter. Analect. P. IV. p. 549. sqq. *F.*] *B.*

opinionem interpretari conatus, quot se laqueis induit? quam misere sudavit, ut sé inde expediret? At vero Tyrwhitti sagacitas cum vidisset, nihil in hoc Carmine ex Orphei persona dictum esse, nihil omnino ad Orpheum referri, nullo negotio cum Carminis dispositionem perspexit, tum caliginem, quam aliorum error rebus offuderat, discussit. Scilicet libelli auctor lapidum vires enarrat, partim theurgicas, quibus Deorum benivolentia concilietur, partim medicas, quae adversus serpentum ictus et venena valeant. Hanc narrationem Theodamanti cuidam tribuit, qui deinde Helenum, Priami filium, ad Philoctetem loquentem inducit: plus auctoritatis, ratus, praecepta sua habitura, si sub tam clari vatis nomine proderentur. Orphei autem nomen carmini ἀδεσπότῳ inscripsit imperitus aliquis, qui similes ineptias ad Orpheum auctorem referri, alicunde audivisset. Nec alio errore vetus carmen περὶ καταρχῶν *b*), Maximo, qui magiae crimine periit, adscriptum videtur. Sed praeclarae hujus disputationis laus omnino communicanda est cum viro doctissimo, Ioanne Schradero Praef. ad Emend. p. 11. ubi carminis Oeconomia brevius quidem, sed iisdem rationibus, explicatur. Ac nescio, an utroque prior rem viderit Gisb. Koenius ad Gregor. de Dialect. p. 124; certe eum vs. 389. verissime emendantem Πριαμίδαο pro Παλαμήδαο, vix poterant reliqua latere. Tyrwhitto Carmen scriptum videtur post A. C. 357. hoc est, post Imp. Constantii Legem in Cod. Theodos. IX. Tit. 16. 4. qua Magi, sive, qui tum fere pro

---

*b*) Cf. Fragm. Ruhnken. ex Heynii Virgil. Adde auct. emend. ad Hesych. v. ἀρήμενος. Ep. Crit. I. p. 87. et 109. et II. p. 193. Tyrwh. ad Pseud.-Orph. Praef. p. x. et p. 106. laudata Editori Anglo in Ind. Auct. Vet. v. Poëta Vetus π. κ. Β.

Magis habebantur, Philosophi, gladii poenam subibant. Ad quod supplicium a Poëta respicitur vs. 73:

*Καί κεν ὁ μὲν κονίαισιν ὑπ' ἄορι κρατὸς ἀμερθεὶς*
*Λευγαλέῳ θανάτῳ δῖος φὼς ἐκτετάνυται.*

At cum jure dubitem, an Valentiniani et Valentis aetas carmen tam sani coloris proferre potuerit, potius referam ad tempus Domitiani, qui, teste Dione Cassio LXVII. p. IV, philosophos partim urbe et Italia ejecit, partim poena capitis affecit. Sub finem praefationis, quam Tyrwhittus libello praemisit, velut in transitu, memorabilis et digna tali ingenio de Manethone animadversio profertur. Primum multis indiciis, cum rerum, tum vocabulorum, demonstratur, Apotelesmata non e Manethonis Aegyptii, sed ex incerti Poëtae, qui sub occasum imperii Romani vixerit, officina prodiisse. Deinde tam perspicue, ut dubitari non possit, docetur, duos libros ex iis, qui Manethoni tribuuntur, nempe I. et V. non profectos a scriptore librorum reliquorum, II. III. IV. et VI. sed ab alio versificatore, interdum per turpe plagium, ex ipsius Manethonis verbis conflatos. Superest, ut specimina quaedam egregiarum emendationum, quibus Carmen de Lapidibus restituitur, apponamus.

Vs. 206. vulgo editur, nulla sententia:

*Ἐν γάρ σφιν μέγα δή τι φερέσβιος ἔμβαλε πνεῦμα*
*Ἠέλιος, ῥοῖζον ἐρικυδέος αὐτίκα φωτὸς*
*Σεμνοτέρους τ' ἰδέειν.*

Hunc locum sic constituit vir eruditissimus:

*Ἐν γάρ σφιν μέγα δή τι φερέσβιος ἔμβαλε πνεῦμα*
*Ἠέλιος, ῥέζον ἐρικυδέας αὐτίκα φῶτας,*
*Σεμνοτέρους τ' ἰδέειν.*

Vs. 301, et 302. in vulgatis editionibus separantur, et cum mendis sic leguntur:

*Τόλμα δ' ἀθανάτους καὶ ἐνηεῖ μειλίσσεσθαι.*
*Μαγνήτην δ' ἔξοχ' ἐφίλησεν θούριος Ἄρης.*

At utrumque Tyrwhittus conjungit, praeclare emendans:

*Τόλμα δ' ἀθανάτους καὶ ἐνηεῖ μειλίσσεσθαι*
*Μαγνήσσᾳ. τὴν δ' ἔξοχ' ἐφίλατο θούριος Ἄρης.*

Vs. 356. in libris vulgatis est:

*τόν ῥα βροτοῖσιν*
*Ἤνδανεν ἄλλοισιν καλέειν ἄψυχον ὀφείτην.*

Nihil verius ejus correctione:

*τόν ῥα βροτοῖσιν*
*Ἤνδανεν ἄλλοισιν καλέειν ἔμψυχον ὀρείτην.*

Vs. 521. edd. vett. et MS. Parisin. habent:

*καὶ χερσὶν ἐνοκριθέντα τεῇσι*
*Ἀμφαφάεις λίθον, ὁ πρὶν ἔχων ὑγρὸν δέμας ἦεν.*

At vir praestantissimus legi jubet:

*καὶ χερσὶν ἐν ὀκριόεντα τεῇσιν*
*Ἀμφαφάεις λίθον, ὁ πρὶν ἔχων ὑγρὸν δέμας ἦεν.*

In qua emendatione nemo acumen et elegantiam desideret. Hom. Il. Θ. 337. *Τῇ ῥ' ἐπί οἱ μεμαῶτα βάλεν λίθῳ ὀκριόεντι.* Archias Analect. Brunck. T. II. p. 98. *Καρπὸν ἀλεῖ Δηοῦς ὀκριόεντι λίθῳ.*

Sed, quando de locis depravatis dicere coepimus, liceat de nonnullis, quae vir doctissimus praeteriit, sententiam nostram expromere. Vs. 13:

*Ἀλλ' ἤτοι κείνους μὲν ἀμώμητοι Διὸς οἶκοι*
*Χαίροντας δέξαντο, θεηγενέων ὄχ' ἀρίστους.*

Poëta scripsit *χαίροντες*. Vs. 38:

*καὶ πόντοιο κυκωμένου οὐκ ἀλεγίζων,*
*Βῆσε τ' ἐπὶ τραφερὴν ἀκυμάντοισι πόδεσσι.*

Verissima nobis videtur correctio Dorvillii ad Charit. p. 260. *ἐπὶ τραφερὴν χθόν'*, nec Tyrwhittus quaerere debebat: *quid mirum, si aliquis per terram incedat siccis pedibus?* Sensus enim hic est: *e mari salvus*

*in terram redibit.* Infra vs. 573. *καὶ πολιὸν Νηρῆα κυκώμενον ἐξυπαλύξαι.* Vs. 68:

*Ἐκ δ' οἴγε πτολίων τε καὶ ἀνδρῶν ἤλασαν ἐσθλὴν*
*Ἀ δειλοὶ, σοφίην.*

Omnino legendum:

*Ἐκ δ' οἴγε πτολίων τε καὶ ἀγρῶν ἤλασαν ἐσθλὴν,*
*Ἀ δειλοὶ, σοφίην.*

*Πόλεις* et *ἀγροὶ* saepe conjunguntur. Phocylides, qui dicitur, vs. 124: *Ἀγροὺς καὶ πόλιας σοφίη καὶ νῆα κυβερνᾷ.* Vs. 119:

*Πρίν περ ἀναστήσαντος ἀπὸ χθονὸς αὐχένα δεινὴν*
*Ἐφρασάμην.*

Etsi vulgatam lectionem damnare non ausim, suspicor tamen, a Poëta scriptum esse:

*Πρίν περ ἀνασχήσαντος ἀπὸ χθονὸς αὐχένα δεινὴν*
*Ἐφρασάμην.*

ut sit imitatio Callimachi Fragm. 438: *Ὃς δ' ὥστ' ἐξ ὀχεῆς ὄφις αἰόλος αὐχέν' ἀνασχών.* Vide Ruhnkenium Epist. Crit. II, p. 189. Vs. 246:

*Πέτρη, ἀλλ' ἔμπης πέλεται κρατερή τε γε πέτρη.*

Tyrwhitti V. Cl. conjectura non multum aberravit a vero. Scribendum:

*Πέτρη, ἀλλ' ἔμπης πέλεται κρατερὴ στερεή τε.*

Sic vs. 562: *ὥστε σε πάγχυ λίθον στερεὴν ὀΐσασθαι.*

Vs. 251.

*εἰ γάρ μιν ἐλαίῳ*
*Τριβόμενον τρίβοις κροτάφους πάντ' ἤματα σεῖο.*

Repone:

*εἰ γάρ μιν ἐλαίῳ*
*Τριβόμενον χρίοις κροτάφοις πάντ' ἤματα σεῖο.*

Sic etiam legerunt Scholiast. Parisin. et auctor Epitomes ap. Tyrwhittum p. 99. Vs. 265:

*Καὶ γλαφυρὸν κομίσας ἐαρόχροον αἴκεν Ἴασπιν.*

Bene Tyrwhittus *ἐαρόχροον* accipit pro *viridi.* Quam

explicationem confirmare potuisset ex Hemsterhusio ad Lucian. Nigrin. p. 52. Vs. 304.

*Ἥυτε παρθενικὴ γλαγόφρονι χερσὶν ἑλοῦσα*
*Ἠΐθεον.*

Legendum videtur:

*Ἥυτε παρθενικὴ μαλακόφρων χερσὶν ἑλοῦσα*
*Ἠΐθεον.*

Supra vs. 35:

*Καὶ μαλακὴ χρύσειον ἐπὶ λέχος αἰὲν ἐρύσσει*
*Ἄλληκτον κούρη.*

Vs. 349:

*Τόν ῥα μεθ' ὑσμίνην ἥκειν ποσὶν ἀτρεμέεσσιν.*

Mendum manifestum, *ἀτρεμέεσσιν* pro *ἀρτεμέεσσιν*, tam diu ferri non debebat. Hesychium, easdem voces confundentem, castigavit Bentlej. Epist. ad Mill. p. 36.

Vs. 423:

*Καί σφισιν ἐξαπίνης ῥόθος ἵσταται, οὐδέ τι πρόσσω*
*Νήχεται.*

Pro *νήχεται* scribendum suspicor *νίσσεται*, quod de serpente est apud Nicandrum Theriac. 222: *Νωθεῖ δ' ἔνθα καὶ ἔνθα διὰ δρυμὰ νίσσεται ὁλκῷ.* et vs. 470: *Οὔρεα μαιμώσσων ἐπινίσσεται ὀκριόεντα.* Vs. 434:

*οὔ ποτε νόσφι*
*Ἔσθενεν Εὐφόρβοιο φέρειν Ἰκετάονος υἱός.*

Hic locus, una littera mutata, sic expediendus est:

*οὐ πόδε νόσφι*
*Ἔσθενεν Εὐφόρβοιο φέρειν Ἰκετάονος υἱός.*

Vs. 510:

*Ψεῦδός κεν φαίη, τόδ' ἐτήτυμον αἶψα τετύχθαι.*

E vestigiis MS. Paris. *ἄρα τετύχθαι*, scribendum:

*Ψεῦδός κεν φαίη, τόδ' ἐτήτυμον ἦ ῥα τέτυκται.*

Sic supra vs. 342:

*Ἦ ῥα ποτ' εἰναετῆ λώβην ἀμενηνὸν ἔθηκας.*

Vs. 577:

*Καὶ χόλον ἀνδροφόνον φεύγειν ἀπὸ ληϊστήρων.*
Lege, transpositis literis:
*Καὶ λόχον ἀνδροφόνον φεύγειν ἀπὸ ληϊστήρων.*
*Λόχος* proprie dicitur de latronibus. Vide Cl. Valckenarium ad Bion. Carm. 15.

— Ao. MDCCLXXXIII.

---

# PRAEFATIO
## EDITIONIS
## A. CORNELII CELSI.

---

## LECTORI ERUDITO
### S. D.
### SAMUEL ET IOANNES LUCHTMANS *).

Cum nova, et ea quidem superioribus luculentior, Celsi Editio a nobis postularetur, statim circumspicere coepimus virum eruditum, qui Medicinae studium cum justa literarum, praesertim Latinarum, scientia ita conjunxisset, ut Editoris partes recte et cum laude sustinere posset. Quo frustra in Batavis et alibi quaesito, ipsi rem arduam suscepimus, et nostro Marte utcunque perfecimus, in consilium, ubi opus esset, adhibentes virum doctum, et in his literis versatum. De hujus prudenti admonitione, repudiato textu Lindeniano, quem Almeloveenius etiam secutus erat, Editionis nostrae quasi

*) Hanc praefationem Ruhnkenio tribuit Wyttenbachius, V. Cl., Bibl. Crit. P. XII. p. 113. sive Opusc. Wytt. Vol. I. p. 103. *B.*

basin fecimus exemplum illud, quod ex recensione Leonardi Targae Patavii 1769. 4. prodiit. Hic vir egregius, e Morgagni excellenti disciplina profectus, et magistri in Celso emendando studium aemulatus, Celsum ad fidem Manuscriptorum, inprimis veterrimi Medicei, tanta cura, et tam docta crisi recensuit, ut vere praedicari possit, hanc unam ex tanta copia, ad nostram usque memoriam, Editionem esse, quae Celsum integrum et illibatum exhibeat. Nec tamen satis habuimus Targae Editionem simpliciter repetiisse, sed commendationis aliquid etiam aliunde paravimus. Ita Celso nostro praemissa est elegantissima *de Celsi aetate* Dissertatio, scripta a Ioanne Ludovico Bianconio, clari nominis Medico, quem ob eruditionem valde laudat Cl. Ernestus ad Fabric. Bibl. Lat. T. II. p. 44. Quod argumentum cum Bianconius per Epistolas ad Tiraboschium lingua Italica scriptas late explicuisset, mox, rogatu nostro, totius rei summam paucioribus paginis conclusit, et Latine versam, paulo ante mortem, nobiscum communicavit. Eodem tempore forte in manus nostras venit vetusta Celsi membrana, nondum ab aliis collata, cujus Varientes excerpendas, et Editioni nostrae adjiciendas curavimus. Variorum quoque Notas, ex Editione, quae in hac urbe a 1746. prodiit, receptas, auximus Krausianis e Lipsiensi exemplari sumtis. Sed praecipuum huic Editioni ornamentum conciliat Index omnium verborum, sive Lexicon Celsianum, a viro doctissimo, Georgio Matthiae, Medicinae in Academia Gottingensi Professore, tam perite et scienter confectum, ut non uni Celso sive explicando, sive corrigendo, sed universae Latinitati profuturum arbitremur. Tale Lexicon olim condiderat Ioannes Rhodius; quod incendio periit. Tale etiam in praefatione ad Celsum promisit Cl. Targa. Sed res intra voluntatem stetit. Fuit autem clarissimus

Matthiae, qui et ipse Celsi Editionem parabat, eo magis idoneus ad hujusmodi Lexicon conficiendum, quo diutius, sub Gesneri auspiciis, in hoc genere laboris versatus erat. Hic enim Gesnero assiduam operam navavit in Latinae linguae Thesauro construendo. Ceterum ille Celsi Index apud Matthiae heredes in tenebris jacuit, donec aere nostro redemtus est, et per hujus Editionis occasionem in lucem vindicatus. Vale, erudite Lector, et nobis, si meremur, fave.

— Ao. MDCCLXXXV.

---

# PRAEFATIO
## APPULEII OUDENDORPIANI.

---

### AEQUO LECTORI
*S. D.*
### DAVID RUHNKENIUS.

Duo scriptores vel inprimis nobiles ex Antoninorum aetate, Gellius et Appulejus, cum, eloquentia saeculi sui non contenti, meliorem quaererent, judicio lapsi, in aliud genus magis vitiosum inciderunt. Cum enim omne recte scribendi consilium ad unius Ciceronis, et ut quisque ei simillimus est, normam dirigere debuissent, non ii quidem optimos illos omnino reliquerunt, sed tamen cum eorum imitatione scriptores ex ultima antiquitate repetitos ita conjunxerunt, ut modo cum Cicerone, Caesare, Livio, et similibus, modo cum Enan-

dri matre loqui viderentur. Ac Gellius quidem in hac κακοζηλίᾳ *a)* paullo moderatius versatus est, nec temere et passim verba exoleta arripuit, sed e solis fere Comicis priscis voces ac formulas exquisitiores, quibus orationem suam distingueret, libavit. Quod pulcre vidit Lipsius Praefat. ad Senecam: *Tu, Agelli, non nisi veteres Comicos, et Latii puritatem sectaris, et exprimis. fatendum est.* Quod judicium cum verissimum sit, nec obscuro loco positum, mirari subit, ne unum quidem ex tot Gellii Interpretibus, nisi forte I. F. Gronovium excipias, ad tam perspicuam et tot vestigiis impressam Comicorum imitationem attendisse. Quo minus dubito futuros ejus Editores, quasi praetereundo, admonere, ut, si in eo recensendo operae pretium facere velint, in Plauto, Terentio, et antiquorum Comicorum reliquiis tractandis assidui sint, et in hac comparatione, Gellii vel explicandi, vel corrigendi caput esse arbitrentur. Sed Gellius nihil ad nos, aut, si ad nos, nihil ad hunc locum. De Appulejo, res postulat, ut dicamus. Is igitur tantum abfuit, ut sibi in hoc genere temperaret, ut potius *b)* e casca *c)* vetustate eam orationem conflaret, quam nemo, nisi qui multum temporis in ea Latinitate cognoscenda contriverit, sese speret assecuturum. Scio, viros eruditos esse, qui non omnia hujus modi verba ab antiquis scriptoribus sumta, sed temere et pro *d)* libidine conficta putent: id quod Dra-

---

a) *Affectationem* latine appellat *Zumpt.* in Aufgg. p. 355. ed. 3. Neque profecto erat, quod Ruhnkenius hoc sperneret prae graeco vocabulo. *F.*

b) Vocem *potius* h. l. prorsus abhorrere a Romanorum consuetudine, Ruhnkenii aetate nondum satis constabat. *F.*

c) Ne Ruhnkenius id poneret, quod ipse modo vituperasset, scribendum fuisse putat *Zumpt.* l. l. p. 357. *ex ultima.* *F.*

d) *Zumpt.* l. l. *ex libidine.* *F.*

kenborchius ad Liv. XLV. 36. de Gellio affirmare audet; de Appulejo Roaldus ad ejus Metam. VIII. p. 550. Sed ego libentius sequar Oudendorpium ad Metam. IV. p. 246. bene judicantem, nihil Appulejum sine exemplo scripsisse. Etenim bona pars eorum, quae a Gellio et Appulejo licentius insolentiusque ficta videri possint, a Grammaticis antiquis, maxime a Glossographis, conservata reperitur. Quidni igitur reliqua, quorum nullum apud Grammaticos, qui nunc supersunt, vestigium est, pari auctoritate niti dicamus? Qua de re liquidius judicari poterit tum, cum quis juniorum Literatorum, qui nunc subitariis Conjecturis edendis famam venantur, sese ad eam laboris, etsi non nimis grati, tamen literis et laudi suae magis profuturi, ad eam igitur laboris patientiam sese durarit, ut Glossaria Latina, in Leidensi Bibliotheca latentia, quibus nihil usquam vel vetustate, vel praestantia simile reperias, e tenebris in lucem vocet, linguamque Latinam, de cujus inopia vetus querela est, aliquot mille vocabulis ac formis, nondum cognitis, locupletet. Quanquam, quae juventutis nostrae mollities est, magnopere vereor, ne haec surdis auribus canam. Sed redeat, unde deflexit, oratio. Est sane ista antiquitatis affectatio molesta Appulejum legentibus. Nescio tamen, an molestior sit tumor Africanus, quo orationem, in iis quidem libris, quos a doctis legi voluit, praeter modum et pudorem inflavit, ceteroqui minime hebes ad id, quod rectius esset, intelligendum. Quippe in Apologia, quae non in umbraculis eruditorum legenda, sed in fori luce habenda esset, tam vacuus est his ineptiis scholasticis, ut ejus orationi nihil, aut certe non multum, ad summam sanitatem deesse videatur. Ad quem modum si ceteros libros scripsisset, eum, sine ulla exceptione, cum Mureto Var. Lect. XVII. 19. *eruditum inprimis et venustum scripto-*

rem vocarem. Iam scriptor tam eruditus, ac tantus eruditionis ostentator, cum non unum de multis, sed longe doctissimum interpretem postularet, bonis avibus accidit, ut Franciscus Oudendorpius ingenium et doctrinam suam ad eum illustrandum expoliendumque conferret. Erat ille omnibus praesidiis, ad rem bene gerendam necessariis, instructus et paratus, exquisita Latinitatis universae scientia, eruditione accurata et recondita, quae non de Latinis tantum fontibus, sed, ut Perizonii discipulum agnoscas, etiam de Graecis esset derivata, summa scriptorum excusorumque librorum copia, usu denique horum instrumentorum, totiusque rei criticae tanto, quantus intelligi maximus potest in accuratissimo tot veterum scriptorum Editore. Triginta circiter annos in Appulejo emendando versatus est, nec tamen opera continenti, sed aliquoties per alias curas, inprimis per Suetonii Editionem, interpellata. Ac potuisset ipse opus prodere, et vivus gloria sua frui, nisi librarii, dubitantes, an ex Appulejo tam pingue et paratum lucrum venturum sit, quam ex aliis scriptoribus, qui quotidie in scholis teruntur, rem tergiversando in longum traxissent. Ita cum Appulejus complures annos in scriniis jacuisset, ego bibliopolarum fastidium, quod nos tam praestanti interioris doctrinae monimento privaret, non diutius ferendum ratus, petii contendique a Theologo supra vulgarem modum erudito, Cornelio Oudendorpio, Francisci filio, ut mihi facultatem daret Appuleji in lucem proferendi. Qui, qua est humanitate et literas juvandi studio, facile petenti viam dedit. Et ecce, reperi librarium votis meis hactenus annuentem, ut reciperet, se praecipuum Appuleji opus, Metamorphosin, statim excusurum, reliquos libros, Florida, Apologiam, Philosophica additurum, si Metamorphosis cupidos emtores invenisset. Hac conditione imprimendi

factum est initium. Equidem tum putabam, nullas meas partes, nisi speciminum typographicorum relegendorum, futuras. Sed mox animadverti, Oudendorpium, dum textum ad veteres libros conformare, ut fit, ex die in diem distulerat, morte occupatum, aliis, quod agerent, reliquisse. Qua caussa impulsus, hunc mihi laborem sumsi, ut contextum, qui in Pricaeana Editione est, cum cura perpensis veterum librorum lectionibus, partim de Oudendorpii, partim de meo judicio refingerem, in hac opera vicaria versatus aliquanto religiosius, quam magnus Scaliger: qui, cum posterioris Editionis Vulcanianae apud Rapheleng. a. 1600. curam suscepisset, in alieno opere plus sibi sumsit, quam Critices ratio et modestia ferebant. Sequitur, ut dicamus, quibus adjumentis criticis fretus Oudendorpius ad Appulejum castigandum accesserit. In quo quidem genere mihi parum licet lectorum exspectationi satisfacere, qui non plus de ejus subsidiis cognorim, quam quantum ex animadversionibus in Appulejum, et paucis notulis, in fronte librorum scriptis, discere potui. Ex Editionibus primis, quae Codicum scriptorum auctoritatem obtinent, eum, video, usum esse Romana a. 1469. quam Bandinius Catal. Codd. Lat. Mediceor. T. II. p. 655. describit; Veneta a. 1483. Vicentina a. 1488. Nec ulla earum, quae has principes sequenti aetate consecutae sunt, ei videtur defuisse. Sed omnibus longe multumque praeferebat Juntinam posteriorem a. 1522. 8. cujus textum, acri judicio et bonis libris usus, praeclare constituit Bernardus Philomathes Pisanus. Ea quantum Appulejo profuerit, singulae prope paginae ostendunt. Ad scriptos libros quod attinet, IX. Codicum Excerpta se ad manum habuisse, Oudendorpius testatur ad Metam. IX. p. 656. Omnibus hucusque cognitis, si minus antiquitate, de qua alius aliter judicat, certe bonitate facile

praestant duo Florentini, recensiti a Bandinio l. c. p. 4. et 654. quorum varietates a se enotatas Frider. Lindenbrogius cum Elmenhorstio communicarat. Sed quo notior est Elmenhorstii in hoc genere negligentia, eo gratior Oudendorpio accidit eadem collatio, ipsius Lindenbrogii manu scripta, quam ei Io. Alb. Fabricius misit. Quanquam Oudendorpius in hac quoque collatione illam diligentiam et curam, qua nunc Critici veteres membranas excutiunt, aliquando requirit, ut ad Metam. V. p. 360. Palatinum Codicem Wowerius adhibuerat. Sed hujus etiam accuratiorem collationem, a Iano Grutero factam, Leidensis Bibliotheca Oudendorpio suppeditavit. Veniamus ad eos Codices, quibus nemo ante eum usus reperitur. Ex regia Parisina habuit Excerpta Codicis membranacei, XV. saeculo scripti, quem Catalogus MSS. n. 8667. adsignat: item Editionem Aldinam cum MS. collatam per Hieronymum Groslotium Lislaeum: Variantes denique ex Codice Fr. Petrarchae, et alio nescio quo, quarum illas vir doctus exemplo Vicentino adscripserat, has Aldino P. Pithoeus. Ex Leidensi Bibliotheca sumsit lectiones incerti Codicis, quas Gerardus Vossius, Gerardi Ioannis filius, in margine Vulcanianae posterioris notarat. A Iosepho Wassio, praeter correctiones, quas ipse fecerat, accepit Excerpta ex Codice Anglicano Paraei, de quibus ipsum vide ad Metam. I. p. 5. His egregium adjumentum accessit ex Bibliotheca Guelpherbytana, cujus duplex Codex a G. Cortio cum exemplo Colviano quam accuratissime comparatus erat. Cl. Ernestus, qui horum Excerptorum copiam Oudendorpio fecit, utrumque Codicem ita describit: Primus est membranaceus, sed lacunosus, incipitque in L. II. Scriptus est in palimpsesto. Versus ante videntur in libro fuisse, quorum sc. vestigia clare apparent. Scriptura est luculenta, saeculi X. aut XI. Alter exhibet

totam Metamorphosin, nitide, sed perparvis literis scriptus in membrana, saeculo XII. aut XIII. Conspirat cum Palatino. Hactenus Ernestus. Ultimo loco commemoranda est membrana Iac. Phil. D'Orvillii, saeculo XIII. eleganter scripta, quam ipsi Oudendorpio in manibus habere, et arbitratu suo tractare licuit. Haec una majorem vim variantium praebuit, quam duae tresve ab aliis inspectae. Tanti in hac librorum comparatione refert, quibus oculis et quam otiose rem agas. Idem Codex post domini mortem in Bibliothecam Oudendorpianam pervenit, inde aliquando, si bene novi liberalitatem praestantissimi filii, quem supra laudavi, cum aliis MSS. paternis, quorum luculenta copia superest, in publicam Leidensem migraturus. Sed quibus quam idoneis Codicum praesidiis Oudendorpius instructus fuerit, rectius ex ejus animadversionibus, quam ex narrationis nostrae jejunitate, cognoscetur. Eadem caussa est, cur dicere supersedeam de Emendationibus virorum doctorum ineditis, per totum opus sparsis, v. c. Claudii Salmasii, quae per Ernestum ex Bibliotheca Guelpherbytana; Godefridi Sopingii, N. Heinsii, Is. Vossii, etc. quae ex Bibliotheca Leidensi, et aliunde ad eum pervenerunt. Reliquum est, ut de recensione ceterorum Appuleji librorum, quos nunc Metamorphosi addere non licuit, verbo dicamus. Hi quoque iisdem veterum librorum subsidiis, eademque subtilitate critica castigati sunt: sed Notae sunt minus uberes ac copiosae, sive quod minor difficultas in illis interpretandis exoriebatur, sive quod Editor longo opere defungi festinabat. Ceterum speramus, hanc Metamorphosis Editionem, qua literis Latinis, vix dici potest, quantum lucis allatum sit, a bonarum artium studiosis tam cupide exceptum iri, ut, qui in eam impensas fecit, re ipsa experiatur, posse se sine jacturae periculo alterum volumen adjun-

gere. Quod ut prius magnitudine aequet, praeter superiorum Editorum Praefationes, et Indices necessarios, comprehendet Philippi Beroaldi Notas, quae sint e critico genere, et integras Ioannis Pricaei, quas Oudendorpius, ne textum copia sua mergerent, hoc volumine exclusit. Illud denique, quantumvis leve, monere non alienum fuerit, Pricaeanae Editionis paginas novae hujus margini adscriptas esse, propterea quod vir doctissimus non nisi ex ea Metamorphosis loca in Notis suis citavit. Vale. Scrib. Leidae, d. 18. April. MDCCLXXXVI. *e*)

---

# PRAEFATIO

## EDITIONIS

## M. A. MURETI OPERUM. T. IV.

---

## ERÚDITO LECTORI

*S. P. D.*

DAVID RUHNKENIUS.

Cum, post depulsam seculo XV. barbariam, una cum bonis literis vera eloquentia revocari coepisset, quicunque bene dicendi scribendique laudem appeterent, de *Livii* praecepto, quod *Quinctilianus* X. 1. p. 493. ex ejus epistola ad filium scripta commemorat: *Legendi Demosthenes atque Cicero; tum ita, ut quisque est Demostheni et Ciceroni simillimus:* unius *Ciceronis*

---

*e*) Hujus editionis Tom. II. et III. a. 1823. vulgati sunt opera *I. Bosschae* Lugduni Bat. *F.*

imitandi studio et inter se contentione exarserunt. Tum altero, ut ita dicam, Latinitatis aureae seculo in Italia exorti sunt, qui primum honesto, mox ob servilem quorundam imitationem invidioso nomine, *Ciceroniani* vocarentur, Bembus, Sadoletus, Pogianus, Majoragius, Manutius, Palearius, Sigonius, alii, quorum hic locus non capit recensionem. Sed horum omnium luminibus, dici vix potest, quantum offecerit *M. Antonius Muretus*, ea felicitate *Tullianam* exprimens eloquentiam, ut, nisi res, quas tractat, recentiorem scriptorem proderent, ipsum *Ciceronem* a te legi putares. Cujus facultatis praestantia, non ab una doctrina, aut a singulari quodam imitandi artificio, quod ceteros fefellerit, sed ab aliis caussis, repetenda videtur. *Plinius Caecilianus*, ut hoc utar, et doctrina abundavit, et lingua Latina adhuc satis integra scripsit, et, ut ipse fatetur, nihil aliud, quam *Ciceronem* imitando effinxit. Nec tamen ulla vel in Epistolis, vel in Panegyrico periodus, quam *Cicero* pro sua vellet agnoscere, reperitur. Aliud exemplum aetas suppeditat recentior. *Paulus Manutius* nec eruditione, nec Latinitatis scientia *Mureto* cedebat, Ciceronis imitandi studio fortasse vincebat, quippe tota vita id unum egit, aut optavit, ut *Ciceroni* quam simillimus videretur. Sed is quoque magis secutus *Ciceronem*, quam assecutus est, et in hoc imitationis genere jacet cum *Mureto* comparatus. Quid ita? Nempe *Mureto* naturae beneficio idem, quod *Ciceroni*, obtigerat ingenium: *Plinio* et *Manutio* diversa ingenii forma. Ab hac indolis similitudine fluxit illa *Mureti* in qualibet re exprimenda felicitas, venustas in narrando, lepos in jocando, aurium denique sensus in oratione numerose struenda. Compar natura *Muretum* sponte in *Ciceronis* vestigia deducebat; at dispar *Manutium* invitum et reluctantem alio trahebat; ut non sit miran-

dum, nos *Muretinis* libris, semel in manus sumtis, ita teneri, ut eos vix deponamus; *Manutianis* autem, quamvis terse et polite scriptis, quod anxium imitandi studium produnt, cito satiari. Quo minus dubitamus *Muretum* cum ingenio, tum arte scribendi, vere *Ciceronianum* dicere; quamvis ipse, nominis invidiam veritus, sic se appellari noluerit. Quin etiam Var. Lect. XV. 1. ut aetatis suae *Ciceronianos* ureret, profitetur, se interdum ab *Appulejo*, *Cassiodoro*, *Sidonio Apollinari*, et similibus, verba loquendique genera sumere. Quae professio non vera, sed simulata videtur *Caspari Scioppio* de Stil. Hist. p. 64. 75. ut sic *Muretus* latebram paratam haberet, si quid sibi, cujus nullum idoneum auctorem laudare posset, excidisset. *Scioppio* se non sine stomacho quodam opposuit *Iacobus Thomasius* Praef. ad Oration. p. 8. Sed *Scioppianam* rationem frustra oppugnari, hoc argumento intelligitur. Nimirum, si verum est, quod *Muretus* ait, se ne labentis quidem Latinitatis voces et locutiones refugere, eas, necesse est, in ejus libris reperiri. Atqui, tantum abest, ut quicquam ab istius aetatis scriptoribus mutuatus sit, ut ne a *Seneca* quidem, haud paulo meliore scriptore, quo mire eum delectatum fuisse scimus, multum traxisse videatur. Sed, age, *Mureto* callide loquenti, ut tempori serviret, opponamus *Muretum* sincere et ex animo loquentem, Praef. ad *Terent.* T. II. p. 653. *Alterum vitium est, quo Transalpini multi (fatendum enim est) laboramus: quod cum in Latini sermonis elegantia excellere pulchrum putemus, non tamen fere callemus, quo ad eam itinere contendere oporteat: itaque de nostris pauciores hactenus, quam vellem, extiterunt, qui se ad Ciceronis, Terentii, Caesaris imitationem componerent. Pervolutabant sine ullo discrimine omnes omnium scriptorum libros, et ex*

*omnium commistione varium quoddam et multiforme pro suo quisque ingenio dicendi genus effingebant.* et paucis interjectis: *Semper Latini sermonis puritatem magnum quoddam et praeclarum bonum esse duxi; semper eam ex illorum, quos supra nominavi, eisque finitimorum scriptis, velut e purissimis fontibus, hauriendam sum ratus.* Vide quae diximus ad Var. Lect. l. c. Quod *Muretus* de Transalpinis hominibus dicit, etsi minus huc pertineat, tamen me admonet, ut, quod saepenumero miratus sum, hic expromam. Satis constat, laudem bene Latine scribendi jam inde a renatis literis penes Italos fuisse. Quo quidem in studio, ne alia praesidia commemorem, multum adjuvabantur et patriae linguae similitudine, et vivendi sub coelo Latino conditione, et inde orta cum corporis, tum ingenii temperatura. Nec eam laudem aetate nostra consenuisse, documento sunt disertissimae Orationes *Jacobi Facciolati* et *Hieronymi Lagomarsini*, quibus apud alias nationes perraro similes reperiuntur. Quo mirabilius debet videri, ipsos Italos in hac bene scribendi arte a duobus Transalpinis superatos esse. Alter est *Muretus*, ortu Gallus, de quo jam dudum loquimur. Alter *Petrus Joannes Perpinianus*, natione Hispanus: qui, nisi in medio spatio corruisset, ipsi *Mureto* palmam eloquentiae dubiam fecisset. Quanquam fateor, utrique doctorum Italorum, tanquam *Corradi, Maffeji, Manutii*, consuetudinem profuisse.

Sed, his missis, caussas, quae nos impulerint, ut *Mureti* Operá, in unum corpus congesta, ederemus, age, breviter explicemus. Etsi nemo dubitat, quin juventus, ad Latinam eloquentiam informanda, in veterum scriptorum, maxime *Ciceronis*, lectione continenda sit, utile tamen est, unum alterumve e disertis recentioribus cognosci, ut ejus exemplo via ratioque imitandi

facilius intelligatur. Cui consilio quis potest esse accommodatior, quam *Muretus?* Nec tamen eundem in scholas recipi velim, et tanquam classicum scriptorem praelegi adolescentibus: ut in quibusdam Germaniae scholis, me puero, fieri solebat. In primis autem in *Mureto* iterum edendo spectavi id, quod jam dicam. Multi et hic, et alibi produntur libelli e critico genere, quibus adolescentes ingeniosi Emendationes et Conjecturas in Graecos Latinosque scriptores exponant. In eorum plerisque eruditionem, acumen et solertiam admiror. Sed iidem partim tam jejune, partim tam inquinate scripti sunt, ut fastidium et nausea legentibus oboriatur. Hos igitur Critices studiosos *Mureti* exemplo docere volui, posse Emendationes non solum mundo exquisitoque orationis genere explicari, sed etiam, in summa tenuitate rerum, aliqua suavitate, quae lectores teneat, condiri; omninoque turpissimum esse iis, qui veterum elegantias aliis enarrent, ipsos uti sermone barbaro et lutulento. Non est inter recentiores, si Latinitas spectetur, *Mureto* scriptor emendatior. Vel sic tamen ei non sentienti quaedam minus Latina surrepserunt. Quae ne juvenes, quibus hanc Editionem comparavi, tanquam probe dicta arripiant, feci idem, quod vir in paucis Latine doctus, *Lagomarsinus* in *Julii Pogiani* Epistolis edendis fecit, ut in talibus locis, quid Latinitatis ratio postularet, breviter monerem. Etsi vero nullum consilium erat, omnia ad vivum resecare, quaedam tamen manifeste vitiosa a me praeterita esse, sero animadverti. Ita, quod legitur T. I. p. 145. *caussa discussa*, pro, *caussa cognita*, cadentis, vel potius jacentis Latinitatis est. Eodem Tom. I. p. 376. bis scribitur, *potuerit*, ubi Grammatices ratio postulat, *poterit*. T. IV. p. 609. *in sententia quid reprehendam, non habeo*. Qui error *Mureto* cum multis, etiam Latine

doctissimis, communis est. Nunc, post *Ernesti* hac de re disputationem in Praefat. ad *Ciceronem*, nemini dubium esse potest, quin scribendum sit: *in sententia quod reprehendam*, etc. Dixi de prima caussa *Mureti* formulis typographicis repetendi. Altera haec est. Complures *Mureti* libelli sic evanuerant, vix jam ut comparerent. Quorum omnium cum, post longam investigationem, copiam nactus essem, nihil antiquius habui, quam ut eos sempiternae oblivioni, in quam, verendum erat, ne caderent, hac nova Editione eriperem. Initium eorum colligendorum factum erat Ingolstadii, auctore *Marco Velsero*, praestantis doctrinae viro, qui *Muretum* Romae docentem audiverat, teste *Marco Antonio Bonciario*, qui et ipse *Mureti* disciplina usus est, Epistol. IX. 12. *Mureti* autem Opuscula partim edita, partim inedita, per hanc occasionem ad Ingolstadienses pervenerunt. *Andreas Schottus*, vir non ille quidem exquisitissima doctrina praeditus, sed literarum juvandarum studio neminini secundus, cum post *Mureti* mortem Romam venisset, *Muretina* Anecdota, in his quatuor libros Variarum Lectionum, de quibus mox dicemus, sibi vindicavit. Cujus rei notitiam debemus *Mureti* discipulo, *Josepho Castalioni* Observ. Decade VI. Cap. 2. Reversus in patriam *Schottus*, haec Anecdota *M. Velsero*, cujus tum summa in literis erat auctoritas, edenda commendavit. Qui exquisitiorem eorum partem, Variarum Lectionum Libros IV. et Observationes Iuris ipse in lucem emisit Augustae Vindelicorum a. 1600. 8. reliquam partem Ingolstadiensibus edendam concessit. Quibus ita licuit omnium plenissimam Orationum, Epistolarum, et Hymnorum Editionem prodere ex officina *Davidis Sartorii* a. 1592. quamvis homo obscurus, *Iohannes Croesselius*, qui huic Editioni praefatus est, nec *Schotti*, nec *Velseri*, per quos Editio sic

locupletata videtur, ullam fecerit mentionem. Hinc Ingolstadienses curam suam ad Opuscula edenda converterunt. Decennioque post, a. 1602. 8. duo volumina apud *Adamum Sartorium* prodierunt, quorum prius, editum 24. Aprilis, complecitur *Commentarios in Aristotelis X. Libros Ethicorum, et in Oeconomica, Topicorum libri septimi, et in eundem Alexandri Aphrodisiensis commentarii interpretationem, commentarium in Lib. I. et III. Platonis de Repub. Notas in Cyropaediam et Ἀνάβασιν Xenophontis*: posterius, editum Kal. Octobribus, *Commentarium in I. et II. Librum Rhetoricorum Aristotelis, et ejusdem interpretationem ex Graeco, Librum singularem in primam quaestionem Tusculanam Ciceronis, Notas in III. Libros de Officiis, et in V. de Finibus, in Orationem pro Dejotaro, Commentarium in Catilinarias.* Biennio post a. 1604. accessit tertium volumen, continens *Commentarios in V. libros Annalium Taciti, et Notas in Sallustium.* Singulis voluminibus, bibliopolae nomine, praemissa est dedicatio, disertam habens professionem, illa Opuscula *Schotto* et *Velsero* accepta referenda esse. Dedicatione prima: *Haec ipsa elegantissima opuscula, quae hic typis excusa damus, perierant, nisi illa* Andreas Schottus, *Societatis Iesu*, Mureti *admirator, ex sparsis schediasmatis, quorum multa ipsius* Mureti *manu exarata erant, collegisset, thesaurique loco conservasset. — Quae bono publico literario hic damus; si non emendatissime, ut voluimus, caussa est, quod sparsa folia Sibyllae fuerint, male habita, lacera, exesa, uno verbo jamjam interitura, nisi, de quo dixi,* Schottus, *et nobilis amplissimusque dominus,* Marcus Velserus, *Duumvir Augustanus, illa ab interitu vindicasset.* Dedicatione secunda: *Posthuma* Mureti *suppeditavit nobis Bibliotheca* Marci Velseri,

*reipublicae Augustanae Duumviri.* Denique dedicatione tertia: Andreas Schottus, *Antverpianus*, *Societatis Iesu sacerdos*, *qui pleraque opera* Mureti, *necdum in lucem edita*, *post excessum auctoris*, *ex ipsius adversariis eruit*, *et*, *ut conservarentur*, *effecit.* Eas autem dedicationes scriptas esse suspicor a *Iacobo Gretsero*, tum Professore in Academia Ingolstadiensi, qui *Muretinis* Opusculis inepte adjecit *Notas* et *Varias Lectiones* in Georgium Codinum Curopalatam *de officiis Palatii Constantinopolitani*, item *Faculam* Georgio Codino Curopalatae *accensam:* quarum Notarum auctorem *Gretserum* esse, satis constat.

Post Ingolstadienses a. 1727. ad *Mureti* Opera colligenda animum adjecit Bibliopola Veronensis, *Io. Albertus Tumermanus*, nescio quo adjutore usus, quem et *Vita Mureti*, et *Dissertatio de ejus Operibus et Editionibus*, satis ostendunt, fatuum ineptumque hominem fuisse. Habuit tamen a viro doctissimo, *Ioanne Baptista Recanato* exemplum *Aldinum* Orationum, in in quo *Muretus* non solum Orationes, sed etiam additam Orationibus versionem Libri V. Ethicorum manu sua castigarat. Quas correctiones in Editionem nostram recepimus. Idem promisit, se similes *Mureti* emendationes in Carmina daturum. Sed res non apparet. Omnino tota ista Editio Veronensis, quinque Tomis in forma octava constans, et sordide excusa est, et negligenter curata, et, cum titulus *Mureti* Opera omnia promittat, vix dimidiam Operum partem exhibuit. Ex Opusculis tribus Ingolstadiensibus, quorum summa raritas est, ei non nisi unum volumen ad manum fuit. Cumque desperasset, sibi duorum reliquorum copiam futuram, Editionem inchoatam destituit, omniumque expectationem decepit. Multo diligentius partes Operum, id est, Orationes, Epistolas, Carmina, curarunt erudi-

tissimi viri, *Iacobus Thomasius* et *Ioannes Checcotius*, ille Lipsiae a. 1672. hic Patavii a. 1741. cujus etiam Editio commendationem habet ab ineditis quibusdam in lucem vocatis. Utriusque Praefationes, bonae frugis plenas, huic Editioni praemisimus.

Nunc de singulis partibus, quas Editio nostra comprehendit, proprie dicendum est. Primo loco positae sunt Orationes, ad Editiones *Aldinas*, et optimam illam Ingolstadiensem studiose a nobis exactae. Quibus, nostra demum aetate, luculenta facta est accessio. Namque *Checcotius* earum numerum auxit una integra, edita illa quidem, sed paucis cognita, et alterius inditae fragmento. Utramque reperies T. I. p. 363. hujus Editionis. Brevi post *Petrus Luzerius* Tom. II. *Miscellaneorum ex* MSS. *Libris Bibl. Collegii Romani Societatis Iesu*, alia duo Fragmenta Orationum ex MSS. protulit. Quibus, quoniam *Lazerianus* liber serius ad nos pervenit, locum dedimus in Auctario Operum *Mureti*, T. IV. p. 598.

Epistolas locupletavimus undecim ad *Lambinum* scriptis, de quibus quod scire necesse est, diximus ad T. I. p. 377. novendecim a *Lazerio* l. c. editis, et sex per aliorum libros sparsis, quas in Auctarium Operum T. IV. p. 582. conjecimus. Earum indicium nobis fecit vir eximius, et de hac *Mureti* Editione praeclare meritus, *Iacobus Morellius*, quem ex literis ad nos datis, et humanitatis studiis perpolitum, et vix credibili historiae literariae scientia praeditum cognovimus; ut Bibliothecae *D. Marci* talem tam omnibus numeris absolutum praefectum jure gratulemur. Removimus autem ex *Muretinis* epistolas *Pauli Sacrati*, quas addiderat *Thomasius*, correctas illas quidem, ut suspicari licet, a *Mureto*, sed rerum inanes, nec magnopere dignas, quae legantur, aut requirantur.

Epistolas T. I. p. 653. excipiunt Iuvenilia ad Editionem Parisinam a. 1552. expressa, item Poëmata varia ex Editionibus *Aldinis*, p. 733. quibus quatuor ineditas Elegias, in his illam prope divinam ad *Io. Bapt. Amaltheum*, adjecit *Checcotius* T. I. p. 783. et iambicum carmen *Lazerius* T. IV. p. 618. Nos quoque duo Fragmenta Elegiarum T. I. p. 788. ex MS. protulimus, tum immemores, ea jam extare in Commentar. in *Aristotelis* Ethica T. III. p. 296. 454. *Thomasius* habuit Carminum Editionem *Aldinam* a. 1575. plures Elegias, quam in ceteris sunt, exhibentem. In quibus cum homo tristioris naturae versus quosdam molliculos et parum pudicos reperisset, ea carmina Editione sua nimis severe exclusit, et mihi, qui nihil, quod a *Mureti* manu profectum esset, praetermittere statuissem, necessitatem imposuit illius Editionis diu et frustra quaerendae. Ex qua tandem inventa Cl. *Morellius* Elegias, quibus T. IV. p. 612. locus datus est, pro humanitate sua descripsit. Ceterum, si *Mureti* numeri non tam leniter cadunt, quam *Flaminii*, aut *Molsae*, id Latini sermonis munditie, qua plerosque recentiores Poëtas vicit, facile compensatur. In *Catulliano* quidem genere sic excellit, ut, *Joanne Cotta* excepto, parem habeat neminem. Si quando in metri ratione lapsus reperitur, culpam sustineant pravae veterum Poëtarum Editiones, a quibus in fraudem inductus est. Eos errores cum in exemplo suo notasset *L. Santenius*, legitimum sonum digitis et aure callens, facile ab ejus humanitate impetravi, ut illas Notas huic Praefationi subjici pateretur.

Sequitur, ut de Phidiaco opere Variarum Lectionum dicamus. Earum libri VIII. primum prodierunt Venetiis 1559. 4. deinde libri XV. Antverpiae apud *Plantinum* 1586. 8. Reliqui IV. quomodo, post *Mureti* mortem, ad *Schottum*, inde ad *Velserum* eorum Edi-

torem, pervenerint, cum supra dictum sit, nihil attinet repetere. Illos IV. libros cum superioribus XV. deinceps *Ianus Gruterus* intulit in Lampadem Criticam T. II. p. 1154. Hic si Criticum agere voluissem, saepe mihi res ipsa copiosam materiem dedisset. Sed talis disputatio non congruebat hujus Editionis consilio.

Scholia in *Ciceronis* Catilinarias, et Philippicas, *Terentium*, *Catullum*, *Tibullum*, *Propertium*, *Horatium*, ex *Aldinis*, quoad ejus fieri potuit, Editionibus expressimus. *Terentium* antequam *Muretus* totum Venetiis ederet, Parisiis a. 1551. prodidit. Scholia quaedam in Andriam et Eunuchum, ab ipso T. II. p. 662. commemorata. Quem libellum inventu rarissimum nunquam vidimus. At vidit *Morellius*, V. Cl. quem fugitivorum, ut vocantur, opusculorum nihil fugit. Libellus a *Mureto* inscriptus est eidem *Ioanni Costecando*, ad quem extat carmen in Iuvenilibus T. I. p. 708. ubi operarum errore legitur *Costecaudo*. Brevis illa dedicatio haec est:

*M. Antonius Muretus*
*Ioanni Costecando suo*
S. P. D.

*Quae, cum tibi annum ablino alterum Terentii fabulas privatim explicarem, codicis mei marginibus adscripseram, ea, quantum memoria repetere potui, rogatus in publicum emitto. Sive enim studiosis hujus auctoris aliquid mea opera fieri potest, denegandum id eis non puto, sive minus, at certe facilis chartarum aliquot futura jactura est. Hoc autem, quicquid est, tibi dicatum volo, ut intelligas amicorum etiam absentium memoriam a me studiosissime coli. Vale. Lutetiae* 16. *Sept.* 1551.

Ipsa autem Scholia, quae *Muretus* maturiore aetate castigavit, et in pleniorem *Terentii* Editionem traduxit,

non tanti putabamus hic repetere, aut, in quo a posterioribus differrent, indicare.

Scholia in *Senecam* non ex Editione Romana, *Mureto* mortuo, per *Franciscum Bencium* curata, quam in ipsa Italia rariorem esse, testis est *Checcotius* in Praefat. p. 102. sed ex Parisina a. 1607. sumsimus. Romanae si facultas nobis fuisset, non neglexissemus ejusdem *Bencii* Praefationem addere; quae quin scite doctequé scripta sit, dubitare non sinit reliqua hominis elegantia.

Notae in *Tacitum* duplicis generis sunt, aliae criticae, aliae tironibus dictatae. Criticas *Acidalius* descripsisse videtur ex eo exemplo, quod nunc est in Bibliotheca Collegii Romani, vel ex alio inde propagato: de quo *Lazerius* de Vita et Script. *Mureti* p. 561. Lectiones adolescentibus comparatas Ingolstadienses ediderunt. Quae tametsi non multum eruditionis exquisitae continent, tamen a venustate quadam, *Mureto* propria, commendationem habent.

Omnium minime *Mureti* ingenio dignae sunt Annotationes in *Iustiniani* Institutiones, ex ejus ore exceptae, quas, mendis contaminatas, nescio quis Lugduni 1602. vulgavit. Nos in iis repetendis emendatiorem Editionem Ultrajectinam secuti sumus.

Iuvenilis etiam *Mureti* Commentarius in *P. Ronsardi* Amores, Gallice, *Les Amours de P. Ronsard, commentées par Marc Antoine de Muret, à Paris* 1553. 8. etsi laudatus a *P. Burmanno Secundo* Praefat. ad *Lotich.* p. 21. sine magno lectorum damno omitti potuisset, nisi futuri essent, qui dicerent, non omnia *Mureti* Opera, quae titulus promittit, hac Editione contineri.

Haec sunt, quae sub *Mureti* nomine in lucem emissa reperiuntur. *Ioannes Lamius* in Vita *Richardi*

*Romuli Richardii* Florentiae a. 1748. Epistolam et Elegiam, sine auctoris nomine in MS. repertam, protulit, tribuitque *Mureto*.

*Bandinus* in Vita *Petri Victorii* p. 69. negat, hanc epistolam esse *Mureti*, propterea quod non singularis amicitia, ut ab auctore epistolae dicitur, sed perpetua simultas inter *Muretum* et *Victorium* intercessit. Cui prorsus assentimur. Accedit, ut epistola, quamvis elegans et Latina, non ea facilitate, quam in *Muretinis* miramur, scripta esse videatur. Elegiae vix quicquam ad summam elegantiam deest, etsi non sit a *Mureti* ingenio profecta. Nollem ejus auctor ultimam in *ergo* corripuisset, et *spargere stella*, neglecta debili positione, durius scripsisset. Vox etiam *tantula* magis comica est, quam elegiaca, judice *Santenio* nostro.

Erunt fortasse, qui *Mureti* in *Petronium* Notas a nobis praetermissas querantur. Certe in Catalogo Biblioth. *Bodlejanae* p. 475. *Mureti Annotationes in Petronii Arbitri Satyricon. Helenopoli* 1610. 8. memorantur: cujus catalogi fidem secutus videtur *Lazerius* in Vita *Mureti* T. IV. p. 564. Sed eas Annotationes non extare, certum est. Errorem peperit Index interpretum, illi Editioni a *Goldasto* praepositus, ubi *Mureti* annotationes referuntur, non ut editae, sed ut aliquando edendae. *Goldastus* autem haud dubie respexit verba *Petri Danielis* Praefat. ad *Petronium*: *M. A. Muretus, vir undecumque doctissimus, quem audio ex vetustissimo et integerrimo Codice Petronii editionem absolutissimam publice parare.*

Plura *Mureti* Anecdota Romae latent cum in Bibliotheca *Barberiniana*, tum inprimis in illa Collegii Romani Soc. Iesu, in quam major pars librorum *Mureti* migravit; de quibus vide *Lazerium* l. c. Unde

ut a doctis Italis in lucem vocentur, bonarum literarum caussa optamus. Vale, erudite Lector, et nobis fave.

— Ao. MDCCLXXXIX.

---

# PRAEFATIO

AD

# SCHELLERI LEXICON.

---

Quatuor praestanti doctrina viri Lexicorum Latinorum curam, quae vehementer desiderabatur, aetate nostra susceperunt, in iisque emendandis et augendis tanta cum laude versati sunt, ut, multorum judicio, nihil admodum aliis, quod agerent, reliquisse viderentur. Primus Ioannes Matthias Gesnerus, quid in hoc genere efficere posset, Basilii Fabri Thesauro reficiendo et amplificando ostendit, et aliquanto post, majus opus aggressus, novum Latinae linguae Thesaurum construxit. Sub idem tempus Iacobus Facciolatus, cui Latinitatis scientia et Latine scribendi elegantia comparo paucos, antepono neminem, egregium Lexicon condere instituit, Aegidio Forcellino, quem ipse ad hoc studium formarat, adjutore usus: qui tandem solus, sed sub Facciolati auspiciis, opus perfecit. Adhuc haec erant. Duodecim annis interjectis, ad eandem Latinitatis recensionem ex disciplina Ernestina venit I. I. G. Schellerus, Latinarum literarum laude excellens, cujus libri, ad Grammaticam rationem pertinentes, non solum in Germania, sed etiam in Belgio vigent. Hi viri doctissimi tametsi superioris

aetatis Lexica sic obruerunt, ut vix amplius appareant, tamen quicunque eorum libros excusserit accuratius, quantum iis ad perfectionem, quam in hoc genere expetimus, desit, facile animadvertat.

Primum in delectu scriptorum, unde verba et loquendi formae ducuntur, non mediocriter errant. Etenim cum inter omnes, quorum de his rebus judicium est, satis constet, illibatam illam, et unam hoc nomine dignam Latinam linguam iis scriptoribus, qui usque ad Antoninorum tempora floruerunt, contineri, nec eos terminos ultra esse proferendos, Lexicographi nostri, credo, veriti, ne lingua, si ex optimis tantum sumeretur, inopia laboraret, per omnes aetates vagati, quidquid Lexicis constipandis inserviret, arripuerunt, et prorsus, ut proverbio dicitur, de faece hauserunt. Ita tanquam idonei testes citantur Ammianus Marcellinus, Marcianus Capella, Sidonius Apollinaris, Cassiodorus, etc. id est, scriptores Latine balbutientes. Ventum est adeo ad Theologos Christianos, nunquam somniantes, fore aliquando, ut a se quoque symbolae ad Latinitatem probandam corrogarentur. Ac fuit nescio quis in istis, quorum diligentia Fabrianus Thesaurus ad hanc magnitudinem crevit, qui se pulchre de Latina lingua meriturum speraret, si verba et verborum constructiones ex Tertulliano, quod is ceteris Theologis Latinis antiquior esset, in Lexicon referret. A cujus sententia, dici vix potest, quantopere dissentiam. Sit Tertullianus quam velis eruditus, sit omnis peritus antiquitatis: nihil impedio: Latinitatis certe pessimum auctorem esse ajo et confirmo. At usus est sermone eo, quo tum omnes Afri Latine loquentes utebantur. *Δωρίσδεν δ' ἔξεστι, δοκῶ, τοῖς Δωριέεσσι.* Ne hoc quidem concesserim. Nam si talis Afrorum sermo fuit, cur, non dicam Appulejus et Arnobius, scriptores priscae elegantiae

studiosi, sed Cyprianus, Augustinus, et alii ex eadem gente aliter locuti reperiuntur? Quid ergo? Fecit hic, quod ante eum arbitror fecisse neminem. Etenim cum in aliorum vel summa infantia tamen appareat voluntas et conatus bene loquendi, hic, nescio qua ingenii perversitate, cum melioribus loqui noluit, et sibimet ipse linguam finxit, duram, horridam, Latinisque inauditam, ut non mirum sit, per eum unum plura monstra in linguam Latinam, quam per omnes scriptores semibarbaros, esse invecta. Ecce tibi indicem atrum paucorum e multis verborum, quae viros doctos non puduit in Lexica recepisse. *Accendo* pro lanista, *captatela* pro captatio, *diminoro* pro diminuo, *extremissimus*, *inuxorus*, *irremissibilis*, *libidinosus gloriae* pro cupidus gloriae, *linguatus*, *multinubentia* pro polygamia, *multirorantia*, *nascibilis*, *nolentia*, *nullificamen* pro contemtus, *obsoleto* pro obsoletum reddo, *olentia* pro odor, *pigrissimus*, *postumo* pro posterior sum, *potentator*, *recapitulo*, *renidentia*, *speciatus*, *templatim*, *temporalitas*, *virginor*, *visualitas* pro facultas videndi, *viriosus* pro viribus praestans, etc. Sed Tertullianum mittamus, et ad rem redeamus. Quanta sub Antoninis facta sit linguae conversio, vix attinet dicere. Vel sic tamen fuerunt, qui non quidem aetatis beneficio, sed veterum imitatione, prorsus bene loquerentur, ut Gellius et Appulejus, de quibus diximus in praefatione ad Appulejum. Huc adde Iurisconsultos, quorum fragmenta in Pandectis supersunt. Qui etsi labente Latinitate vixerunt, tamen ex Mucii Scaevolae, Servii Sulpicii, Alfeni Vari, et aliorum veterum libris, quos legendo conterebant, et ex ipso Edicto Perpetuo, quod memoria tenebant, talem orationis nitorem duxerunt, ut in classicorum scriptorum numerum recipiendi vi-

deantur *a*). Quod ipsum etiam intelligi velim de aliis paucis, in primis de Claudiano, poëta illo quidem aetatis inficetae, sed meliorum imitatione id consecuto, ut, si minus in primis, certe in secundis cum dignitate stare possit. Talium igitur auctoritas, nihil impedit, quo minus in Lexicis adhibeatur. Ac nescio an optandum sit, ut duplicis generis Lexica conficiantur, alterum ad florentem, alterum ad cadentem Latinitatem cognoscendam accommodatum. Ut enim semibarbarorum scriptorum lectio nocet tironibus, ingenium ad elegantiam formaturis, sic eadem maturiori aetati necessaria est ad eruditionis copiam et varietatem parandam. Quodsi forte dicas, eam aetatem, quae eruditionem venatur, satis per se sapere, nec tali praesidio indigere, fateare tamen necesse est, ea, quae diversae formae et aetatis sint, secerni et separatim tradi debere, non, ut vulgo fit, vetera cum recentibus, recta cum pravis misceri. Quis enim nescit, tirones, quibus Lexicon, omnia promiscue complexum, in manibus sit, cum quid Latine scribere conantur, permulta vitiosa temere arripere, et semel arrepta per omnem vitam tenere, nec boni magistri admonitione, aut libellis, qui de Barbarismis scripti sunt, facile elui sordes, tam mature contractas, et tam alte haerentes. Quo magis necessarium videtur, fontem, unde ista labes tam late dimanavit, obstruere, id est, juventuti ad humanitatem informandae Lexicon tradere, quod, sentina exhausta, solum Latinitatis florem habeat, et cum ad classicos scriptores intelligendos, tum ad bene scribendum satis adjumenti praestare videatur. Paulo ante Lexicographos in eo reprehendimus, quod

*a*) De quo argumento operae pretium est conferre, quae disputat Cl. Mahnius Epicr. Biblioth. Crit. p. 29. sqq. [Vitt. hom. eruditiss. Vol. I. p. 235.] *B.*

iis, quibus nulla testimonii dictio est, testibus utantur. At quis credat, ab iisdem etiam tanquam fide dignos testes citari scriptores commentitios, aut per lusum jocumque fictos? Sic bona fide laudant Supplementa Plautina, quae sunt Codri Urcei et aliorum recentiorum Ciceronis epistolas ad M. Brutum, et Bruti ad Ciceronem, quas ab homine scholastico confictas esse, Iacobus Tunstallus et Ieremias Marklandus tam perspicuis argumentis demonstrarunt, ut nihil dubitationis relinquerent: Cornelii Galli elegias, dudum Criticorum obelo confixas; Messalam denique Corvinum de progenie Augusti, sive verius ex aetate barbara nugatorem. Sed multo mirabilius est, in praestantissimis etiam Lexicis locum datum esse vocabulis, quae nullius, ne barbari quidem scriptoris, auctoritate nitantur. Ea quis primus in Lexica intruserit, nec tanti est scire, nec quaerere vacat. Suspicor tamen, profecta esse vel a Calepino, vel a mercenariis hominibus, qui Calepinum accessione undecunque corrasa amplificarunt. Hujus notae sunt *abditamentum*, *accessor*, *amasia*, *aversator*, *caespito*, *captabundus*, *deflore*, *demadeo*, *incertitudo*, *incurabilis*, *inductor*, *intergredior*, *mungo*, alia. Quae in Lexicis ponere, et simul fateri, nullo in scriptore esse reperta, quid aliud est, nisi lectorem ludere et frustrari? Satis de scriptorum delectu, a Lexicographis neglecto.

Alterum, quod in iis requirimus, hoc est. Ex quo, discussis ignorantiae tenebris, initium factum erat classicorum scriptorum in lucem revocandorum, omnis Criticorum cura eo conversa est, ut iis misere foedatis ac depravatis pristina integritas restitueretur. Ex quo consilio quam immensa vis criticarum observationum nata sit, quis est, qui ignoret? Iam nemo speret futurum, ut ante Latinae linguae Lexicon justum et omni-

bus numeris expletum habeamus, quam melior pars critici apparatus, quem diximus, eo sit perite et scienter collata. Gesnerus quidem Criticorum commentarios excussit aliis diligentius. Veruntamen, incredibile dictu est, quantum per festinationem, vel longi laboris taedium praetermiserit. Schellerum excusatum habet fortunae locique conditio. Is enim dignus, si quis alius, cujus eruditio majore theatro spectaretur, literas tenui mercede docet in urbe Marti quam Musis aptiore. Non item excusandi sunt Facciolatus et Forcellinus, quorum utrique publicae privataeque Bibliothecae Patavii patebant.

Denique Lexicorum conditores nulla in re peritioribus minus satisfecerunt, quam in significationibus πολυσήμων digerendis et ordine tradendis. Gesnerus, ut hoc iterum utar, unam alteramve notionem commemorasse satis habens, statim exempla, nullo discrimine, velut in saccum fundit, lectori hujus farraginis secernendae curam delegans. Ita, quod facillimum est, sibi agendum sumsit, quod difficillimum, aliis reliquit. At vero primus omnium Facciolatus praeclare ostendit, quo et ordine et modo multiplices vocum significationes a nativa et propria per varios gradus ducerentur. In qua distincta et bene digesta notionum explicatione, si verum quaerimus, posita sunt omnia. Eandem rationem, a Facciolato acceptam, Forcellinus tenuit, et utrumque imitatus Schellerus, subtilius et prorsus ad tenue elimavit. Quo magis miror, nullam Facciolati, cui tantum debeat, mentionem ab eo factam esse.

Reliquum est, ut de Schelleri Lexico, ejusque in Belgio repetitione sigillatim dicamus. Dudum homines eruditi vota fecerant, ut Samuelis Pitisci Lexicon, multis partibus vitiosum, quod nimium diu scholas Belgicas tenuit, puerorum manibus excuteretur. Sed nul-

lum aliud, quod ei substitueretur, exstabat. Tandem, ubi Schellerianum prodiit, librariis auctor fui, ut illud, correctione quadam adhibita, cum versione Belgica repeterent. Ab his, nescio quid commendationis libro ex nomine meo sperantibus, etiam atque etiam rogatus, ut ipse editioni praeessem, alienum ab hac provincia animum ostendi. Inglorium enim judicabam laborem, qui in tali opere, et eo quidem alieno, recensendo consumeretur, praesertim cum alia, quibus major laus parari posset, instituta haberem. Postea tamen et utilitatis publicae cogitatio, et recens exemplum Ernesti, similem operam Hedericiano Lexico Graeco navantis, fecerunt, ut recensionis curam mihi paterer imponi. In qua quid egerim, breviter narrabo. Schellerus etsi inprimis, ut debuit, Latinitatis rationem habuit, miro tamen consilio magnam vim Historiae, Geographiae, Mythologiae, et aliarum rerum Lexico suo infersit, credo, ut tirones Lexicon quoddam καθολικὸν, vel bibliothecam scholasticam, uno libro comprehensam, haberent. Ex quo in quantam, et puerorum manibus vix tractandam, molem iste πανδέκτης excreverit, facile est ad intelligendum. Nos autem, nil nisi Latinitatis Lexicon requirentes, ista, tanquam aliena, extrusimus omnia, magis rationi consentaneum existimantes, Historiam Romanam a pueris disci ex Eutropio, Geographiam ex libello Cellariano, Mythologiam ex Dammiano, aut similibus, quam sic divulsa et per Lexicon sparsa cognosci. Ex Mythologia tamen ea deorum vocabula, quibus res quaedam apud Romanos nuncupatae sunt, retinuimus, velut *Acheron* pro inferis, *Bacchus* pro vino, *Ceres* pro frugibus, *Hyperion* pro sole, *Mars* pro bello, *Minerva* pro ingenio, *Venus* pro libidine. Deinde funditus sustulimus omnia dubia, incerta, falsa, adulterina. Quod in multis singulari solertia fecit Schellerus, id

quoque, ut opinor, in omnibus, si major ei bonorum librorum copia fuisset, facturus. Postremo, cum, ut supra diximus, Lexicon, in quo labentis etiam sermonis Latini ratio habeatur, haud paullo plus damni, quam commodi, afferat juventuti, totam hanc faecem ejecimus, nulli omnino voci, nisi quae proba, et vere Latina sit, locum concedentes. Sic tandem tirones Lexicon habebunt, quod sine erroris periculo consulant, et unde nihil discant, quod, doctiores facti, dediscere velint.

Hic praefationis finem facere possemus. Sed ut intelligatur, Lexicographos non temere a nobis esse in multis reprehensos, age, brevi animadversionum specimine reprehensionem nostram confirmemus.

*Adeptus.* Multa quidem loca, quibus passiva hujus participii significatio confirmetur, in Lexicis afferuntur. Sed pleraque suspecta esse, bene judicat vir melioris Latinitatis peritissimus, Hieronymus Lagomarsinus ad Iulii Pogiani Epist. T. IV. p. 167. Quod autem a Schellero dicitur, in Cicerone de Senect. 3. omnes fere codices habere, *eandem accusant adeptam*, id longe secus est. Nam idem Lagomarsinus, quo nemo plures Ciceronis codd. et editionis excussit, in iis magno consensu *adepti* legi testatur. Certior passiva vis est in Sallustio Cat. 7. et Iug. 101. ubi vide Cortium.

*Adhibeo* non est *utor*, ut in Lexicis, quae optima putantur, traditur, sed admoveo, advoco, assumo. Ex quo intelligitur, nostros homines singulis prope paginis dicentes, *adhibere vocem*, *adhibere loquendi formulam*, parum Latine loqui.

*Aër*, ut Graecum ἀὴρ (Erotianus Lexico Hippocr. in v.) ut cognatum *aura*, ut Belgicum *Lucht*, interdum de odore dicitur. Lucan. IV. 437. *odoratae metuentes aëra pennae.* X. 167. *externa nec perdidit*

*aëra terra*, ubi vide Burmannum. Hanc vocis potestatem velut dubitans Facciolatus retulit, Schellerus prorsus omisit.

*Annus* saepe est annuus proventus, annona. Petronius Fragm. p. 682. *Grandine qui segetes et totum perdidit annum.* Lucan. III. 70. *Effusis magnum Libye tulit imbribus annum.* ubi vide Oudendorpium. Nihil de hac significatione, poëtis usitata, apud Schellerum.

*Canifico.* Huic verbo eleganter composito locus dandus erat in Lexicis. Vetus poëta apud Atilium p. 2691. 40. *Nec mare canificat, nec agit freta caerula.* Sic legendum.

*Casse.* Hoc vocabulum, tanquam probum, pro *frustra*, affertur ex Livii XXIV. 26. loco corruptissimo, qui Gronovii et aliorum interpretum ingenia vehementer torsit: *aversis auribus animisque, casse ne tempus tereretur, ferrum quosdam expedientes cernebat.* Repone, quod sententiae vis postulat: *aversis auribus animisque, quasi tempus tereret, ferrum* etc. *Quasi* ubi semel in *casse* abiisset, reliqua interpolata sunt, ut qualiscunque sensus efficeretur. Et *quasi* tam facile in *casse* mutatum est, quam apud eundem XXV. 8. *quassae naves* in *cassae naves*, praesertim si corruptela orta est tum, cum adhuc in Livio *quase* pro *quasi* legebatur. Hanc enim orthographiam Livio propriam fuisse, testis est Quinctilianus I. 7. p. 44. *Quassei* pro *quasi* saepe in lapidibus antiquis legi, docet Mazochius de Campan. Amphith. p. 153. Certe *casse*, unde male pedem intulit, abeat.

*Commodo.* Iure negat Facciolatus Anim. crit. in Lexica p. 127. *commodare* a bonis scriptoribus usurpatum esse de pecunia, aliisque rebus, quae non redduntur eaedem, et Plauti, Ciceronisque loca, quae prae-

ter alios Burmannus attulit ad Phaedrum I. 17. 3. perperam huc trahi docet. Quam animadversionem, in ejusdem Lexico repetitam, tametsi Schellerus legerat, tamen *commodare* sic accepit in Livio XXIII. 48. *ut reipublicae, ex qua crevissent, ad tempus commodarent.* At Dukerus pulchre vidit, hic quoque significare, ut reipublicae commodo consulerent.

*Compleo*, conficio. Caesar. de B. C. III. 46. *his rebus completis, legiones reduci jussit.* Sic Lexica nostra. At Marklandus Explicat. Veter. Auct. p. 273. scribit: *his rebus confectis*, quod postulat perpetua Caesaris consuetudo.

*Concurro.* Exquisitior loquendi forma, *os concurrit*, in qua Burmannus ad Quinctil. XI. 3. p. 1025. haerebat, a Schellero minus rectè iratis tribuitur, et *labra commordentur* explicatur. Rectius formulae vim tenuerunt Gesnerus ad Quinctil. X. 7. p. 528. et Facciolatus Anim. crit. in Lexica p. 134.

*Cum.* Nullo in Lexico annotatum reperi, quod M. A. Muretus pulchre monuit ad Catull. p. 864. praepositionem *cum* habere vim indignationis significandae. Plautus Epid. I. 1. 33. *Abi in malam rem maximam a me Cum istac conditione.* Mostell. II. 2. 33. *Dii te deaeque omnes faxint cum isto omine.* Livius V. 27. *scelestus ipse cum scelesto munere venisti.* *b*).

*Dexteritas.* Videndum est, an hoc vocabulum, sicut Graecum δεξιότης, recte tribuatur ei, qui apte et solerter agit omnia. Equidem, cum nullum hujus potestatis exemplum apud bonos scriptores repererim, prope adducor, ut credam, Latinorum usum *dexteritas* ad hanc unam partem flexisse, ut significaret *ingenium*, vel *artem ad promerendam omnium voluntatem*; qui-

*b*) Plura vid. in Schol. ad Terent. Andr. V, 4, 38. *B.*

bus verbis Suetonius Tit. 1. eandem virtutem expressit. Livius XXVIII. 18. *Tanta autem inerat comitas Scipioni, atque ad omnia naturalis ingenii dexteritas, ut non Syphacem modo, barbarum insuetumque moribus Romanis, sed hostem etiam infestissimum, facunde alloquendo sibi conciliaret.* ubi mox, variata oratione, *dexteritatem* vocat *artem ad conciliandos animos.* Saepe igitur cum *comitas* et *humanitas* conjungitur.

*Erroneus.* Hanc vocem iis, qui nunc Latine scribunt, valde tritam, unus e bonis scriptoribus habet Columella VII. 12. *Maxime autem debent in custodia vigilaces conspici, nec erronei, sed assidui.* Quid? si hic quoque cum melioribus scripserit: *nec errones, sed assidui.*

*Exarmo,* dentibus et unguibus spolio, mansuetum reddo. Hic laudandus erat Manilius IV. 235. ex verissima Bentleji emendatione: *Exarmare tigres, rabiemque auferre leoni.* Sic etiam in libri margine corrigebat Hemsterhusius, miratus, Scaligerum, qui verbi *exarmare* elegantiam recte teneret, tamen vulgatum *exorare* praeferre potuisse.

*Excussabilis.* Monstrum vocis, tanto minus in Lexica recipiendum, quod non ex editione aliqua veteri, sed ex mera Scaligeri conjectura obtrusum est Manilio II. 593. ubi Bentlejus omnium librorum lectionem restituit: *Quantum onus invidiae non excusabile terris?*

*Exoro.* Nova et insolens vis huic verbo tribuitur ex Iustino IX. 7. *ut Philippus aegre sit a filii caede amicorum precibus exoratus,* i. e. deterritus a filii caede. At si viri docti Variantes apud A. Gronovium inspexissent, vera lectio *revocatus,* quam vel sine Codicibus assequi facile erat, in eorum oculos incurrisset.

*Expanditor.* Plinius Paneg. 30. *Vagus ille ex-*

*panditor amnis.* Quid caussae esse dicam, quare tam barbara vox in Lexicis relicta sit, cum in bonis libris recte legatur: *Vagus ille, cum expanditur, amnis.* Vide Swarzium ad h. l.

*Exvelo.* Propert. III. 13. 3. *Ut mihi praetextae pudor exvelatus amictu.* Sic a Scaligero editum est contra libros veteres, in quorum plerisque legitur, *est velatus*, quod nec ipsum explicari potest. Ego cum Laur. Santenio, viro in poëtis Latinis excellenter versato, non dubitarim legere: *Ut mihi praetextae pudor exsinuatus amictu.* Quod liquido confirmat imitatio incerti poëtae Anthol. Lat. T. I. p. 700. *Huic dum virgineus pudor exsinuatur amictu.* Certe *exvelo* e Latii finibus proscribendum *c*).

*Facio.* Hic frustra quaesivi formulam Comicis usitatam, *factum alicui velle*, pro bene velle, favere. Terent Adelph. V. 7. 21. *cum te video nostrae familiae Tam ex animo factum velle.* Vim formulae explanarunt Casaubonus ad Appulej. Apolog. p. 166. Salmasius ad Tertullian. Pall. p. 120. in primis Gronovius ad Gell. VII. 3. quem si Schellerus adhibuisset, non, opinor, in Terentio *factum* pro *facere* positum v. *Volo* dixisset *d*).

*Fero.* Neque hic, neque in vocibus *dico*, *nego*, *trado*, *voco*, ullam reperi explicationem poëticae rationis, qua *feror esse*, vel simpliciter *feror*, pro *sum*, et *negor esse*, vel simpliciter *negor*, pro *non sum* usurpatur. Eam loquendi formam multis exemplis planam fecit Marklandus ad Stat. Sylv. V. 1. 33.

*Frui* in re amorum dicuntur, qui libidinem suam

---

*c*) Aliter sentit de h. l. Properii Wyttenb. ad Plut. de rect. aud. rat. p. 37. C. cf. Herodot. I, 8. *B.*

*d*) Idem monuit V. Cl. ad Terent. l. l. *B.*

xplent. Terent. Heaut. II. 3. 104. *datur: fruare, dum elicet.* Vide Dukerum ad Florum IV. 11. 4. Par ratio est verbi *potiri*, quod exemplis illustrat Burmannus Secundus ad Anthol. Lat. T. I. p. 273. De hac utriusque verbi potestate tacent Lexicographi.

*Gratia.* Vere monet Lagomarsinus ad Pogiani Epist. T. III. p. 305. Latinos semper dicere, *gratias agere*, at *gratiam referre*, *gratiam habere*, nisi si quando *referre* aut *habere* cum *agere* conjungitur, recteque adeo Lambinum in Cicerone Phil. III. 15. pro *gratiae referantur* scribere *gratia referatur.* Sic etiam Bentlejus in Terentio Andr. IV. 4. 31. pro *Dispol habeo gratias* e MSS. edidit. *gratiam.*

*Humo.* Piget me inanium in hoc verbo argutiarum, quas Schellerus jam bis prolatas in Praecept. stili p. 761. et in Observ. p. 312. hic rursus inculcavit. Negat vir doctissimus, etymon premens, *humare*, quod proprie est humo tegere, pro cremare dici. At Cicero et Nepos ajunt. Lutatius quoque ad Stat. Theb. IX. 299. *inhumatus* de non cremato accipit. Sed V. Cl. nesciebat fortasse, Latinos ita loqui imitatione Graecorum, quos inde ab Homero Od. M. 12. θάπτειν, quod est *humo tegere*, pro *cremare* frequentasse, vi exemplorum demonstrarunt T. Hemsterhusius ad Xenophont. Ephes. in Miscell. Observ. Vol. V. T. I. p. 21. et P. Wesselingius ad Diodor. Sic. III. 55.

*In.* In hac praepositione illustranda fugit Lexicographorum diligentiam vis ea, qua pro *instar* ponitur. Anthol. Lat. T. I. p. 271. *Dicitur in nitidum procubuisse bovem.* Sic saepe Appulejus, ad cujus L. III. p. 191. plura Oudendorpius. Eodem modo Graeci, non optimi

---

*e*) Similis est ratio verbi *sepelire* et vocis *sepulchrum:* vid. V. Cl. Schol. ad Terent. Andr. I, 1, 101. *B.*

*illi* quidem, sed certe satis boni loquebantur. Philostrat. de Vit. Sophist. II. 12. p. 593. ἐς λέοντα θυμοῦνται, καὶ ἐς σῦν ὁρμᾷ.

*Inconcinnitas* affertur ex Suetonio Aug. 86. *vitatis sententiarum ineptiis, et inconcinnitate.* At *concinnitate* e MSS. quibus consentit Codex Santenii nostri, legunt Ernestus et Oudendorpius. Qua lectione nihil verius.

*Indubitate.* Hoc adverbium tribuitur Vellejo II. 60. Si Schellerus meam editionem inspexisset, in ea reperisset alia omnia.

*Infirmus* aliquando est timidus, et quoniam, ut ex infirmitate metus, sic ex metu religio, sive superstitio nascitur, etiam superstitiosus, δεισιδαίμων. Cujus potestatis explicationem in Lexicis desideramus. Horat. Serm. I. 9. 70. *nulla mihi, inquam, Relligio est. At mi: sum paulo infirmior.* Sic *imbecillus animus* dicitur a Cicerone de Divinat. II. 89. Apud Graecos frequens hoc sensu ἀσθενὴς, apud Gallos *des esprits foibles.*

*Intentio.* Plinius Paneg. 78. *haec nempe intentio tua, ut libertatem revoces.* Hic *intentionem* Schellerus explicat *studium* aut *voluntatem.* Bene, *studium,* secus, *voluntatem.* Haec enim vox semper ab idoneis scriptoribus de contentione et singulari studio, nunquam de consilio et voluntate, dicitur. Vide Swarzium ad Plin. l. c. et Facciolatum Anim. crit. in Lexica p. 240.

*Lampada.* Expungenda e Lexicis esse, quae pro forma *lampada* afferuntur, facile intelligat, qui Bentlejum ad Manil. I. 359. in consilium vocarit. Ceterum Santenius noster Manilii versum felicius, quam Bentlejus, sic sanavit: *succedit, iniquo Divisum spatio, quod terna lampade dispar Conspicitur paribus.*

*Liber.* Cicero de Orat. II. 62. *quartum genus, obscoenitas, non solum non foro digna, sed vix convivio liberorum.* Hic *liberorum*, tanquam alienum, Ernestus delet, Schellerus mutat in *Lupercorum*: ut satis appareat, neutrum vocis vim cepisse. *Liber* est libere scortans, potans, dissolutus, perditus. Ipse Cicero Fragment. p. 1103. *convocata de hortulis in auxilium quasi libera turba temulentorum.* pro Coel. 18. *quorum partim nimia libertas in adolescentia, partim profusa luxuries nominarentur.* Nepos Themistocl. 1. *Cum minus esset probatus parentibus, quod liberius vivebat.* Aliquando ad res refertur. Plautus Asinar. V. 2. 17. *Is apud scortum corruptelae, et liberis lustris studet.* Poenul. III. 2. 25. *Liberum ut commonstraremus tibi locum et voluptarium, ubi ames, potes, pergraecere.* Horat. de A. P. 85. *Et juvenum curas, et libera vina referre,* id est, compotationes, in quibus quicquid libet, facere licet. Vide Gronovium Observ. III. 4.

*Madido.* Participium *madidans* explicatur madidus, madens, apud Claudian. de R. P. II. 88. *Ille novo madidantes nectare pennas Concutit.* Quam facile erat, vitiosam lectionem sic corrigere? *Ille novo madidatas nectare pennas Concutit.*

*Miser.* Hic annotanda erat vocis vis, qua pro scelesto et perdito, praesertim in convicio, dicitur. Terent. Eun. III. 1. 28. *hominem perditum miserumque!* V. 5. 11. (ap. Bentl. V. 4. 31.) *eam iste vitiavit miser.* Conveniunt Graeca δύστηνος et κακοδαίμων. Sophocles Electr. 124. Ὦ παῖ παῖ δυστανοτάτας Ἠλέκτρα ματρός. ubi vide Schol. Theocrit. Eid. XV. 31. δύσταχε, τί μεν τὸ χιτώνιον ἄρδεις; Convenit etiam Gallicum *malheureux.*

*Modicellus.* Apage vocem insolentem, quae nus-

quam legitur, nisi in mendoso loco Suetonii Neron. 45. ubi Oudendorpius, bonos libros secutus, bene edidit: *decubuit super lectum, modica culcita instratum.* Quem Ernestus in posteriore editione imitatus est.

*Momentum.* Vellejus II. 78. *provincias magnis momentis Labienus concusserat.* ubi *momentis* explicatur *motibus.* Perperam. Nam *molimentis* legendum esse, in annotationibus nostris docuimus.

*Nescio* a Poëtis exquisite usurpatur pro *non sentio.* Quae verbi vis Lexicographos fugit. Lucan. VII. 173. *sua quisque pericula nescit,* ubi vide Burmannum.

*Nox* pro clamore nocturno sumitur in Propertio IV. 8. 60. *Omnis et insana semita nocte sonat.* Mirabile est, aliquem potuisse ad tam inauditam vocis notionem confugere, cum in promptu esset verissima lectio, Passeratii ingenio reperta: *Omnis et insana semita voce sonat.*

*Numerus.* Iure hic requiras notionem, poëtis usitatam, qua *numeri* pro *astronomia* ponuntur. Lucanus I. 640. *quam non stellarum Aegyptia Memphis Aequaret visu, numerisque moventibus astra.* Cujus loci sententia omnes interpretes fefellit. *Numeros moventes astra* intellige astronomiam, quae astrorum motus ad calculos vocat, eorum motus tradit. De hoc loquendi genere, quo quis facere dicitur, quod factum narrat, pulcherrima est animadversio Hemsterhusii ad Thomam Mag. p. 187. hunc etiam Lucani locum ceteris, quos laudavit, addituri, ut ipsum mihi narrare memini, si suum officium fecisset memoria. Ex eadem ratione explicandus est Ovidius Fast. III. 112. *Non illi coelo labentia signa movebant, Sed sua.* item Cinna Anthol. Lat. T. I. p. 441. *carmina, quis ignes movimus aërios.* Neutro loco interpretes vim verbi *movere* satis ceperunt. Huc etiam pertinet Anthol. Lat. T. I. p. 51.

*Uranie numeris scrutatur munera mundi.* ubi, ut id in transitu dicam, Burmannus Secundus *munera* minus bene in *moenia* mutabat. Nam Cicero quoque mundum *munus* vocat, Tuscul. Disput. I. 29. de Nat. Deor. I. 8. II. 35. translatione sumta ab aedificiis publicis, magnificis et visendis, quae Romanorum consuetudo *munera* appellabat. Vide Ernestum Clav. Cic. V. *Munus.*

*Nuptus.* Nemo, qui eruditam animadversionem Drakenborchii ad Liv. I. 49. legerit, dubitare potest, quin rectum sit, *nuptum dare, collocare,* pravum, *nuptui dare, collocare.* Cur igitur vitiosa forma in Lexicis repetitur?

*Offendo.* Schellerus, vulgarem interpretationem in Nepotis Cim. 4. secutus, *offensum fortuna* accipit de infelice. Multo verius is, qui tam praeclare de Nepote meritus est, I. M. Heusingerus, explicat *casu obvium, fortuitu oblatum.*

*Parvus.* Hic requirimus explicationem Graecismi, quo *minor* pro *victus* ponitur, ut ἥττων apud Graecos. Horat. I. Ep. 10. 35. *Minor in certamine longo.* Sed Lexicographi nostri Graecorum cum Latinis comparationem, quasi nihil ad rem pertineret, penitus neglexerunt, nec cognovisse videntur, quod de summorum virorum sententia in Ti. Hemsterhusii Elogio p. 43. diximus, *Latinam linguam Graecae sic aptam et nexam esse, ut, qui alteram ab altera distrahat ac divellat, animi et corporis discidium inducere videatur.* Sed hic locus latius patet, quam ut paucis explicari possit.

*Pellex.* Ovidius Her. XIV. 95. *Illa Iovis magni pellex metuenda sorori.* Schellerus non audet decernere, utrum *pellex* cum *Iovis,* an cum *sorori* conjungendum sit. Sed dudum Oudendorpius ad Sueton. Caesar. 49. sic locum construendum esse docuit: *Illa pellex metuenda Iunoni, sorori Iovis magni.*

*Pendeo.* Hic praetermissa est significatio, qua, quae flaccida sunt et deficiunt, *pendere* dicuntur. Ovid. Met. XV. 231. *fluidos pendere lacertos.* Iuvenal. Sat. X. 193. *Pendentesque genas et aniles aspice rugas.* Plinius H. N. XIV. 22. *Hinc pallor, et genae pendilitae.*

*Pereo.* Notissimum est comicum *perii* in desperatione. Non item Lexicographis notum est, tanquam interjectio mirantis, aut dolentis, aut indignantis, eandem vim habens, quam Graecum τὸ δεῖνα, et Latinum *malum.* Terent. Heaut. II. 1. 8. *Perii! is mihi, ubi adhibit plus paulo, sua quae narrat facinora!* Hanc rationem primus bene explicuit Brunckius, vir elegantissimus, ad Aristophan. Lysistr. 921.

*Perinde.* Hoc adverbium pro *multum, valde,* poni dicitur. In quo falsi sunt et Lexicographi, et qui de Particulis scripserunt. Vere enim monet Dukerus ad Liv. XXIII. 21. in iis locis, ubi sic poni putatur, supplenda esse argumento convenientia, velut in Suetonio Aug. 83. *crure sinistro non perinde valebat,* supplendum, *ac dextro.*

*Pigneror.* Hic nulla ratio habita est annotationis exquisitae, qua Lagomarsinus ad Pogiani Epist. T. II. p. 283. ex Cicerone Phil. XIV. 32. docet, *pignerari* esse verbum militare, cui respondeat Gallicum, *engager au service.*

*Respondeo* tertiae conjugationis esse dicitur in Manilio V. 736. et Martiale III. 4. 17. Sed haec barbaries dudum ex utroque Poëta sublata est. Nam in Manilio Withofius ad Catonis Dist. IV. 5. et Bentlejus feliciter correxerunt: *Sic etiam in magno quaedam respublica mundo est.* Quam emendationem jure palmariam vocat I. Schraderus Emendat. cap. 12. p. 217. In Martiale autem viri docti certatim e MSS. legunt:

*si quando veniet, tu respondeto, poëta* etc. Omnino quoties Lexicographi aliquid ex Manilio laudant, toties fere a vitiosis editionibus turpiter decepti reperiuntur.

*Ruo* accipitur pro *eruo, compono*, in Horatio Serm. II. 5. 21. *tu protinus, unde Divitias, aerisque ruam, dic, augur, acervos.* Quem locum viri docti profecto omisissent, si Schraderi verissimam correctionem cognitam habuissent, Emend. cap. 4. p. 72. *tu protinus, unde Divitias aerisque struam, dic, augur, acervos.*

*Solvo.* Dubitat Schellerus, utrumne verba Ovidii Ep. X. 78. *esset morte soluta fides*, de fide praestita capienda sint, an de fide rupta. Non dubitasset, opinor, si Dukerum ad Florum I. 1. 13. de hac locutione egregie disputantem legisset.

*Turbator.* Livius II. 16. *cum pacis ipse auctor a turbatoribus belli premeretur.* Qua locutione offensus Gronovius, *auctoribus belli* legendum conjicit. Gronovianam rationem probans Schellerus, tum non meminerat animadversionis eruditae, qua Ernestus Miscell. Lips. Vol. II. p. 496. docet, *turbatores belli* a Livio dici, qui turbis ciendis bellum commovent; eumque loquendi modum a Graeco fonte fluxisse. Nimirum ut apud Latinos *turbare*, sic *ταράττειν* apud Graecos est *turbando commovere*, et simpliciter *concitare.* Ernestus uno defungitur loco Demosth. de Coron. p. 527. edit. Tayl. *ὡς δ' ἅπαξ ἐκ τούτων ἐγκλήματα καὶ πόλεμος πρὸς τοὺς Ἀμφισσεῖς ἐταράχθη.* Nos plura loca afferamus, ut haec forma tironibus crebritate exemplorum notior fiat. Plato Polit. VIII. p. 500. II. *τούτων πάντων ἕνεκα τυράννῳ ἀεὶ ἀνάγκη πόλεμον ταράττειν.* Dio Cass. LXIX. p. 1154. *τῷ μήτε τινὰ πόλεμον ταράξαι.* Eandem vim etiam in aliis locutionibus habet. Sophocles Antig. 793. *σὺ καὶ τόδε νεῖκος ἀνδρῶν ξύναιμον ἔχεις*

ταράξας. Euripid. Antiope apud Valckenar. Diatr. in Euripid. cap. 8. p. 80. ταράσσων μηδὲν ὧν πόλις νοσεῖ. Idem Bacch. 796. Θύσω· φόνον γε θῆλυν, ὥσπερ ἄξιοι, πολὺν ταράξας ἐν Κιθαιρῶνος πτυχαῖς. ubi recte cepit Musgravius. Plutarch. Themistocl. p. 114. A. ἐγκλήματα συγγενικὰ καὶ δίκας τῷ ἀνθρώπῳ πρὸς οἰκείους ταράξειν.

Paene mihi exciderat monere, versionem Belgicam explicationis Germanicae, quae huic Lexico adjecta est, non mihi tribuendam esse, sed aliis utriusque linguae peritissimis, qui, qua sunt modestia, nominari nolunt. *f*)

— Ao. MDCCXCIX. *g*)

---

# ANNOTATIONES

in

## M. ANT. MURETI SCRIPTA. *)

---

T. 1. p. 7. *numinis afflatu perculsi.*] Imo, *percussi.* Sed quid discriminis sit inter *percutio* et *percello*,

---

*f*) Quos quum adhuc vivere comperissemus, quominus nunc nominaremus, eadem ratio vetuit. *B.*

*g*) Hoc demum anno, mortuo Ruhnkenio, prodiit cum hac Praefatione Schelleri Lexicon: sed anno 1792 vel 1793. maxime in hoc labore occupatum fuisse Virum Cl., discimus ex ipsius Vitâ p. 204 sq. *B.*

*) Quaecunque adspersi, discipulorum meorum usibus potissimum destinata erant, quorum causa has castigationes cum ampliore quadam quaerendi cogitandique materia, programmatis scholastici scribendi occasione data, edere iam dudum constitueram, recisis iis, quae ad alias res a Mureto tractatas, quod quidem perraro factum est, Ruhnkenius addidisset. Sed quo-

Mureti aetas non satis cognitum habebat. Primus id ostendit R. Bentlejus ad Horat. Epod 11, 2. *a*)

T. 1. p. 9. *Theologia — duabus praecipuis partibus continetur*] Malim *praecipue*. Et sic a Mureto scriptum puto.

T. 1. p. 9. *ac opifice deo*] *Ac* nunquam ponitur ante vocalem. *b*)

---

niam erudita brevitas *F. A. Wolfii*, Viri praestantissimi, qui Analect. Litter. T. 1. in malam aut inelegantem latinitatem recentiorum scriptorum non sine leni joco et nominum clarorum occultatione nuper animadvertit, aliquid lucis e Ruhnkenii monitis accipere posse videbatur, postquam a *Seebodio* V. Cl. in Miscellaneorum Criticorum edendorum societatem vocatus eram, nihil habui antiquius, quam ut totum libellum, ut erat, inserendum Tom. I. p. 67—80. curarem, Ruhnkeniana maximi facturos, mearum vero quidquid esset nugarum, aeque laturos esse lectores sperans. Eadem fere, hic illic aucta, hoc loco repetenda duxi, mox plura daturus in singulari libello, in quem, quae plerumque barbare aut soloece dicuntur ab iis, qui nunc latine scribunt, juvenibus erudiendis referam. *Laur. Santenii* annotationes prosodiacas in ejusdem *Mureti* carmina a *Ruhnkenio* editas et in Miscellaneis simul repetitas suo loco movere nolui. Neque tamen a me potui impetrare, ut *Noltenii* auctoritates, satis crebro appositas, contra quam fortasse alii existimassent, delerem, utpote testes studii qualiscunque ante Ruhnkenium in his rebus explicandis positi. Nova autem editio Lexici Latini Antibarbari ab eo confecti et nunc magis, quam decet, neglecti, digna sane est, quae nostro tempore suscipiatur, praesertim recentissimorum grammaticorum disputationibus aucta atque exornata. *F.*

*a*) V. *Bremi* ad Nepot. Eumen. V, 1. *F. Ruhnk.* Schol. ad Terent Andr. I, 1, 98. *B.*

*b*) V. *Zumptii* Gramm. Lat. cap. 67. §. 332. ed. quint. *F. A. Wolf.* ad Sueton. Caes. c. 26. *Bremi* ad Nepot. Agesil. c. 2. *Tzschuck.* ad Mel. II, 3, 10. not. crit. p. 253. *Heindorf.* ad Cic. N. D. 1, 1. p. 4. *Lindem.* ad Vitt. duumvv. p. 33.

T. 1. p. 10. *morti denique deterrimae atque acerbissimae*] Imo, *teterrimae*. Si Muretus, quod vulgatur, scripsit, vitiosae veterum Scriptorum editiones, in quibus hae voces saepe confunduntur, ei fraudi fuerunt. Vide Drakenborchium ad Liv. IV, 3.

T. 1. p. 11. *tam stulte, incogitanterque*] *Incogitans* Terentius *c*) dixit. Sed *incogitanter* aeque insolens est, ac *cogitanter* pro *cogitate*.

T. 1. p. 13. *solida Theologorum doctrina*] *Solida* doctrina ἄκυρον est, nec Latinis usitatum: ut mirer, elegantissimum librum, quo Philosophiae elementa traduntur, ab Ernesto inscriptum esse: Initia solidioris doctrinae. *d*)

Ibid. *Frustra desideraverit*] Elegantius *frustra* abesset. *e*) *Ex Addendis*.

T. 1. p. 14. *Christianae ditionis terminos*] *Ditio*

---

*Garat.* ad Cic. or. Phil. III, 3. *Hess.* ad Tacit. Germ. XLI, 2. Nam *Ramshornium* gr. l. p. 515 nescio quas locorum dubiorum et inscriptionum fortasse suppositiarum vel erroribus contaminatarum auctoritates obtendentem equidem nihil moror. *F.*

*c*) Phorm. I, 5, 5. *F.*

*d*) Ipse tamen *Ruhnkenius* saepius hac dicendi forma usus est; conf. eius orat. de doct. umbrat. p. 16. ed. LB. et or. de Graec. art. et doctr. inventr. p. 8. ed. Kidd. Quam nuperrime defendere studuit *A. Matthiae* ad Eloqu. lat. exempla p. 135. his verbis: „At, si Latinis inusitatum est, eodem tamen modo translatum est, quo *solida gloria*, *solida utilitas* [cf. *Ruhnk.* ad Terent. Eun. II, 3, 26 et Andr. IV, 1, 23.] et similia, i. e. non inanis.“ — *F. A. Wolfius* malebat *subtilem* dici, v. *Hanharti* Erinner. an *F. A. W.* Basil. 1825. p. 62. *F.*

*e*) Eadem ratio est verbi *requirere;* conf. Cic. or. p. lege Manil. §. 6. ubi v. *A. Matth.* et Epp. ad Famil. XII, 50. *F.*

apud veteres nihil est, nisi potestas, imperium. *f*) Sed ut imperium pro regno vel republica dicitur, sic etiam ditio cadente Latinitate pro regione vel regno dici coepit. Claudianus de II. Cons. Stilich. 160. *nec terminus unquam Romanae ditionis erit.* Vide Vossium de Vitiis Sermon. VI. p. 322. et Cellar. Cur. Poster. p. 337. Hoc igitur Mureto ex inferioris aetatis lectione surrepsit.

T. 1. p. 15. *tu depravatas hominum mentes, velut de integro interpolasti:*] Dura et abhorrens translatio, praesertim cum *interpolare* semper fraudis significationem adiunctam habeat.

T. 1. p. 19. *Hoc figmento*] Vox *figmentum* non habet idoneum auctorem. Vide Scioppium Infam. Fam. p. 111. et de Stil. Hist. p. 167. *g*)

T. 1. p. 24. *in altum invehor*] Ingolstadienses bene correxerunt *evehor*. Sic enim veteres loquebantur. Exempla sunt apud Drakenborch. XXXVII. 23.

T. 1. p. 24. *amplior et patentior orationis quasi cursus ostenditur.*] Pro *patentior cursus* exspectasses *patentior campus*. Sed quoniam metaphora ab itinere maritimo ducta est, *cursus* pro *campus* dicere maluit, imitatus Ciceronem pro Planc. 7. *Plancium non obrepsisse ad honorem, sed eo venisse cursu, qui semper patuerit hominibus hoc nostro equestri loco.* Cujus tamen loci dispar ratio est.

T. 1. p. 28. *falsarum opinionum temeritatem diripere*] Sic scripsit, mendosas Ciceronis editiones secutus, de Finib. I, 13. *omnium falsarum opinionum temeritate direpta.* Sed optime Davisius e MSS. revocavit veram lectionem, *temeritate dempta. h*)

---

*f*) V. *Noltenii* Lex. L. L. Anti-Barb. p. 508. ed. sec. *F.*

*g*) Adde quos affert *Nolten.* p. 955. *F.*

*h*) *Bremi* et *Goerenz* rectius, opinor, reduxere *derepta* ex ed. Ern. a. 1756, qui postea mutavit. *F.*

T. 1. p. 33. *corporis et animi dissidium*] Potius *discidium*. Sed hoc discrimen ignorabatur ante Gronovium ad Liv. XXV, 18. *i*)

T. 1. p. 38. *distincte ordinateque dicendi praecepta*] Hoc habet ab Auct. ad Herenn. IV, 56. ubi tamen alii libri praebent *ornate*. Cicero dixisset, *ordine*.

T. 1. p. 39. *increbuit*] Scribe, *increbruit*. Vide Oudendorp. ad Sueton. Caes. 79.

T. 1. p. 40. *Sunt, qui . . . fieri tamen negant posse.*] Imo, *negent*. *k*)

T. 1. p. 43. *bonus aestimator eloquentiae*] Rectius *existimator* scripsisset. Sed nondum Gronov. ad Liv. XXXIV, 2. et ad Gell. I, discrimen horum verborum constituerat. *Existimator* est iudex: *aestimator*, qui pretium constituit, res inter se componit, ut, quid posthabendum sit, intelligat. *l*)

T. 1. p. 49. *victoriis totus terrarum orbis nobilitatus est*;] Locus aliquis, ante obscurus, victoria nobilitatur, ut apud Cicer. Partit. 10. *loci obscuri, an*

---

*i*) Conf. *Nolten*. p. 52. *A. Matth*. ad Eloqu. lat. ex. p. 17. „*Dissidium* est dissensus animorum, *discidium* disiunctio, quae fit corpore, loco. Hoc iam observaverat Giphanius, aequalis Mureti." v. *Ruhnk*. Schol. ad Terent. Andr. IV, 2, 14. *F*.

*k*) V. *Heindorf*. ad Horat. Sat. I, 4, 24. et ad Cicer. N. D. II, 32. p. 194 sq. *Zumpt*. l. l. cap. 78. §. 563. Hodie enim accuratius definiunt. *F*.

*l*) *Existimatorem et iudicem* coniunxit Cic. de Fin. III. 2. ubi conf. *Goerenz* p. 315. qui ad hanc *Ruhnkenii* animadversionem non respexit. cf. *Ellendt*. ad Cic. Brut. c. 72. p. 184. *Kraft*. ad select. epp. et orat. Mureti p. 282. *Ruhnk*. ad Terent. Heaut. prol. 25. et in dict. ad Sueton. Calig. 60, ubi affert Intpp. ad Liv. XXXIV, 2 et Ernest. ad Tacit. Ann. XIII, 17. *F*.

*rerum gestarum vestigiis nobilitati.* Sed quis ferat *victoriis orbis terrarum nobilitatus?* [Cf. tamen Tac. H. I, 2.]

T. 1. p. 53. *cum ipsorum incommodatione*] Haec vox Mureto haesit ex corruptis libris Ciceronis ad Att. I, 17. Nunc recte editum est *incommoditate.*

T. 1. p. 60. *eam Philosophiae partem, quae ad confirmandos mores pertinet*] Muretus in margine Aldinae bene correxit *conformandos.*

T. 1. p. 62. *cernere est fructus*] Hic Graecismus poetis proprius est, non orationis prosae scriptoribus. *m*)

T. 1. p. 67. *orationis genere prosequar*] Imo, *persequar.* *n*)

T. 1. p. 78. *proxime divinam naturam accedimus*] Deest *ad* in Aldina. Quam constructionem defendere licet exemplis apud Drakenborch. ad Liv. IX, 40. Sed magis Ciceronianum est *accedere* cum praepositione, quod Ingolstadienses ediderunt. *o*)

T. 1. p. 79. *dirum sibi putet ejus concursum*] Muretus *occursum* scripserat. *p*) *Ex Add.*

T. 1. p. 85. *iubet, ut nos ipsos noscamus*] Rarior

---

*m*) V. *Tzschuck.* ad Mel. III, 3, 5. not. exeg. p. 95. *Hess.* ad Tacit Germ. V, 6 ubi dicitur *est videre.* *Creuzerus* quidem in Annal. Heidelb. Litt. a. 1823. Ian. m. p. 56. e Cicer. de republ. I, 38. proferre posse sibi videbatur, sed e conjectura *A. Maji* profectum et ab hoc postea retractatum. Facilius, quam par erat, credidit *Iacobus* ad Lucian. Toxar. ann. p. 48. Apparet, *vides* ibi esse scribendum. Praeter Ciceronem qui ita dixerint, docet *I. M. Heusinger* Obss. antibarb. p. 404. *F.*

*n*) Conf. quos affert *Tzschuck.* ad Mel. prooem. 1. not. crit. p. 4 sq. *F.*

*o*) V. *Kraft.* l. l. p. 265. *F.*

*p*) Idem vult *Wyttenb.* in Catharsio, quod abest a Leidensi opusculorum collectione; sed habet ed. Brunsv. T. I. p. 334. *F.*

nec imitanda, constructio, *iubet, ut.* Vide Duker. ad Liv. XXIII, 21.

T. 1. p. 108. *Iesu Christi salvatoris*] Muretus in margine Aldinae reposuit vocem magis latinam *servatoris.* q)

T. 1. p. 128. *propter locorum distantiam*] Meliores scriptores potius dicunt *intervallum.*

T. 1. p. 133. *prolatis ac productis ipsorum locis*] *Producere* vel *adducere* locum, rationem, etc. non dicunt Latini. r)

T. 1. p. 144. *amicorum petitioni*] *Petitio* pro *precibus* non reperitur apud idoneos scriptores.

T. 1. p. 145. *causa discussa*] pro *causa cognita* cadentis, vel potius iacentis Latinitatis est. *E praef.* T. IV. p. IX.

T. 1. p. 146. *iudices, omnis cupiditate spoliati*] *Cupiditate spoliatus* pro *cupiditatis expers* vereor, ut recte dicatur.

T. 1. p. 148. *prout quisque affectus est, ita res eis alias atque alias videri*] Nescio, quare Muretus in margine Aldinae *ei* scribat. Centies enim *quisque* cum plurali construitur. Vide Drakenborch. ad Liv. II. 22.

T. 1. p. 153. *Romani nominis ac dignitatis columnam*] Frigidus lusus in nomine *columnae.* s) Nec latina consuetudo eum, cuius consiliis respublica nititur, *columnam*, sed *columen* reip. vocat.

---

q) Vocem *salvator* defendere studuit *Nolten.* p. 1157 sqq. *F.*

r) *Matth.* l. l. p. 57. „Sed *producere testes* dicunt; quorum testium vim quum locis, quae afferre possit, tribuat, illo etiam verbo utitur Muretus.“ *Lindem.* ad vitt. duumvv. p. 34. mavult dici *afferri, apponi. F.*

s) *Ant. Columnam* enim vult intelligi. Similia notavit *Ruhnkenius* T. I. p. 115. ubi ad haec verba: *Medicata enim est*

T. 1. p. 158. *nostros animaret*] *animare t*) aliquem pro *incitare*, *incendere*, Gallicismum sapit.

T. 1. p. 164. *eandem in victu cultuque parsimoniam retinuit, quibus a principio se assuefecerat*] Melius est, quod Muretus in marg. Aldinae reponit, *cui a principio.*

T. 1. p. 194. *vitam illius prorogare.*] Rectius *propagare*, ut nunc editur apud Cicer. de Finib. V. 11. *propagabat tamen vitam aucupio.* De confusione et discrimine horum verborum Critici saepe disputarunt, ut Graev. ad Cic. ad Div. V, 15. et Oudendorp. ad Suet. Aug. 23. *u*)

T. 1. p. 198. *gaudium obiici potest.*] *Gaudium obiici* dicitur, quod insperatum est, ut ap. Terent. Heaut. I, 2, 12. *Ut hanc laetitiam nec opinanti primus obiicerem.* Qui sensus ab hoc loco alienus est.

T. 1. p. 201. *quos armorum vis effrenavit*] Muretus haud dubie scripsit, *efferavit.*

T. 1. p. 206. *a Deo et a Rege rebellaverant*] Forte excidit verbum *deficientes.* Nam *rebellare ab aliquo* ne fando quidem auditum est. *v*)

T. 1. p. 208. *eorum protector*] *Protector*, vox barbara. Vide Cellar. Cur. Poster. p. 202. *w*)

---

*consilio ac prudentia sua communibus totius Galliae malis* juvenilis, inquit, lusus in nomine gentis Mediceae. T. I. p. 298. *Nam cum* (Tacitus) *ipse se satis tacitus laudet, ego quoque praestantiam ipsius tacitus admirari malo*] „Puerilis lusus in nomine *Tacitus* ita placuit Mureto, ut eum sub orationis finem repeteret." Idem Ruhnkenius monuit de verbis *Sacrato sacratum* T. I. p. 588. Poterat hoc etiam facere, quod *Bergmanus* affert, ad T. I. p. 545. ubi *puteum illum* dicit Puteanum. *F.*

*t*) V. *Nolten.* p. 818. sq. *F.*

*u*) V. *Bremi* ad Nepot. Hamilc. II, 5. *F.*

*v*) V. *Nolten.* p. 1714. *F.*

*w*) V. *Nolten.* p. 691. *F.*

T. 1. p. 210. *fusis ex animo precibus*] *Fundere preces* poetis frequens, non reperitur apud prosae orationis scriptores.

T. 1. p. 218. *subditus legi*] Magis latine scripsisset, *subiectus legi*. Nam *subditus*, pro *parens* melior aetas ignorat. Vid. Sciopp. Infam. Fam. p. 118. et Cellar. Cur. Post. p. 343. *x*)

T. 1. p. 221. *ipsemet captus*] Rectius *ipse*, quam *ipsemet*, dici, monet I. G. Bergerus Praef. ad Or. Lectior. p. 13. [Est tamen apud Plautum Amphitr. prolog. 102. et Ciceron. Verr. III, 1. *Ex Addendis.*]

T. 1. p. 222. *durissima illa ac plenissima pavoris nocte*] Potius *dirissima*.

T. 1. p. 232. *elucescat*] *Eluceo* latinum est, non *elucesco*. Vide Interpretes ad Lactant. VII, 14. *y*)

T. 1. p. 240. *Platoni quaedam tribuuntur, quae Platonis non sunt, ut Axiochus sive de morte, qui Xenophanis Platonici est.*] Imo *Xenocratis*, cujus librum περὶ θανάτου laudat Diog. Laert. IV. 12. ubi vid. Menag. *z*)

T. 1. p. 245. *reum recipere*] Mirum, ni Muretus scripserit, *reum eripere:* quod a Cicerone exquisite dicitur pro arte quadam *liberare*. *Ex Addendis.*

T. 1. p. 248. *defendi, neque profiteri*] *Profiteri* passive dixit exemplo Ciceronis Agrar. II, 21. ubi sic est *fateri*. Sed ille locus vix sanus videtur Criticis. Vide Duker. de Latin. l. C. vet. p. 359. et Ernest. Clav.

---

*x*) Adde *Nolten.* p. 735. *F.*

*y*) V. *Nolten.* p. 520. sq. *F.*

*z*) Sed hujus non esse, nuper idoneis rationibus ostendit Juvenis Doctiss. Dion. Wynperssius diss. de Xenocrate Chalcedonio P. II. C. V. §. 2. p. 193 sq. Antea obiter monuerat Cl. Wyttenb. disp. Teyl. de Anim. Imort. sect. V. Opusc. T. II. p. 599 sq. *B.*

Cic. V. Fateor. An Muretus scripsit *patefieri?* Hoc quidem aptius est sententiae, quam alterum.

T. 1. p. 255. *oratio copia rerum madeat*] Poëtica loquendi forma, non imitanda in prosa.

T. 1. p. 256. *in manus suscepissem*] Scripserat, ni fallor, *sumpsissem.*

T. 1. p. 276. *laudare ac depraedicare*] Compositum *depraedicare* inauditum Latinis est. Vide Cell. Cur. Post. p. 335. Erasmum primum hoc verbo usum esse, putat Moneta ad Menag. T. III. p. 287. *a*)

T. 1. p. 309. *Eam* (asperitatem) *Graeci ita esse in Thucydide perpetuam notarunt, ut, cum ille in piaculi Cylonii narratione aliquid ex ea de industria remisisset, leonem risisse dicant.*] Scholiastes Thucydidis ad I. 126. *Τοῦ διηγήματος τοῦ κατὰ τὸν Κύλωνα τὴν σαφήνειαν τινὲς θαυμάσαντες, εἶπον, ὅτι λέων ἐγέλασεν ἐνταῦθα.* Ex quo loco *Λέων*, tanquam vetus scriptor, in Indicem auctorum, qui a Schol. laudantur, ridicule relatus est.

T. 1. p. 314. *ab impurissimo tyranno*] Forte Muretus scripsit *importunissimo tyranno*, ut Cicero et Livius loquuntur. Vulgatum tamen explicari posse fateor. Ceterum hic locus habet turpem Pontificis Romani adulationem, etiam contra historiae fidem. Graecos enim, ante imperium suum eversum, in barbariem lapsos esse, quis est, qui nesciat?

T. 1. p. 319. *incidisse numeros ac cantus*] Muretus imitatione sua probasse videtur Lambini coniecturam in Cicerone de Leg. I, 4. *Roscius familiaris tuus in senectute numeros in cantu ceciderat, ipsasque tardiores fecerat tibias.* ubi vulgo editur, *cecinerat.* Sed nihil certi. *b)*

---

*a*) V. *Wolf.* Anal. T. I. p. 490. *Nolten.* p. 498. *F.*

*b*) *Matth.* l. l. p. 141. „*Ceciderat* edidit Goerenz e codd. a

T. 1. p. 320. *diligentiam et accurationem*] Malim, *curam*. Est quidem *accuratio* semel apud Ciceronem Brut. 67. Sed semel aut rarissime dictis abstinere, prudentius est; quod saepe accidit, ut talia, melioribus libris inspectis, vitiosa reperiantur. Idem intelligi volo de vocabulo *attentio* c) apud Cic. de Orat. II, 35. quo Muretus usus est saepius.

T. 1. p. 333. *Ite domum, cives Liburtes, nunciate liberis vestris, nunquam caet.*] Imitatur dictum Metelli Macedonici in Scipionis Aemiliani funere, quod est apud Plinium H. N. VII, 44. *Ite, filii, celebrate exsequias. Nunquam civis majoris funus videbitis.*

T. 1. p. 341. *ut haud sciam, an ullum sit*] Ex Latinitatis ratione scribendum: *an nullum*. Vide Heusinger. ad Nepot. Timol. 1. et Ernestum ad Cic. ad Div. IX, 9. de Senect. 14. Nec dubito, quin ita scripserit Muretus. Certe sic est supra p. 187 in Aldina, ubi vulgares Editiones habent, *an ullus*. Qui nunc latine scribunt, dici vix potest, quoties ad hunc scopulum offendant. d)

---

*cadere* illud derivans, quum sit a v. *caedere*." Idem monuit *Osann.* in Analect. Crit. p. 26. Nisi forte graeco modo Goer. dici voluit. *G. Hermannus* in diss. de cantico in Roman. fabb. Lps. 1812. p. 12. correxerat *leniverat*. Probatum id *G. A. B. Wolffio* in diss. de act. et scen. ap. Plaut. et Terent. Hal. 1824. p. 15. Vulgatam probabiliter defendit *Reisigius* ad Sophocl. Oedip. Colon. comm. crit. p. 163. vicino adjectivo *tardiores* ad intelligendum retracto. Assentientem sibi habet *Beierum* in Philol. Litter. Blatt. d. allgem. Schulzeit. Darmst. 1825. Nr. 4. p. 32, qui exemplis a Reisigio allatis adjungit Cic. de Legg. I, 4, 15. *Moserus* ex uno cod. edidit *reciderat*. *F.*

c) Cf. *Mahn.* in Epist. Socr. Philom. p. 191. sq. *F.*

d) Cf. supra T. I. p. 239. sq. *F.*

T. 1. p. 347. *sed neque animus ulla in cognitione conquiescere potest.*] Non dubito, quin Muretus scripserit, *cogitatione.*

T. 1. p. 411. *expressio, quasique professio*] *Expressio* insolens hoc sensu.

T. 1. p. 459. *Scis enim, quam inutilis ea (exspectatio) atque aliena sit placere cupientibus*] Muretus imitatione sua probare videtur vulgatam lectionem Terentii Andr. I. 5. 52. Sed ibi rectius editur: *Nec clam te est, quam illi utraeque res nunc utiles.* Vide Rivium et Bentlejum.

T. 1. p. 480. *de invaletudine mea*] *Invalitudo* bis terve apud Ciceronem legitur. Sed veteres libri modo *valitudo*, modo *invalitudo* praebentes, dubiam scripturam faciunt. Vide Drakenborch. ad Liv. Epit. 13.

T. 1. p. 560. *obnixe operam daturum*] Imo, *enixe.* Vide quae de harum vocum discrimine diximus ad Vellej. Pat. I, 9. p. 36.

T. 1. p. 583. *iusiurandum attulisset*] Potius *detulisset*, vel *obtulisset*, ut Iurisconsulti veteres loquuntur.

T. 1. p. 644. *ad maiorem expressionem*] Magis latine scripsisset *significationem.*

T. 1. p. 661. *amicis quibusdam meis communicassem*] Muretus cum aliis deceptus est corrupta lectione Caesaris de B. C. III, 18. *e*) *quibus communicare*, ut viri docti dudum restituerunt, *quibuscum communicare.*

T. 1. p. 662. *me persuaderi passus sum*] Imo *mihi. f*)

T. 1. p. 784. *rediviva resurgit*] Rectius *recidiva.* Vide Gronovium ad Senec. Troad. 470.

---

*e*) V. *Nolten.* p. 1345 sq. *F.*

*f*) V. *Nolten.* p. 1645. *F.*

T. 1. p. 824. *cognitionem suscipere*] Scrib. *cogitationem.*

T. 2. p. 19. *repertum suum esse currus illos nautarum*] *Repertum*, pro *invehtum*; Lucretii est, non Ciceronis.

T. 2. p. 47. *eius coaevus*] *Coaevus* vox minus latina, iudice Lambino in epistola l. c. p. 398. *g*)

T. 2. p. 62. *adducto eo ipso Pindari loco*] *Adducere* et *producere* locum, pro *afferre*, non reperitur apud antiquos. Recentiorum consuetudo, sic verbum usurpans, nobis quoque aliquando fraudi fuit. Vide, quae ad T. I. p. 133 notavimus.

T. 2. p. 87. *Sed praestat, ut versus adscribam*] Rectius, certe usitatius, est *praestat* cum *infinitivo.*

T. 2. p. 100. *florum varietate distinctum picturatumque*] *Picturatus*, poeticum verbum.

T. 2. p. 105. *iuxta praeceptum Hesiodi*] Imo, *secundum.* Alterum est cadentis Latinitatis. Idem notavit Scioppius Rhetor. Exerc. p. 17. *h*)

T. 2. p. 116. *Illud Demetrii ad Locrenses: Faxo, cicadae apud vos humi canant.*] Stesichoro hoc dictum tribuit Aristoteles Rhetor. II, 21. III, 11. *Στησίχορος ἐν Λοκροῖς εἶπεν, ὅτι οὐ δεῖ ὑβριστὰς εἶναι, ὅπως μὴ οἱ τέττιγες χαμόθεν ᾄδωσιν.* Dionysio, Siciliae tyranno, Demetrius *περὶ ἑρμην.* §. 99. Ac nescio, an Muretus *Dionysii* pro *Demetrii* scribere voluerit.

T. 2. p. 117. *murem innuere*] *Innuo*, pro *significo*, barbarum est.

T. 2. p. 118. *Aeneae autem propter singularem ipsius pietatem eos potius, quam cuiquam alii, ap-*

---

*g*) V. *Wolf.* Anal. T. 1. p. 490. *Nolten.* p. 463. sq. *F.*

*h*) Adde *Nolten.* p. 1545. sq. *F.*

*paruisse, credibile est.*] Huius loci constructionem reprehendit Lambinus epist. laud. p. 299.

T. 2. p. 126. *assiduos suorum facinorum testes*] Latina consuetudo postulat *flagitiorum*, ut recte animadvertit Lambin. in epist. laud. p. 399. *i*)

T. 2. p. 127. *ad spernendam pro patria vitam incitarentur*] Lambinus in epist. laud. p. 399 docte disputans de discrimine inter *spernere* et *contemnere*, malit *contemnendam*. *k*)

T. 2. p. 139. *Graeci quoque ὄνειδος nonnunquam tamen pro gloria accipiunt*] Aliter ὄνειδος accipit Lambinus in epist. laud. p. 400. At cum Mureto sentit Valckenarius ad Eurip. Phoen. 828.

T. 2. p. 198. *praeponderabantur honestis turpia*] Forte *l*) Muretus scripsit, *praeponderabant*.

T. 2. p. 225. *Citantur enim haec a vetere Grammatico: Γῆς ὀστέοισιν ἐγχριμφθεὶς πόδα, de eo qui ad lapidem offendisset. Sic autem, et* sanguinem terrae *Aristoteles* — vinum *vocasse dicitur*] Hunc vs. sine auctoris nomine laudat Eustath. ad Il. B, p. 309. Sed auctorem Choerilum edit Tzetzes MS. cujus locum ad Longinum p. 135. [Ed. Weisk. p. 236.] attulimus. Ceterum non Aristoteles vinum *terrae sanguinem* dixit, sed Androcides apud Plinium H. N. XVI. 5.

T. 2. p. 234. *auctoritatem plebiscitorum sive psephismatum*] Rectius dixisset *populiscitorum*. *m*)

---

*i*) V. *Bremi* ad Nepot. Timol. I, 5. *F.*

*k*) *Wyttenb.* ad Cic. de Legg. I, 11, p. 81. ed. Creuz. *Lindem.* ad vitt. duumvv. p. 135. *Ruhnk.* ad Terent. Andr. I, 5, 13. *Kraft.* l. l. p. 295. *F.*

*l*) A pravo usu h. v. nec Ruhnkenii, neo nostra aetas satis abstinet. Et jure miratur in Ruhnkenio *Schaeferus* ad Eurip. Orest. 775. ed. Pors. Lips. a. 1824. *F.*

*m*) V. *Bremi* ad Nepot. Aristid. III, 4. *F.*

T. 2. p. 237. *impedire huic mutationi*] Male *impedio* cum *Dativo* construitur.

T. 2. p. 251. *amat tamen ipse dicere*] *Amat dicere* Graecismus non usitatus Ciceroni. Sed Sallustius Iug. 34. sic loquitur, eiusque imitatione Tacitus.

T. 2. p. 280. *omnigenae eruditionis copia*] *Omnigenus*, poetica vox. *n*)

T. 2. p. 282. *eaque fastigiarent*] Rectius, *fastigarent*. Vide Drakenborch ad Sil. It. V. 50. *o*)

T. 2. p. 316. *quorsus enim necesse est?*] Loquendi modus *quorsus necesse est* ut parum Latinus notatur a Scioppio Rhetor Exerc. p. 17. At Horatius II. Serm. 7, 116 dixit: *quorsum est opus?*

T. 2. p. 333. *antiqui scriptoris Timesiae locum ex libro sexto Historiarum*] Imo, *Timaei*. Locus sumtus est e Scholiaste Aeschinis de falsa legat. p. 751. quem nuper edidit I. I. Reiskius.

T. 2. p. 344. *quinto quoque anno faciendum*] Huc pertinet animadversio C. Scioppii de Stilo Hist. p. 226. „Fugit Muretum ratio, cum pro *singulis quinque annis* dicendum putat *quinto quoque anno*. Nec enim eadem utriusque dicti est sententia. Si quid enim fiat, quod quinquennio, seu singulis quinquenniis semel, nihil necesse est, id quinto semper anno fieri, cum etiam primo, secundo, aut quocunque quinquennii anno factum intelligatur.“

T. 2. p. 346. *Sed in Tertulliano, Arnobio, Hieronymo* etc.] Gasp. Scioppius Rhetor. Exercit. p. 17. et de Stil. Histor. p. 64, existimat, haec Muretum non

---

*n*) V. *Nolten*. p. 1078. *Mahn*. Epicr. Bibl. Crit. p. 14. [Vitar. mear. T. I. p. 227.] *F*.

*o*) V. *Nolten*. p. 62. et quos affert *Tzschuck*. ad Mel. I, 4, 2. not. crit. p. 180. sq. *F*.

ex animi sententia scripsisse, sed ut in hac professione, si quid sibi minus Ciceronianum excidisset, latebram haberet. Adversus Sciopp. disputat Iac. Thomasius Praefat. p. 8. Mihi in tali re non quid quisque dixerit, praesertim tempori serviens, sed quid certo et constanti iudicio fecerit, spectandum videtur. Atqui res ipsa loquitur, Muretum non alios, nisi Ciceronem, et reliquos optimae aetatis scriptores imitando expressisse; Appuleii autem, Cassiodori, Sidonii, et similium verba, tanquam scopulum, fugisse. Vera igitur est Scioppii sententia. *p*)

T. 2. p. 389. *apud fastidiosos aestimatores*] Potius, *existimatores*. Vide quae notavimus ad T. I. p. 43.

T. 2. p. 416. *unum mihi commodato dederat*] Muretus scripsit, certe scribere debuit, *commodaverat*. *q*)

T. 2. p. 425. *collimant*] Scioppius Rhetor. Exerc. p. 17. „Hujus porro generis nova apud Muretum sunt: *ne optimi quidem iaculatores semper collimant*, pro *collineant*. quod non est, ferire destinatum, sed dirigere telum.“ Haec reprehensio quam inanis sit, intelligitur e Cicer. de Divin. II, 59. *Quis est enim qui, totum diem iaculans, non aliquando collimet?* Sic Ernestus e libris suis edidit. Alii *collineare* praeferunt, ut Fr. Oudendorp. ad. Appul. Met. IX, p. 675. Utrum verius sit, in pari veterum librorum auctoritate, nemo facile decernat. *r*)

T. 2. p. 441. *sortitae sunt, non nomina quidem proprie*] *Sortiri*, pro *nancisci*, non est melioris aetatis.

T. 2. p. 450. *verator, aut coniector*] *Verator*, suspectum vocabulum.

---

*p*) V. praef. ad Muret. et Cl. *Wyttenb.* in vita Ruhnken. p. 230. *B.*

*q*) V. *Ruhnk.* ad Terent. Andr. I, 1, 34. *F.*

*r*) V. *Nolten.* p. 41. sq. *F.*

T. 2. p. 466. *ad summum in ecclesia episcoporum munus promoverentur*] Sciopp. Rhet. Exercit. p. 17. tanquam novum loquendi genus reprehendit; *ad episcopi munus promoveri.* Certe ante Plinium et Suetonium nemo sic locutus reperitur. *s*)

T. 2. p. 483. *Subiungam unum item locum*] *Subiungere*, pro *addere*, non est Ciceronianum. Vide Sciopp. de Stil. Histor. p. 160.

T. 2. p. 487. *Id num temere, an secus iudicem*] Hoc jure reprehendit Vavassor de vi et usu verb. p. 172. Dicendum erat, *recte, an secus.*

T. 2. p. 527. *qui non omnia tibi successa cupiat*] Soloecum loquendi genus, quod hausit e Ciceronis filii epistola ad Tironem, XVI, 21.

T. 2. p. 530. *Catilinam in eam vocem denique erupisse*] *Erumpere in vocem, prorumpere in verba*, cadente Latinitate dici coepit. Vide Cellar. Cur. Poster. p. 195.

T. 2. p. 577. *ad alias facultates, aut scientias*] Rectius scripsisset, *disciplinas.* Nam Ciceronis loca, de Or. I, 14. de Senect. 21. ubi *scientiae* sic dici videtur, aliter accipit Gesnerus Thesaur. L. L. Adde I. M. Heusingerum Observ. Antibarb. p. 428.

T. 2. p. 599. *absque elegantia*] *absque*, pro *sine*, soli Comici dicunt, non Cicero, Caesar, Livius, etc. Vide Vorstium de Latinit. merito suspect. p. 78. Legitur quidem bis terve apud Ciceronem in vulgaribus libris. Sed ibi e MSS. *sine* reponendum esse, docet Fr. Oudendorp. ad Cic. de Inv. I. 36. *t*)

T. 2. p. 637. *impatibilia*] *impatibilis* non bar-

---

*s*) V. *Nolten.* p. 1675. *F. A. Wolf* ad Cic. orr. IV. p. 158. *F.*

*t*) V. *Nolten.* p. 784. et 1244. *Ruhnk.* ad Terent. Hecyr. IV, 2, 25. *Lindem.* ad Plaut. Captiv. III, 5, 96. *F.*

bara vox est, sed Ciceronis de Fin. II, 17. ubi vide Davisium.

T. 2. p. 653. *pauciores hactenus, quam vellem, exstiterunt*] *Hactenus* de loco, vel re, dicitur, non de tempore. Vide Cellar. Cur. Poster. p. 362. *u*)

T. 2. p. 680. *familia numerosissima*] *numerosus*, pro *multus* non dixit melior aetas in oratione solu[illegible]

T. 2. p. 680. *mille drachmarum mutuo accepisse*] Imo, *mutuum*. Veteres enim dicebant, *pecuniam mutuam sumere*, vel *accipere*, non *mutuo*. Vide Gronov. de Pec. Vet. III, 1. *v*)

T. 2. p. 693. *gravi et cordata oratione*] *cordata oratio*, vereor, ut Latine dicatur. *w*)

T. 2. p. 701. *extrario, quam vocem ego quidem Latinam non puto*] Latinam esse, ostendimus ad Rutil. Lup. I, p. 43.

T. 2. p. 726. *versum paene totum usurpavit Lucretius, inquiens*] *inquit* non ponitur, nisi post unum alterumve verbum. *x*)

T. 2. p. 739. *par pro pari redditurum*] Muretus deceptus est prava lectione Terentii Eun. III, 1. 55. *par pro pari referto*. ubi meliores libri habent, *par pari referto*. Vide Bentlejum.

T. 2. p. 742. *an quod parum latus esset, ar quod intimus*] Duplex *an*, pro *utrum*, *an*, non usitatum est veteribus.

T. 2. p. 803. *asserit*] *Asserit*, pro *dicit*, *affir*-

---

*u*) Conf. *Bremi* ad Nepot. Miltiad. V, 5. *Nolten*. p. 971 sq. *Mahn*. in Epp. Socr. Philom. p. 179 et 223. *F*.

*v*) V. *Nolten*. p. 1581. sq. *F*.

*w*) Falso enim putatur dici de *forti*. V. *Nolten*. p. 480. *F*.

*x*) Cf. *Heusingeri* monita Obss. Antib. p. 471. *B*.

*mat*, minus latinum esse docet Sciopp. de Stil. Hist. p. 194. *y*)

T. 2. p. 813. *huius poëmatis veluti scopus*] Melius est Latinum *consilium*, vel *propositum*.

T. 2. p. 888. *regiones dissitas*] *Dissitas*, pro *disiuntas*, barbarum est. Vide Sciopp. de Stil. Hist. p. 186, et Cellar. Cur. Post. p. 215. *z*)

T. 2. p. 889. *id propterea*] Pleonasmum *id propterea*, hausit ex Terent. Andr. II, 5. 3. *id propterea nunc hunc venientem sequor*. Sed ille versus adulterinus est, Bentleio iudice.

T. 2. p. 892. *absurditatem*] *Absurditas*, barbarum vocabulum. *a*)

T. 2. p. 924. *pertinebant*] Apud semibarbaros, qui nunc latine scribunt, frequens est, *haec ad me pertinent*, pro *haec mea sunt*. Veteres aliter loqui docet Vossius de Vitiis Serm. VIII, p. 399. *b*)

T. 2. p. 924. *anteriorem — — lectuli partem*] *Anterior*, vox cadentis Latinitatis. Vide Cellar. Cur. Post. p. 155. *c*)

T. 2. p. 936. (*virtus*) *quae foras patet*] Rectius scripsisset, quae *foras spectat*, ut Cicero, quem imitatur, apud Non. Marcell. p. 373. *Iustitia foras spectat, et projecta tota est, atque eminet*. Est autem in his verbis imitatio alterius loci Ciceroniani ap. Nonium p. 299. *Quae virtus praeter ceteras totam se ad alienas utilitates porrigit, atque explicat*. Mox illa, *ut in te laudando* etc. expressa sunt ex his Cice-

---

*y*) V. *Nolten*. p. 796. *Davis*. ad Cic. Acad. I, 13. *F*.

*z*) V. *Nolten*. p. 1412. *F*.

*a*) V. *Nolten*. p. 404. *F*.

*b*) V. *Nolten*. p. 1646. *F*.

*c*) V. *Nolten*. p. 822 sq. et 1396. *F*.

ronis ad Div. V. 12. *Neque ego sum ita demens, ut me sempiternae gloriae per eum commendari velim, qui non ipse quoque in me commendando propriam ingenii gloriam consequatur.*

T. 2. p. 967. *deprehensi sunt, qui*] *Deprehensi* sunt minus proprie, pro, *reperti* sunt.

T. 2. p. 971. *minimo animalculo*] *Animalculum*, forma incognita veteribus. *d*)

T. 2. p. 991. *naturalis pater, an Latine satis dicatur, subdubito*] Latinum esse, docet Gronov. ad Liv. Epit. LI.

T. 3. p. 26. *duplicem huius nominis acceptionem*] *Acceptionem* nominis, pro *significatione*, dubito, an idoneus scriptor dixerit. In Siculo Flacco p. 18 ita capit W. Goesius.

T. 3. p. 39. *oscitantia librariorum*] *Oscitantia* vocabulum Latinis haud usitatum. *e*)

T. 3. p. 43. *Eant nunc, qui negant, multum huic homini* [Lambino] *debere Ciceronem*] Vide, livor et odium quantam caliginem hominum animis offundant. Nostra aetate qui hac de re judicare poterant, Facciolatus et Ernestus, non solum Lambinianam Ciceronis editionem unice probarunt, sed praeterea sic statuerunt, doctam et solertem Lambini audaciam plus, quam aliorum inertem modestiam, Ciceroni profuisse.

T. 3. p. 45. *sursum versum aut alias variato ordine*] *Alias* apud bonos scriptores pro *alio tempore* dicitur, non pro *alio modo*, vel *aliter*.

T. 3. p. 65. *esui ac bibitui*] Substantivum *bibitus* inauditum.

---

*d*) V. *Nolten.* p. 424. *F.*

*e*) V. *Wolf* Anal. T. 1. p. 489. *Nolten.* p. 643. *F.*

T. 3. p. 189. *luce meridiana clarius*] Veteres in hac formula *meridiana* omittunt.

T. 3. p. 198. *laetiorem adhuc explicationem desiderari*] *Adhuc f*) cum comparativo Senecae aetas jungebat, non Ciceronis.

T. 3. p. 208. *affirmationem aut negantiam*] *Negantia* pro *negatione* semel legitur apud Cicer. Top. 14. Sed suspectus locus est.

T. 3. p. 241. *a rectitudine g*) *abduceremur*] Sic edit. Ingolst. Sed scribendum, *a recto itinere.*

T. 3. p. 259. *se conficere, atque convertere*] Forte scripsit, *convellere.*

T. 3. p. 262. *nec illa quidem*] Rectius, *ne illa quidem. h*)

T. 3. p. 271. *quanquam circa illas quoque vide exemplum*] *circa* hac potestate, non est aetatis optimae.

T. 3. p. 481. *virgines nuptui tradi debent*] Imo, *nuptum.* Vide Drakenborch. ad Liv. I, 49. *i*)

T. 3. p. 489. *quae sunt illis contraria*] *contraria* cum Cicerone appello, quae barbari *opposita.*

T. 3. p. 538. *mutuo sumunt*] Rectius *mutuum* scripsisset. Vide Gronov. de Pec. Vet. III, 1. p. 114.

T. 3. p. 544. *ei fidem habendam negat*] Bene, *fidem habere.* In notis ad Catull. T. II, p. 847 dixit, *fidem adhibere,* quod barbarae aetatis est. Vide Sciopp. de Stil. Hist. p. 84, et Drakenb. ad Liv. XXII 1. *k*)

---

*f*) V. *Nolten.* p. 1274. *Mahn.* Epicr. in Vitis meis. T. I. p. 241. *F.*

*g*) V. *Nolten.* p. 424. et 704. *F.*

*h*) Conf. *Gernhard.* ad Cic. Cat. maj. 9. p. 50. sq. *F.*

*i*) *Ruhnk.* ad Terent. Andr. II, 11, 1. *F.*

*k*) V. *Nolten.* p. 1273. et *Ruhnk.* ad Terent. Andr. III, 4, 7. *F.*

T. 3. p. 634. *quiete pacificeque vivatur*] *Pacifice*, vox nullius auctoritatis. *l*)

T. 3. p. 649. *infinite, atque interminate*] Hoc adverbio nemo Latinorum usus est.

T. 3. p. 652. *cui prolixa coma sit*] Muretum decepit prava Lectio Terentii Heaut. II. 3. 49. *capillus prolixus*. ubi meliores libri recte habent: *capillus promissus*. Vide Bentlei. *m*)

T. 3. p. 860. *extreme senex*] Forte scripsit *extrema senectute*. *Extreme* quidem non est forma Latina.

T. 4. p. 9. *Quae ex usu erant, referrent*] Latinitas postulat *ferre ad populum, referre ad Senatum*. Nec moveor exemplis, quae pro *referre ad populum* attulit Ernestus Clav. Cicer. V. Referre. Mox etiam Muretus minus proprie scripsit, *populus leges ferebat*, pro *iubebat*.

T. 4. p. 193. *Sequioris notae*] *Sequior*, cadentis Latinitatis vocabulum. In promptu erat *deterioris*.

T. 4. p. 593. *Qui hactenus interpretes exstitissent*] Rectius *adhuc*. *Hactenus* de loco, *adhuc* de tempore dicitur.

T. 4. p. 599. *sperare non datur*] Sic poëtae loquuntur, non Cicero, aut eius aequales: nisi forte sic accipias in Cicerone de orat. II, 25.

T. 4. p. 609. *in sententia quid reprehendam, non habeo*] Qui error Mureto cum multis, etiam Latine doctissimis, communis est. Nunc, post Ernesti hac de re disputationem in praefat. ad Ciceronem, nemini dubium esse potest, quin scribendum sit: *in sententia quod reprehendam* etc. *n*) *E praef.* T. IV. p. IX.

---

*l*) V. *Nolten.* p. 643. *F.*

*m*) V. *Nolten.* p. 687. *F.*

*n*) V. *Heindorf.* ad Cic. N. D. III, 25. p. 347. *Matth.* Cic. or. p. Rosc. Am. c. 15. p. 22. *F.*

T. 4. p. 610. *emendare et describere*] A Mureti manu haud dubie est *rescribere*.

T. 4. p. 613. *Iapetoniadae tundere sueta iecur*] Errat cum aliis in huius nominis forma. *Iapetionidae* scribendum esse, docet Io. Schraderus Emend. Cap. 22. p. 221.

---

# PRAEFATIO

AD

# IOANNIS RICHEII

VINDICIAS PRAETORIS ROMANI ET IURIS HONORARII. *)

---

## LECTORI

S.

Magna semper acquitatis laude Jus Praetorium floruit. Cum enim Jus civile severum ac praecisum esset, totumque subtili ratione, verborumque nativa proprietate constaret: Praetor Legis verba, si severiora fuerint, acquitate leniebat; si angustiora, benigna interpretatione extendebat; si denique subtiliora, plus utilitati communi, quam religioni verborum, vetustatisque superstitioni tribuebat. Quae omnia pulchre complexus Papinianus *l.* 7. §. 1. *D. de just. et jur. Jus,* inquit, *Praetorium est, quod Praetores introduxerunt* ADIVVANDI, *vel* SVPPLENDI, *vel* CORRIGENDI *Juris Civilis gratia.*

---

*) Praefationem hanc Ruhnkénium auctorem habere, monuit nos Cl. Mahnius: et ipse Ruhnk. testatur in Ep. ad Ritter. d. 9. Jul. 1748. *B.*

Quae cum ita sint, nescio profecto, mirerne, an indigner, quosdam e ICtis nostris eo dementiae processisse, ut, quod Praetor Iuris Civilis mitigandi causa sapienter invenerat, puta Exceptiones, Restitutiones, Fictiones, cet. tanquam artes nefarias, quibus jus Civile eluderetur, traducere haud dubitarint. Mirifici sane mortales, qui, quod Praetori summae laudi ducendum est, id in ejus contumeliam vertunt. At nollem horum in numero illustre nomen suum professus esset Vir praestantissimus, et de Iurisprudentia omni praeclare meritus, Io. Gottl. Heineccius; quem, ut saepe alias, praeceptoris sui, Christ. Thomasii auctoritas in foedissimi hujus erroris societatem abripuit. Primum in *Antiquit Iur. Civil. Lib.* I. *Tit.* 11. §. 24. gravissimam hanc dicam Praetori scripsit, breviter ille quidem, ut scribendi insitutum ferebat, sed tamen tam impudenter, ut sanctissimum Romani Populi Magistratum legum eversorem dicere haud vereretur. Hoc forte bilem movit Iuveni ad summa omnia tendenti, sed literis melioribus praematuro fato erepto, IOANNI RICHEIO, Hamburgensi, qui, postquam domi a Patre suo, suavissimi ingenii Viro, et optimo illo I. A. Fabricio liberales artes hauserat, tunc Lipsiae, V. Cl. Gottl. Cortio duce, ad interiorem civilis sapientiae cognitionem adspirabat. Scripsit igitur Anno 1730. Dissertationem, qua Praetorem Romanum et jus Honorarium a falsissimis, quibus petebatur; criminationibus liberaret. Hanc quicunque, partium studio seposito, legerit, nae is accerrimum Richeji judicium cum pari conjunctum doctrina admirabitur. Iam etsi omnibus ita adversariorum sententia convulsa et labefactata videretur, ut negarent quemquam in posterum futurum, qui obloqui auderet: Heineccius tamen tantum abfuit, ut errorem semel susceptum dimitteret, ut potius in *Historia Jur. Civil. Lib.* I, §. 68, 69, 70.

denuo clamores adversus Praetorem tolleret. Ipsas Richeji Vindicias cum refutare non posset, indignis conviciis proscidit. Tribuit autem Dissertationem non Auctori, Richejo, sed Cortio, quo Praeside prodierat, forte privato, quo Cortium prosequebatur, odio obsecutus. At novas hasce calumnias nuper mascule repulit V. Cl. et Germanorum, qui haec sacra tractant, facile Princeps, Jo. Dan. Ritterus in luculento Commentario, quo Heineccii Historiam Jur. Civil. instruxit, *Lib.* I. §. 69 et 70. Hujus igitur animadversiones si cum Richeji aureolo libello conjunxeris, toties jactatae in Praetorem et jus honorarium criminationes evanescent. Cum vero Vindiciarum nulla in his regionibus copia esset; et multi tamen earum legendarum studio flagrarent; eas, ut merentur, nitidioribus typis et commodiori forma recudendas curavi. Tu, Lector, fruere, et vale.

— Ao. MDCCXLVIII.

---

# SPECIMEN
# ANNOTATIONIS
## IN PLATONIS SCHOLIASTAM.

---

*ΕΙΣ ΤΟΝ ΕΥΘΥΦΡΟΝΑ.* *)

*Δίκην — γραφὴν*] *Δίκη, ἡ ὑπὲρ ἰδιωτικῶν ἀδικημάτων κρίσις· Γραφὴ, ἡ ὑπὲρ δημοσίων.*

*Ἀγνὼς*] *Τοῦτ' ἐστιν, ἄγνωστος.*

---

*) Hoc fragmentum receptum est ab *Imm. Bekkero* et *Stallbaumio.* In *Seebodii* Archiv d. Philol. et Pädag. Vol. I. P. 3. p. 589. a. 1824. *Kleinius* edidit etiam decimam annotationem ex inchoato opere desumtam, postea casu nescitur an consilio omissam: „*Αὐτοσχεδιάζοντα*] Frequens verbum ap. Plat. cuius loca Piers. ad Moer. Att. p. 46. indicavit. Phaedr. p. 340. F. *Γελοῖος ἔσομαι παρ' ἀγαθὸν ποιητὴν ἰδιώτης αὐτοσχεδιάζων περὶ τῶν αὐτῶν.* F.

*Πιτθεύς*] *Πιτθὶς, δῆμος Αἰγηΐδος Ἀθήνησιν, ἐξ οὗ οὗτος.*

*Ἀτεχνῶς*] *παντελῶς, ἁπλῶς, ἢ καθάπαξ, ἰσχυρῶς, ἢ τελέως. οἱ δὲ, ἐν ἴσῳ τῷ ὄντι, καὶ ἀληθείᾳ. οἱ δὲ, δηλοῦν τὸ παράπαν, καὶ καθόλου, κατ' ἀλήθειαν. Ἄλλως. Ἀτεχνῶς. παντελῶς, ἢ ἀντὶ τοῦ λίαν, περισπωμένως· βαρυτόνως δὲ, τὸ ἀπείρως.*

*Ἀφ' ἑστίας*] *ἐπὶ τῶν ἐν δυνάμει γινομένων, καὶ*

*Πιτθὶς, δῆμος Αἰγηΐδος*] *Πιτθὶς* in glossae capite, ubi Mss. Medic. et Regii male *Πιτθεὺς* habent, ex Vindob. et August. scripsimus, secuti etiam auctoritatem Harpocrationis in v. ubi vide Valesium. Non *Πιτθίδα*, sed *Πίθον*, hunc populum vocat Stephan. Byz. unde est *Πιθεὺς* apud eundem, et in marmore Sponiano Itin. T. III. p. 119. Frequentior tamen scriptura est *Πιτθεύς*, ut in marmore apud Corsin. Fast. Att. T. I. p. 170. et in Isaei Oratione de Meneclis hered. quam nuper edidit Th. Tyrwhittus, p. 14. in cujus Orat. de Ciron. hered. p. 70. Editores vitiosum *Πισέως* pro *Πιτθέως* reliquerunt. Eandem formam in suo Platonis exemplo reperit Theophilus Corydall. ap. Fabricium B. Gr. Vol. XIII. p. 720. Adde Taylorum ad Demosth. c. Mid. p. 181. Sed hoc leve est. Illud potius notandum, populum Pittheum, quem Scholiastes noster ad tribum Aegeidem refert, ab Harpocratione, Stephano, et lapidibus literatis, quos modo laudavimus, ad Cecropidem referri. Ceterum Corsinus l. c. p. 191. scribens, hunc populum a Plutarcho in Theseo commemorari, nimium festinavit. Is Pittheum, Thesei avum, commemorat, non pagum Atticum.

*Ἀτεχνῶς.*] Atticista Ms. in Bibl. Medicea: *Ἀτέχνως· ἁπλάστως, ἀδόλως. Τέχνη γὰρ, ὁ δόλος. Ἀτεχνῶς, ὡς βεβαίως,* (leg. *σαφῶς, βεβαίως*) *ἀσφαλῶς, φανερῶς, ἢ ἀληθῶς, τῷ ὄντι, ἁπλῶς, χωρὶς πανουργίας, ἢ τελείως, παντελῶς, καθάπαξ, καθόλου.* Similia sunt apud Etymol. M. p. 162. 54. Suidas hunc vocis usum Platonis auctoritate confirmat; cujus exempla ad Timaeum attulimus, p. 52.

*Ἀφ' ἑστίας ἄρχεσθαι.*] Hunc Platonis locum laudat Scholiast.

πρώτους ἀδικούντων τοὺς οἰκείους· ἐπεὶ ἔθος ἦν τῇ Ἑστίᾳ πρώτῃ τῶν ἄλλων θεῶν θύειν. φέρεται δέ τις καὶ περὶ αὐτῆς μῦθος τοιοῦτος· μετὰ γὰρ τὸ καταλυθῆναι τὴν τῶν Τιτάνων ἀρχὴν, φασὶ, τὸν Δία τὴν βασιλείαν παραλαβόντα ἐπιτρέψαι τῇ Ἑστίᾳ λαβεῖν ὅ, τι ἂν βούλοιτο· τὴν δὲ τὴν παρθενίαν αἰτήσασθαι, καὶ τὰς ἀπαρχὰς παρὰ τῶν ἀνθρώπων. Ἄλλως. Ἀφ' ἑστίας. παροιμία δέ ἐστιν. μετήνεκται δὲ ἀπὸ τῶν περὶ τὰ ἱερὰ δρωμένων. ἔθος γὰρ ἦν τῇ Ἑστίᾳ τὰς ἀπαρχὰς ποιεῖσθαι. ἢ ἀφ' ἑστίας, ἤτοι ἀπὸ τῶν οἰκειοτάτων. ἑστία γὰρ, ἡ οἰκία.

Ἤπου] ἴσως, σχεδόν.

Πελάτης] ὁ ἀντιστρωφῶν, καὶ ὑπηρετῶν, καὶ προσπελάζων, ἀπὸ τοῦ πέλας, ἤτοι ἐγγὺς, ἐκαλεῖτο ὁ δι' ἔνδειαν προσιών· μίσθιος δὲ, ὁ ὑπηρετῶν. Ἄλλως. Πελάται εἰσὶν, οἱ παρὰ τοῖς πλησίον ἐργαζόμενοι, καὶ θῆτες. οἱ αὐτοὶ δὲ καὶ Ἑκτήμοροι, ἐπεὶ τῷ ἕκτῳ μέρει τῶν καρπῶν εἰργάζοντο τὴν γῆν.

Aristoph. ad Vesp. 842. sic corrigendus e Scholiis nostris: Μετὰ γὰρ τὸ καταλυθῆναι τὴν τῶν Τιτάνων ἀρχὴν, τὸν Δία διαδεξάμενον τὴν βασιλείαν etc. Proverbium, ἀφ' ἑστίας ἄρχεσθαι, satis illustratum a Casaubono ad Strabon. I. p. 18. ut alios taceamus, bis restituimus Philoni Judaeo T. I. p. 674. T. II. p. 561. ubi vulgo legitur, ἀφ' ἱερᾶς ἄρχεσθαι. Vera lectio conservata est T. II. p. 534. 549. Mangejum, qui utrumque recte dici putat, nihil moramur.

Τῇ Ἑστίᾳ πρώτῃ — θύειν.] Plato Cratylo p. 264. G. τὸ γὰρ πρὸ πάντων θεῶν τῇ Ἑστίᾳ πρώτῃ προθύειν.

Παραλαβόντα] Ms. Reg. C. διαδεξάμενον, ut Schol. Aristoph. l. c.

Ἄλλως.] Hoc posterius Scholion sumtum est vel ex Zenobio I. 40. vel ex Hesychio.

Πελάτης. ὁ ἀντιστρωφῶν] Lege ex Timaeo: Πελ. ὁ ἀντὶ τροφῶν ὑπηρετῶν. quo etiam ducit Cod. Aug. scriptura, ἀντιστροφῶν.

Ἑκτήμοροι.] Pollux e certa emendatione Jungermanni IV. 166. Ἑκτήμοροι, οἱ πελάται παρὰ τοῖς Ἀττικοῖς. Hesychius:

Ἐξηγητοῦ] τοῦ τοὺς νόμους ἐξηγουμένου.

Ἑκτήμοροι. οἱ ἕκτῳ μέρει τὴν γῆν γεωργοῦντες. Iidem voce antiqua Ἐπίμορτοι dicuntur. Hesychius: Ἐπίμορτος, ὁ μέρει ἐργαζόμενος. Μορτὴ γὰρ, τὸ μέρος ἐκαλεῖτο. καὶ Ἑκτήμοροι, οἱ τὸ ἕκτον τελοῦντες. ubi praeclare Hemsterhusius. Videri possit post ἐπεὶ, praepositio ἐπὶ excidisse, ἐπεὶ ἐπὶ τῷ ἕκτῳ, quam etiam Hemsterh. in Hesychii glossa proxime laudata restitui volebat. Sed deest etiam in Hesychio v. Ἑκτήμοροι, et in Photii Lexico Ms. ubi hoc Scholion totidem verbis legitur. De vi praepositionis ἐπὶ cum Dativo, qua conditionem significat, diximus ad Xenophont. Memorab. Socr. II. p. 229.

Ἐξηγητοῦ.] De Exegetis Atticis copiose ad Timaeum disputavimus, p. 109.

— Editum Ao. MDCCCI.

---

# AD PLATONIS SCHOLIASTAM.

Ex adversariis mss.

Phaedon. p. 62, B:

Καὶ ὁ Κέβης — Ἴττω Ζεὺς, ἔφη, τῇ αὐτοῦ φωνῇ εἰπὼν] — τὸ δὲ Ἴττω ἐπιχωριάζοντός ἐστιν ἀντὶ ἴστω, τῇ βοιωτίᾳ διαλέκτῳ. [Ad hoc Scholion, teste Cl. Wyttenbachio Annot. p. 133, Ruhnkenius haec notavit: *B.*]

Valckenaerius ad Euripidis Phoeniss. 1671, p. 561. P. Petiti Miscell. Obs. III. 31. Hemsterhusius ad Hesychium T. II. p. 15. Olympiodorus in Phaedonem. Forsterus ad Platonis Phaedon. p. 366.

Theaetet. p. 153, D:

Ἄνω κάτω] Παροιμία. Ἄνω κάτω πάντα, ἐπὶ τῶν τὴν τάξιν μεταστρεφόντων. Μένανδρος Ἐγχειριδίῳ, καὶ ἐν Χήρᾳ·

Τὸ λεγόμενον τοῦτ' ἐστι, νῦν
Τἄνω κάτω, φασὶ, τὰ κάτω δ' ἄνω.

[Ad h. l. haec adscripserat Ruhnkenius, prodita a Cl. Bakio ad Cleomedis Cycl. Theor. p. 881: *B.*]

Alexis apud Diog. Laërt. III, 27. Bergler. ad Aristoph. p. 422 et 904. ubi dicitur pro *temere*. Eurip. Herc. 968. Bacch. 349. Phaedonis p. 390, C, 392, G, 399, G. Pol. VI, 479, A. Epin. 703, A. Bergler. ad Aristoph. p. 154. Hipp. p. 335, B, Lach. p. 253, A, Crat. p. 258, G. Gorg. 295, C, 300, A. 307. — Phaedr. p. 355, E, 358, A, Minoe p. 45, D, Phileb. p. 85, D, E. Theaet. p. 136, G. Ion. p. 148, B. Soph. p. 158, F. Prot. p. 212, C, 214, B. Hipparcho p. 2, F. G. Alc. II. p. 42, E. Epist. Socrat. p. 32. Themist. p. 30, 346. Synes. p. 196. Plat. Epinom. p. 701, D. Demosth. de Fals. Leg. p. 206. De Corona p. 331. Lucian. T. I. p. 137. Not. ad Terent. T. II. p. 929. Suid. in V. Hesych. in V. *μονονουχὶ*. Philo I. p. 298. Casaub. in Athen. p. 13 (Demosth. contr. Aristocr. p. 322.) ad Petron. p. 319. Seneca de Tranquill. p. 374. ad Herodot. p. 195. Abr. ad Aeschyl. Part. II. p. 94. ad Aristoph. Plut. p. 109. Seneca Ep. 44. Markland. Max. Tyr. p. 326. Aristid. Morelli p. 150. Celsus ap. Orig. p. 47. Stobaeus p. 276. Aristid. T. I. p. 226. Athenaeus p. 225, C, 336, E, 403, A.

Theaetet. p. 179, D:

*Διακρούοντα*] *Ἐκ μεταφορᾶς τῶν διακωδωνούντων τὰ κεράμια, εἰ ἀκέραιά εἰσιν.* [Teste Wyttenbachio ad Plutarch. p. 64, D, Ruhnkenius in Adversariis scripta reliquit haec: *B.*]

Schol. ad Nub. 317. ibique Kuster. Plutarch. T. II. p. 64. Corrig. Diog. Laërt. p. 330. *κομπεῖν* confirmat Eustath. ad Il. M. p. 896. Suid. v. *Κροῦσις*. Kust. ad Suid. T. III. p. 207 et 245. ad Hesych. I. p. 336. Phavor. qui sequens scholion conjungit. Themist. p. 299. ad Lucian. T. II. p. 842. Menag. ad Laërt. p. 112. Phi-

lebo p. 90, D. Phrynich. MS. v. *Περικεκρουμένος*. Tou ad Longin. p. 192.

[Alia verbo laudantur ibid. p. 93, D. 147, C. 1 A. et fortasse alibi. *B.*]

Phaedr. p. 241, C:

*Ὀστράκου μεταπεσόντος*] *Ὀστράκου περιστοφῆ, τῶν διὰ τάχους εἰς φυγὴν ὁρμώντων. κ. τ. λ.* [Ubi, la dante Cl. Wyttenbachio in Annot. ad Eunap. p. 2 haec notavit Ruhnkenius: *B.*]

Galen. T. III. p. 20: Scholiastes Hermogenis p. 16 Eunapius p. 141: Libanius Epistola 423: Diogenian p. 158: Apostolius p. 177. Olympiodorus in Gorgi p. .... Hermias Mss. p. 107. Marinus p. 36. Lucian T. I, p. 705. Dio p. 77, 175.

Phaedon. p. 11. ed. Leid. *a*)

*Πρὸς δύο.* Aristid. T. II. p. 102. Forster. ad Plato p. 384. Legg. XI.

*Δοῦρις.* Forsan in libro *περὶ ἀγώνων.* v. Suid. v *Σελίνου στέφ.* Synes. p. 64. A. Liban. de Vita sua 14. Zenob. p. 134. Apostol. p. 180. ubi corrupte *Δία* Sic et Suidas T. II. p. 728.

*Ἐλαίου. Ἐλάτου.* Apollod. p. 104. Ovid. Meta XII. 189.

*Ἐχεφυλλίδας.* Citat Steph. Byzantin. voce *Σφακτήρ* et in *Τρμήνη*, ubi pro nomine urbis habetur.

*Εὐρύτου.* De Euryto Burm. in Catal. Argon. voc. Actorides. Athen. p. 461. Bentlei. ad Horat. 86. Argum. Ranar. Aristoph. Schol. Pindar. p. 12 Apollod. p. 95. 123. 124. inprimis p. 129. 136. Ad Hygin. p. 87. 91. Verheyk. ad Anton. Liberal. p. 25

*Μολιονιδῶν. Μολιονίδων* al. Codd. Schol. ad Apollo

---

*a*) Hoc fragmentum annotationum Ruhnkenii ad Schol. Pla Phaed. p. 11. ed. Leid. protulit *P. Hofman Peerlkamp* i Bibl. Crit. Nov. Amst. a. 1826. T. II. p. 16. *F.*

Rhod. II. 1055. Hesych. T. II. p. 615. Casaub. in Athen. p. 117. Athen. p. 57. T. De Cteato Hesych I. Verheyk. ad Anton. p. 116. Eustath. ad II. Λ. p. 882. Ψ. 1321. Pausan. p. 144.

*Βαδὺ ὕδωρ.* Not. ad Hesych. T. I. p. 674. et Hemsterh. ad T. I. Pausan. in Eliac. p. 380. Orion. MSS. Maitt. de Dialect. p. 390.

*Διόδωρος δὲ καὶ Ἑλλάνικος. Ἡρόδοτος* Reg. C. Meerm. *Ἡρόδωρος* Toup. ad Theocrit. Schol. p. 219. Diodor. Sicul. T. I. p. 257.

---

## INSCRIPTIO SEPULCRALIS GENTIS DOUSAE,

quae in Tabula addita legitur, descripta est ex Monumento Sepulcrali, a. MDCCXII. posito in Aede Sacra pagi Nordovici, prope Lugdunum Batavorum. Eam partim *D. Ruhnkenium*, V. Cl., partim ipsius collegam eruditissimum *J. G. Te Waterum*, auctorem habere, ab hoc venerando sene, quem eandem ante aliquot annos publici juris fecisse in Historia Foederis Nobilium Belgarum Vol. IV. p. 337. recordabamur, accepimus. Ipsum adeo Ruhnkenii autographum, tremulâ manu scriptum, videndum nobis obtulit Vir Ampliss. Doctiss. idemque humanissimus *H. van Roijen*. Haec tantum, illustrandi gratia, addimus: primum, verba HAVETE. FELICISSIMAE. ANIMAE, urnae sepulcrali, Monumento superpositae, inscripta esse: tum, eo fere medio, literis omnium maximis, legi SACRUM MAJORIBUS: deinde, paulo infra, imaginem conspici JANI DOUSAE in marmore, circumscriptis, quae in Tabula sequuntur, JANUS. DOUSA. NORDOVIX. ANTE. OMNIA MUSAE: denique verba omnium postrema, ABSIT XXVII. JULII MDCCCX, peculiari ornamento incisa, et ipsa

de auctoris admonitione sic addita videntur, praesert cum rarius istud ABIIT, pro OBIIT, manifesto referat ad proxime praecedens ABITURUS. *B.*

---

Aliam ejusmodi inscriptionem a Ruhnkenio facta ut Santenii annotatio testatur, et in Diezii copiis bibli thecae regiae Berolinensis cod. 98. fol. 110. servatam m cum communicavit *Zumptius*. *F.*

AETERNAE. MEMORIAE.

ANNAE. MARIAE. BOREEL
QUAE. NUPTA. FRANCISCO. FAGEL
ORDINUM. BELGII. FOEDERATI. GRAPHIARIO
GENTEM. FAGELIAM. AD. PERPAUCOS. REDACT
STIRPE. SUBSIDIISQUE. AUXIT
ET. VITAE. INNOCENTIA. PRUDENTIA. MORUM
SUAVITATE. ARTIUM. PULCRARUM. SENSU
ET. SUORUM. ET. ALIENORUM. AMOREM. SIBI. CONCIL
CUM. ANNUM. AGENS. QUADRAGESIMUM. TERTI
D. XV. JUL. MDCCLXXXI. AD FONTES. PYRMONTAN
IMMATURA. MORTE. RAPTA. ESSET
HOC. MONIMENTUM. CONTRA. PIETATIS. VOTUM
POSUERUNT. QUINQUE. FILII. ET. DUAE. FILIA
NIHIL. DE. OPTIMA. MATRE. QUERENTES
NISI. QUOD. SE. TENELLA. OMNES. AETATE
ET. PATRE. JAM. ORBATOS. IN
SOLITUDINE. RELIQUIT

---

I A RCHAE
VRBDRI. ET
PRIM

rdine quidem, sed breviter referam. Vix in Ba-
liberalem illam ingeniorum altricem, perveneram

# EPISTOLAE
## AD IO. DAN. RITTERUM DATAE.

I.

*VIRO EXIMIO,*

IO. DAN. RITTERO

DAVID RUHNKENIUS S. P. D.

Quoties de Te, beneficiisque Tuis in me collatis cogito (cogito autem saepissime), toties mihi ipse succenseo, quod, Te haud salutato, e Saxonia discessi. Sed haec atque alia ineuntis adolescentiae vitia, cum jam praeclaris, ut mihi blandior, virtutibus sint emendata, non dicam Tu, quem ego longe omnium humanissimum aequissimumque cognovi, sed ne alii quidem rugosa mihi fronte exprobrabant. Tibi quidem, o Rittere suavissime, semper jucundum erit, ejusmodi discipulum finxisse, qui et gratum piumque se praebeat, et immortalem laudem Tuam aliarum etiam gentium eruditis enarret. Diu multumque dubitavi, compellaremne Te literis, an tacitus merita Tua, ut feci adhuc, in posterum quoque venerarer. Sed vicit tandem pietas pudorem.

Equidem fateor, hoc literarum commercium Tibi apud Vitembergenses nulli esse honori: at erit voluptati, et, nisi me omnia fallunt, alicui etiam emolumento. Quod si inde dedecus ad te perventurum putes, dissimules, quaeso, amicitiam nostram quasi postliminio restitutam. Cupio enim et ipse, nomen ut meum in istorum hominum animis extinguatur. Jam scopulum illum, ad quem ne adhaeresceret meus pudor verebar, praetervectus, quid mihi ex eo tempore, quo a Te discessi, obtigerit, ordine quidem, sed breviter referam. Vix in Bataviam, liberalem illam ingeniorum altricem, perveneram

cum ecce! celsi ingenii juvenis, Tuique inprimis studiosus, Gerardus Meermanus, mihi θεὸς ἐκ μηχανῆς appareret. Hic, postquam incredibile discendi studium, quo ardebam, animadvertisset, statim me studiis fratris sui minoris praefecit, ac, ne quid beneficiorum deesset, ita parentibus suis commendavit, ut ejus pater, vir illustris, quoad vixit, mihi patris loco fuerit, et mater etiam nunc matris loco sit. Cum Meermano igitur juniori tres fere annos in Academia Leidensi suavissime traduxi, ita quidem, ut et illi viam in literis praeirem, et magnam diei partem summorum virorum lectionibus, mihi ipse consulens, tribuerem. In jure civili mihi dux et auctor obtigit Gerlacus Scheltinga, doctus et acutus ICtus, in quo facile Schultingii discipulum agnoscas; in historia et antiquitate Romana Franciscus Oudendorpius: in Graecis literis, deliciis nunc meis, Ioannes Alberti, inprimisque δαιμόνιος ille Hemsterhusius. Hunc virum docentem audivisse, et cognovisse familiarius, in maxima felicitatis meae parte pono. Hic enim mente supra humanam sortem evecta, et immensa reconditae eruditionis copia Leidensi Academiae Scaligerum, Salmasium, et quidquid alias praeclari habuit, solus reddit. Triennio prope hic transacto, lautissimis conditionibus propositis, me in contubernium suum adscivit Vir praestantissimus, Jac. Philippus D'Orvillius, in quo adhuc, Musis meis laetantibus, vivo. Interim tamen, indulgente hoc Maecenate, fere singulis hebdomadibus Amstelodamo Leidam excurro: quo me non solum lux Academiae, sed bibliotheca etiam publica, antiquis membranis mirum quantum referta, invitat. Ex hoc thesauro potiora Constantino Harmenopulo ornamenta depromsi; cujus ego πρόχειρον νόμων cum plurimis MSS. et Basilicis, horumque synopsi collatum indies magis ac magis perpolio, ut aliquando digni quid et Tua, mi Rittere, et ceterorum do-

ctorum disciplina edere possim. Multae mihi praeterea in mundo sunt in graecos latinosque auctores animadversiones; sed in nullum plures, quam in illa toties mihi a Te commendata Cyrilli et Philoxeni Glossaria, quibus ego partim ingenio, partim MSS. Glossariorum ope, amplius sexcentis locis, feliciter medicinam feci. Sed satis de vitae, studiorumque meorum ratione. Nam omnia si persequi vellem, charta me deficeret. Tuis scriptis, mi Rittere, scias, nusquam terrarum dignius, quam hic, statui pretium. Ac licet Batavi nostri Te jam antea summis laudibus tulerint, nuper tamen, edito ultimo Cod. Theodos. volumine, insigne incrementum cepit fama Tua. In quo opere cum alii alia mirantur, ego nihil tantopere miror, quam εὐστοχίαν illam criticam, qua locis depositis ac prope desperatis Novellarum Theodosii, Valentiniani etc. et lucem et medelam attulisti. Quantisne laudibus Observationum libri ornabuntur, quorum desiderium vix ferunt harum literarum studiosi? Omnino sunt Batavi nostri acerrimi ingeniorum censores. Quo fit, ut ex immensa ista Germanorum eruditorum turba vix novem decemve aliquo numero ab iis habeantur. Horum in censum, cum Tu, χαριέστατε Rittere, inprimis referaris, merito Tibi de tanta felicitate gratulamur. Nullum hominum genus magis detestantur, quam impudentes istos compilatores, vel etiam eos, qui, etsi aliqua tradunt haud contemnenda, tamen, ut liber fiat, ipsis dupondiis nota inculcant. Dii boni! quoties illa Germaniae lumina (sic enim a suis celebrantur) et ego, et homines amicissimi, Wesselingius, Alberti, Wetstenius, alii, ridemus. Cui risui utinam et Tibi interesse liceret. Novimus enim, quantum Tibi supra cives Tuos sapias, animoque divinitus excitato agites altiora. Cum igitur Tu, Vir egregie, (huc enim revertor) jam illustre nomen apud Belgas nostros consecutus sis, noli in po-

sterum concedere, ut scripta Tua limatissima Lipsiensibus typis foedentur. Et nomen Tuum, et qualiscunque in hac regione auctoritas mea cuivis, quod paras, operi excudendo ejusmodi Tibi bibliopolam parabunt, qui et pro opera impensa liberaliter Tibi satisfaciat, et opus ipsum splendidis typis exscribendum curet. Historia certe juris ut nitidissime et accuratissime excudatur, non Verbeekii solum, sed et ego operam sumus daturi. Neque ipse iis diebus, quibus Leidae versor, emendationem defugiam. Gestit animus cum totum opus videre, tum illam inprimis partem, qua juris Graeci historia explicatur: quam Te multo accuratius tradere et posse et velle scio. Latent etiam in Adversariis meis, quibus Suaresii Notitia non mediocriter et suppleri et emendari possit.

Meministi fortasse, Optime Rittere, me Tibi adhuc Minerval debere. Hoc debito ut me exsolvam, constitui ad Te mittere quosdam libros recens hic editos, edendosve, qui ad artem nostram pertinere videantur. Invenies igitur Lipsiae proximis nundinis a me transmissa

1) Barnabae Brissonii Opera Minora Omnia, cum animadversionibus Alb. Dieter. Trekellii fol., quae cum maxime prelum exercent. (Tua hic de Cognitoribus disputatio eximie laudatur.)
2) Ejusdem Trekellii Antiquitatum Selectarum Pars prima, in qua agitur de Jure Civitatis, Quiritium, Latii, Italici, Coloniarum et Municipiorum. Hagae Comitum 1746. 8. Vellem hic liber Tibi ad manus fuisset, antequam notas in Heineccii Historiam Juris perfecisses. Multa Auctor nova tradit, nonnulla tamen arguta magis, quam vera.
3) Gerardi Meermani Animadversiones criticae in Caji Institutiones.
4) Matthiae Roeveri, viri longe doctissimi, Diss. ad

loca quaedam Juris civilis depravata. Leidae 1739 4. Saepius hic emendantur Novellae Valentiniani, Majoriani, etc.

5) Ej. Roeveri Fragmentum veteris ICti de juris Speciebus et Manumissionibus Graece et Latine, itemque Emendationes in Glossas Nomicas. Leidae 1739. 8.

Quodsi forte unus et alter horum librorum Tibi jam obtigerit, velim me certiorem facias, ut alius in ejus locum substitui possit. Alio tempore Tibi dono dabo, aut potius ut debitum solvam, novam Theophili editionem, Fabrotiana infinitis modis meliorem, quam nuper prelo subjecit ICtus Graece doctissimus, Otto Guilielmus Reitzius; qui etiam aliquot meas conjecturas adjiciet.

Atque hic scribendi finem facerem, nisi Te scire vellem, quam me nunc puderet Diss. de Galla Placidia Aug. non quod Tuas Tu partes minus bene egeris (omnia enim docte et luculenter exposuisti), sed quod ego praeclare a Te inventa Bergeriano i. e. declamatorum more ita calamistris inussi, ut ejus, quod in historica narratione naturale esse debet, nec vola nec vestigium supersit. Quare, si quando illam una cum aliis edere constitueris, quod Tuum est, Tibi vindica, nomen meum dele, habitum orationis muta, et Tuo naturali nec affectato scribendi genere omnia exorna. Sed iterum aliud succurrit. Fortasse brevi D'Orvillii nostri sumtibus iter suscipiam in exteras regiones, inde codd. MSS. et variis lectionibus onustus rediturus. Si quid in Bibliothecis, quod ad Cod. Theod. pertinet, offendero, illud omne Tuum erit. Exstant in ditissima Bibliotheca Leidensi duo Codd. membranacei Summarii Corporis Alariciani, alter quondam Alexandri Petavii longe vetutissimus, alter Isaaci Vossii paulo recentior. Utrumque, si jusseris, cum edito committam. Nunc tandem desino; quamquam plura, quae Tua scire refert, sunt praetermittenda. Vale

igitur, Virorum, quos novi, doctissime et integerrime, ac pientissimum, nec indignum fortasse Te discipulum, ut quondam amasti, ama. Scribeb. Lugduni Batavorum, ex aedibus fratrum Verbeekiorum. d. 29. Jul. 1747.

Fratres Verbeekii plurimam Tibi impertiunt salutem, nec dubitant, quin jam acceperis ab Hulunio Advocato Lipsiensi, cum Jurispr. R. et A. tum praemium 70. thal. Literas ad me tuas velim iis, quos ad Verbeekios mittis, includas. Nobiliss. Uffenbachius *c*) (quod paene scribenti exciderat) postquam hic Juri publico et privato diligentem operam navasset, in Galliam profectus est, indeque in patriam redibit. Ego vero de mea patria repetenda nunquam cogito. Jam enim *λωτὸν ἔφαγον*.

---

## II.

## *VIRO INGENII ET DOCTRINAE LAUDE FLORENTISSIMO,*

## IO. DAN. RITTERO

## DAVID RUHNKENIUS S. P. D.

Ita mihi prospera quaevis evenire velim, ut literae Tuae incredibili animum gaudio perfuderunt. Macte Tuo hoc erga me amore, Tibique certo persuadeas, me nullis unquam, quae ab amico proficisci possunt, officiis defuturum. Libellos, quos nuper designavi, jam per Verbeekios fratres ad Weidmanniam transferendos curavi. His adjungere visum fuit Coluthum de raptu Helenae, quem poëta et Criticus eximius, Io. Dan. Lennepius, me etiam

---

*c*) Fortasse hic fuit ille *juvenis quidam nobilis ac dives*, quo comite Ruhnkenium in Bataviam profectum scribit Cl. Wyttenbachius in ipsius Vita p. 19. *B.*

paucula suppeditante, nuperrime publici juris fecit. Codices legis Romanae, simulatque plus otii fuero nactus, cum edito exemplari committam. Cl. Burmannus eos hic extare vel nescivit, vel, ne sibi conferendi labor imperaretur, scire se dissimulavit. Utroque Codice Duumviros egregios, Roeverum et Meermanum, usos esse deprehendes. De Harmenopuli Cod. Florentino bene mones. Verum etiamsi neque D'Orvillius, neque ego sumtibus parceremus, tamen, quod desideramus, vix videmur posse obtinere. Nam Itali hodierni Graecarum literarum, et prope est, ut dicam, omnis humanitatis adeo sunt expertes, ut vix unum noverim, cui sine periculo conferendi negotium committam. Hi cum nuper, D'Orvillii nostri rogatu, Coluthum cum Cod. Ambrosiano conferrent, rem tam praeclare, si DIS placet, gesserunt, ut ingeniosissimo Lennepio identidem in notis dicendum fuerit: *modo collatio sit recte facta.* Saepe nunc rideo Bergeri judicium, qui jejunis istis et famelicis Italis primas in literis deferre solebat. Sed forte jam aliter judicat, postquam maximum, quem jactabat, Heroa, Muratorium, in puerorum ordinem redactum videt. Verum etsi nulla alia Harmenopulo, quam quae jam ad manus sunt, accederent ornamenta, esset tamen, de quo sibi impensius gratularetur. Namque secundis avibus mihi obtigerunt Viri graece ad miraculum docti, et Cujaciana disciplina perpoliti, Gerardi Falkenburgii Conjecturae et Collationes cum duobus Codd. Venetiis factae, eumque in finem conscriptae, ut cum ipso Harmenopulo luce publica donarentur: id quod didici ex Leunclavii ad doctissimum civem Tuum, Thomam Rudingerum, Epistola Novellis Graecis post Synops. *Βασιλικῶν* praemissa. Sed praeterea ex amicorum Bibliothecis exspecto Antonii Contii Conjecturas ineditas, et Claudii Salmasii Collationes Codd. Palatinorum. Ac, ne jam de aliis sub-

sidiis dicam, quantum putes Harmenopulo vel lucis vel medelae afferre cum majus opus *Βασιλικῶν*, tum horum Synopsin, a me cum Codice Vossiano collatam? Vere enim Cujacius dixisse videtur, Harmenuoplum esse *Σύνοψιν συνόψεως βασιλικῶν*. Extat etiam in Clar. Bergeri Bibliotheca Harmenopulus Svallembergii cum notis MSS. Alciati, et aliorum; quem sibi, cum Amstelodami versaretur, e Petri Francii sectione comparavit. Vellem, mi Rittere, hujus libri usuram per paucas horas impetrare, indeque enotare posses, quae alicujus videantur momenti. Equidem pro tanto beneficio immortales Tibi gratias et publice et privatim agam. Nuper non sine ingenti voluptate in Bibliotheca Leidensi detexi Thalelaei, Theodori, aliorumque Scholia, vel potius Commentarios in Titt. D. *de Postulando*, et *de Defensoribus* et *Procuratoribus*; quae cuncta jam a me descripta hominibus literarum studiosis non invidebo. Habent nonnulla communia cum iis, quae Fabrotus in *Βασιλικ.* sub his Titt. vulgavit: sed tamen adeo differunt, ut, cum Fabrotiana vix viginti, nostra centum amplius foliis constent.

Trotzius hic omnium ore vapulat. Quis enim paulo humanior ferret ejus compilandi impudentiam, morum ferocitatem, aliisque obtrectandi libidinem? Quid amiciss. Wesselingius de eo judicet, in notis ad Petitum leges. Wybo, van de Water et Noordkerkius civilibus negotiis adeo distinentur, ut nihil amplius quod jurisprudentiam nostram ornet, ab iis expectandum esse videatur. Nunc tibi Nova, quae vocant, literaria velut per lancem saturam exhibebo. Atque, ut hinc ordiar, prodiit nuper editio Virgilii Burmanniana, in qua Servius multo et integrior et emendatior comparet. Petrus Burmannus Junior, Patruo suo aut par aut major futurus, dedit Specimen Novae Anthologiae Latinae, et Catalectorum veterum poëtarum. Valkenaarius, *ὁ ἑλληνικώτατος*, Falvii

Ursini Virgilium cum Graecis scriptoribus collatum insignibus accessionibus ditavit. Abrah. Gronovius Pomponium Melam, Dukerus Florum, iterum foras prodire jussit. Duo etiam ICti mediocriter docti, Markartus et Vryhovius, Probabilia et Observationes Juris vulgavere: quibus tamen non aegre caruissemus. Texam etiam illorum scriptorum indicem, quibus perpoliendis ingenia Belgica etiam nunc occupantur. Oudendorpius igitur parat editionem Apuleji, Hemsterhusius Aristophanis, et Thomae Magistri, Heringa Geographorum Minorum Hudsonii, Wesselingius Artemidori, Schrederus Juvenalis et Persii, Gronovius Nicandri, D'Orvillius scriptoris erotici, Charitonis Aphrodiensis, et Commentarii in Muratorii Inscriptiones; Abreschius Aristidis, Valkenarius Sophoclis, Drakenborchius nonnullorum librorum Ciceronis, Meermanus Pauli Sentent. recept., Röverus Glossarii Nomici, Cannegieterus Commentar. in Leges Callistrati. Inter ICtos nostros egregia etiam molitur Guilielmus Pauwius, Curiae Senator, et Bynkershoekii gener, Observationibus Juris ἀνωνύμως editis clarus. Leidae elegantioris Jurisprudentiae laudem solus sustinet Gerlacus Scheltinga. Nam, quod mireris, Noodtii et Schultingii cathedrae a stupidissimis terrae filiis, Rückero et Schwartzio, occupantur.

Jo. Lud. Uhlius, homo mirifice ventosus, nuper scriptis ad bibliopolas nostros literis contendit, ut vel Tomum primum Cod. Theodos. jam divenditum, ut ajebat, vel integrum opus recuderent, additis Wielingii Observationibus ἀνεκδότοις. Quod quidem consilium bibliopolae nostri salse riserunt. Wielingius videlicet ejus judicio is erat, qui emendatiorem nobis hunc Cod. dare posset: cujus hominis scripta, dispeream, nisi prope tot ἀπροσδιόνυσα contineant, quot verba. Variae lectiones, quas Jurispr. Antejust. Lipsiensi subjecisti, hic separatim

ingenti pretio venduntur: ipsa autem Jurisprud. ab omnibus repudiatur, idque cum propter frequentes operarum errores, tum propter insulsissimam Ayreri praefationem. Jam bibliopolae nostri de nova editione cogitant; cujus curam utinam Tu in Te suscipere velles. Namque non est dubitandum, quin Tu, tam sagaci ingenio Vir, plurima jam vel aliud agens restitueris. Multa, quibus haec editio ornari posset, habet Roeverus; multa Meermanus; nonnulla et ego. Nam pridem est, quod Collatorem Legg. Mosaic. et Rom. iterum ad Scaligeri ἀπόγραφον exegerim, et Dositheum cum membrana Vossiana contulerim. Cum Dosithei mentio incidat, scias, penes me ejusdem esse Glossas Graeco-Latinas, doctas hercle, et bonae frugis plenas, quae Philoxeni et Cyrilli Glossariis omnino adjici merentur. Heineccii Historiae Juris, nisi grave est, velim adjungas Conr. Sam. Schurtzfleischii Animadversiones in Juvenalem, ejusque Scholiast. Vinariae 1717. 8. libellum quam obvium in Germania, tam rarum in Batavia nostra, quo plura continentur ad Glossas meas pertinentia. Equidem Tibi alio tempore ἀντίδωρον dabo, quod sumtus, quos fecisti, facile compenset.

Fischerum propediem invisam, et, quid rerum agat, ad Te perscribam. Wetstenium Basileensem illum esse recte conjecisti. Ipse hic in Ioannis Clerici locum successit, eique provinciae magna cum laude praeest. Nihil hoc viro, si mores spectes, sanctius, nihil, si doctrinam Graecarum literarum et Antiquitatis Ecclesiasticae, peritius. Utinam immortale, quod parat, Opus jam publice extaret, ut tandem desineremus foedissima Monachorum in Novo Foedere commenta pro Christi verbis exoscularі. Nosti, plurimum eum tribuere vetustissimis, quas consuluit, membranis. Sed tamen locum quoque dabit sagacium virorum conjecturis, v. c. Bentleji, Hemster-

husii, Marklandi, licet frontem contrahat vecors Theologorum natio.

Habes, quid in Belgio novi geratur. Jam accipe, quo loco res meae sint. Non mentiar, si dixero, me Regum felicitatem cum hac mea permutare nolle. Nihil mihi deest, neque divitiarum, neque voluptatis, neque honoris. Paene fidem superat Batavorum erga me studium; et quo quisque est eruditior, eo mei est amantior. Ex tot igitur hominibus mei studiosis cum veri intimique amici eligendi optio praeberetur, elegi illum, quo solem nunquam putem vel candidiorem vel eruditiorem vidisse. Is summus Vir est Ioannes Alberti, quem ego mea, quique me sua humanitate ita cepit, ut alter absque altero vix cum voluptate vivere posse videatur. Theologus idem est, non ex illis σκυθρωποῖς, quales Tu quotidie vides, sed hilaris, affabilis, gratiarum plenus, et qui interdum sese ad doctas venustasque veterum nequitias demittit, cum Scaligero et eruditissimo quoque contendens, Sacram Scripturam non melius, quam e Catullo, Petronio, Priapejis, Stratonis παιδικοῖς etc. illustrari posse. Id quod tamen Tibi sub fide silentii dictum esto *d*). Sed, ut de me dicere pergam, hoc ipso tempore fortuna mihi mea aliquid molestiae creat. Namque celsissimae dignitatis Vir, nempe Ordini Statuum Generalium adscriptus, me ingenti pecuniae vi, addita etiam certissima spe Professionis obtinendae, a praestantiss. D'Orvillio abstrahere tentat, ut unici, quem habet, filii studiis moribusque praeficiar. Quod quidem munus tam splendidum tamque lautum, si absque D'Orvillii nostri offen-

*d*) Praestitisset igitur, haec nunquam edi: at semel edita supprimere noluimus: neque in literis ad amicum per jocum scripta ad vivum resecanda sunt, sed potius in mitiorem partem accipienda. Cf. ejusdem Ruhnkenii de Alberto judicium, apud Wyttenb. Vit. Ruhnken. p. 117 — 118. *B.*

sione fieri potest, fortasse a me capessetur; quamquam, ut verum fatear, aegre desero Musas D'Orvillianas.

In posterum, si jusseris, ad Te scribam, quid de quoque Germanorum eruditorum judicent Batavi nostri. Nunc tantum scias, eos communi quodam consensu Critices latinae principatum inter Germanos deferre Schwartzio Altorfino; graecae, Reimaro; jurisprudentiae, Tibi. Sed tu etiam, mi Suavissime Rittere, quid in Germania novi geratur, ad me perscribas. Bergerum adhuc vivere credo; quamvis Belgae nostri jam inhient ejus Bibliothecae. Ejusdem Eclogarium Corsicum cupide legunt. Sed, quas nuper in Stromateo edidit, Declamationes plane fastidiunt, mirantes insuper tanti viri superstitionem, quam eo loco, quo de cruce a Constantino visa agitur, declaravit.

Haec ad Te scripsi verbosius, ut literas a Te eliciam aeque verbosas. Vale, decus nostrum et amor, Rittere. Dab. Amstelodami d. 19. Sept. 1747.

Salvebis a fratribus Verbeekiis. Ad hos in posterum quoque literas ad me Tuas dirigas.

---

## III.

## *VIRO EXIMIO,*

## IO. DAN. RITTERO

## DAVID RUHNKENIUS S. P. D.

Commentarium Tuum in Heineccii Juris Historiam recte, scias, ad fratres Verbeekios, Viros integerrimos, esse perlatum. Nulla pagina est, e qua non eluceat interiorum literarum, qua praestas, scientia. Nae Tu solus inter Germanos ICtos sapere videris. Fuerunt Leidae ICti quidam, praeposteri Heinecciani nominis admiratores:

qui, cum ipsis a Verbeekiis libri inspiciendi copia esset facta, Heineccium aliquanto durius, quam par erat, a Te habitum querebantur; quique adeo Verbeekios prope adegissent, ut Te de acerbius dictis mitigandis compellarent. Horum ego conatibus, ante aliquot dies Amstelodamo huc excurrens, commode intercessi. Ac, ne quid me amicitiae dare putarent, Veerbekiis auctor extiti, ut amicissimum Wesselingium arbitrum caperent, quem et Tibi favere noveram, et optime de hac re judicare posse. Is igitur, opere Tuo perlustrato, ita mihi rescripsit: *Equidem Heineccium suo merito semper amavi, sed et hominem fuisse saepe comperi. Ritterus τὴν σκαφὴν, ut Graeci nostri ajunt, multaque erudite et egregie animadvertit. Potuisset, fateor, nonnulla lenius. Sed tamen, cur quidquam mutetur, caussam non video. Suum cuique ingenium, scribendique color.* Deinde inter alia addebat: *Fastos merito emendavit. Sed restant quidam corrigendi.* Hos igitur, si commodum visum fuerit, corrigas, aliisque curis posterioribus, suis locis a me inserendis, adjungas. Duae plagulae jam typis sunt exscriptae, idque, ut video, satis accurate; quas hodie Virorum longe maximo, Tiberio Hemsterhusio, legendas dedi. Is, tantum aberat, ut Tuam scribendi libertatem repudiaret, ut potius, perbene Te cibo salem adspersisse, fateretur. Illorum, quos ante dixi, hominum voculis in praef. obiter respondebis. Verbeekii Te rogatum cupiunt, ut *titulum Operis*, quo Novellis inseri possit, propediem ad eos transmittas. Literis ad eos dandis, longissimas ad me, si me amas, fac, addas. Ab Ernesto, Viro politissimo, nihildum literarum accepi. Sed fortasse suas jubebit adjungi Tuis: quod equidem sane vellem. Utinam per eum Cujacii Harmenopulus in manus meas perveniret! Digito mihi coelum attigisse viderer. Munuscula mea jam Tibi red-

dita puto. Vidi enim apud Verbeekios epistolam a Weidmanniana scriptam, qua se libros accepisse testatur. De Trekellii, V. Cl. operibus Tuam mihi sententiam candide perscribas. Si quid Tibi est in Hesychium Emendationum, illud quam primum mecum communices, rogo. Plurimae in hoc auctore reperiuntur Glossae Scythicae, quas nemo Te expediret felicius. Alteri Tomo, qui cum maxime prelum exercet, Conjecturas etiam meas inserit suavissimus Alberti. Audio interdum in Germania Codices MSS. vel publice vel privatim venales exponi. Tu si quid rescieris, facies me certiorem, ut illos Celeb. D'Orvillii nostri gazae vindicare liceat. Vale, Germaniae Tuae decus, meque, ut amas, ama. Verbeekii Te salvere jubent, inprimisque animae dimidium meae, Gerardus Meermanus. Dab. Lugduni Batavorum d. 22. Novembr. 1747. ex aedibus fratrum Verbeekiorum.

---

## IV.

## *VIRO EGREGIO,*

## IO. DAN. RITTERO

## DAVID RUHNKENIUS S. P. D.

Etsi literae, quas nuper ad me dedisti, erant longiusculae, tamen propter singularem, quam spirabant, suavitatem mihi visae sunt brevissimae. Neque ullum verbum in iis legendis magis me delectavit, quam quo Te longiores in posterum daturum polliceris. Notas, quas adjeceras, doctas hercle, et Te dignas, suis locis inserui, et, ut accurate excudantur, curabo. Quatuor transmittimus plagulas, ut ex iis de accuratione, qua opus imprimitur, judicium facere possis; missuri plures, nisi hae sufficere visae essent. Nam postquam me cum Viri Il-

lustrissimi filio (de quo nuper scribere me memini) Leidam contulerim, nulla plagula excuditur, quae non antea summo studio a me relecta sit et emendata. Sed dum haec scribo, nuncius Geneva affertur, qui nos certiores facit, ibidem Heineccii Historiam Juris cum quibusdam postumis Auctoris annotatiunculis recudi, quas bibliopola vel ab Heineccio juniori, vel a notissimo librariorum mancipio, Uhlio acceperit. Statuerunt igitur Verbeekii, si interea libri copia fiat, notulas istas ad finem editionis Tuae rejicere. Iidem Viri Optimi dedicandi jus Tibi integrum relinquunt. De Harmenopulo Bergeriano non levis est exspectatio, propterea quod Collatio videatur esse ab Alciato instituta. Emendationes ejus non magno emerim: quamvis nec ipse Graecarum literarum fuerit imperitus, ut patet ex parte Anthologiae Graecae, ab eo in latinum sermonem translata. Pervenit his diebus beneficio VV. CC. Valkenarii et Lennepii ad manus meas Harmenopulus Svallembergii, quem totum manu sua emendavit, contulit, et ex MS. insigniter auxit Vir in his literis Summus, Antonius Contius. Propediem etiam exspecto aliud exemplar a Claudio Salmasio cum Codd. Palatinis collatum, ipsique toties ad Solinum et libris de usuris laudatum. Utinam his tandem, tanquam Colophon, accederet Cujacianus, de quo nihildum certi audio. Nam Doct. Ernesti literas ad hunc usque diem exspecto. Hujus Viri Cl. Specimen Emendationum in Callimachum velim mihi quam primum alleges una cum Dissertationibus et Programmat. post discessum meum e Saxonia a Te conscriptis. Vellem, Ernestina Ciceronis Clavis *e*) denuo typis exscribe-

---

*e*) Hujus admonitionis si rationem habuisset, aliter sine dubio in repetenda Clave versatus fuisset novissimus Ciceronis editor, Chr. Godofr. Schützius. *B.*

retur, habita ratione egregiarum castigationum, quas in exemplaris Tui margine me multo cum fructu legisse memini. Sed tum trivialia ista, quae Batavos nostros ab hujus libri lectione absterrent, resecanda essent. Petant sibi pueri res leviculas e Nizolio et Lexicis, quibus nos prope obruit Germania. Poteris hac de re pro amicitia vestra politissimum virum monere. Suetonium ab eo ornari mirifice gaudeo. Idem saxum volvit eruditissimus Oudendorpius noster. Theophilus consultissimi Reitzii brevi prelum relinquet. Hic vir Tui adeo studiosus est, ut ultimis suis ad me literis scripserit: *Ritterum, qui vel solas ejus in Cod. Theodos. praefationes perlegerit, nec magni faciat, aut inter eruditissimos, humanissimosque ICtos, et cum antiquis comparandos non collocet; cerebro me hercle caret.* Idem Vir Cl. acerrimo judicio Tuo distingui cupiebat intricatum in Theophil. locum *de itineris, actus et viae differentia;* de quo praeter Menagium et Bynkershoekium confer ingeniosam Alberti mei emendationem in Miscellan. Critic. post Glossarium Novi Foed. editis pag. 233. Sed maturato opus est, ut omnia simul cum Theophilo prodire possint. Si quid praeterea in hunc auctorem Tibi emendationum est, nobis itidem haud invidebis. De Theophilo sententiam Tuam dixisti in Historia Juris: Sed, hanc notam aut deleri jubeas, aut mutari. Nam sine controversia Theophilus est is, qui sociata cum Tribon. et Dorotheo opera Institutiones conscripsit. Miror, viros doctos Thalelaei testimonium exspectare, cum saepius ab alio scriptore Justiniano *συγχρόνῳ* laudetur. Is Stephanus est, Basilicorum interpres, quem quis dubitet unum esse ex Digestorum Compilatoribus Justiniano in Const. de conf. Digest. laudatis. In Commentariis certe MSS., qui penes me sunt, *in Titt. D. de Postulando et de Defensoribus et Procuratoribus* conjungitur Stephanus

cum Thalelaeo, Theodoro, Anatolio, Justiniani sine ullo dubio aequalibus. Laudat praeterea Stephanus Theophilum nomine *μακαρίτου*, quod ego interpretor et tanquam amicitiae signum, et quod, Stephano vivo, diem obierit supremum. Pluribus haec confirmabit Reitzius noster. De Schultingii Jurisprudentia alio tempore ad Te scribam accuratius. Tu modo, mi Rittere, si me et litteras nostras amas, fac brevi ad me perveniant capitales aliquot et ingeniosae in corruptissimum Collatorem LL. M. et R. emendationes: quas ego, tanquam novi Operis prodromum, separatim excudendas curabo. Haec enim, scio, ita omnibus plurium nanciscendarum salivam movebunt, ut Tibi soli edendi provinciam deferendam putent. Est apud Ruckerum, Juris Professorem, exemplar libri aliquot Schultingii postumis notis insigne. Id ille bibliopolae obtulit hac conditione, ut sibi praefandi copia detur. Agnoscis vilissimum animum. Sed illae Schultingii notae Rövero nostro, qui vidit, vix editione dignae videntur. De Synopsi *Βασιλικῶν* MS., quam in Bibliotheca Lipsiensi in not. ad Hist. Jur. extare ais, velim me uberius erudias *f*). Putem fere eandem esse, quam ex Bibliotheca Uffenbachiana edere parabat doctissimus Steinheilius. Sunt et in Vitembergensi Bibliotheca aliquot Codd. MSS., quorum mihi notitiam impertias velim, ut Tu, si usu venerit, Batavos nostros his munusculis demereri queas. Glossarum in Hesychio barbararum Indicem proxime mittam. Interea unam, in qua restituenda

---

*f*) Monuit ad h. l. Germanus editor Hugo, Ritterum in Annot. ad Heineccii H. J. §. 404. p. 560. edit. Argentoratensis, non de ea agere, quae vulgo dicitur Synopsis *Βασιλικῶν*, sed de MS. adhuc ineditae *Eclogae legum Leonis*, quod in Bibliotheca Lipsiensi exstare dicat. Quidquid hujus sit, MS. illud, antiquitate sua memorabile, quippe e Sec. XIV., antea fuisse in Bibliotheca Uffenbachiana. *B.*

ingenium exerceas, notasse suffecerit. Ἀναλμα, πολλαχῆ χάρις. Martinus Opitius, patriae Tuae, et poëtarum sui temporis decus, putabat esse Teutonicum *angenehm*, sive Belgicum *aangenaam*. Quae sane conjectura tam vana est, ut Alberti noster eam ne memorandam quidem duceret.

Ego nunc Leidae bellissime vitam ago: in qua urbe nihil mihi ad summam voluptatem, praeter Te, deest. Cur D'Orvillium nostrum dereliquerim, caussae mihi tum aliae fuerunt, tum haec justissima. Erat nempe patronus aliquis seligendus, cujus potenti suffragio ad Juris vel Graecarum literarum professionem adspirare possem. D'Orvillii autem auctoritas, postquam cum Wetstenio, Hemsterhusio, Wesselingio, aliisque principibus viris simultates exercere instituit, in Belgio concidit omnis. Equidem ingenue fateri possum, Belgas omnes, quicunque sunt paulo eruditiores, laudi meae candide favere. Igitur si quid secus narret improbi oris calumniator, Reiskius, fidem ne habeas. De hujus hominis flagitiis cum litterariis, tum aliis si exponere instituerem, epistolae modum excederem. Sed Tu legas praefationem, quam novissimae Petronii editioni praemisit Vir Ampliss. Casparus Burmannus, Petri filius, et totum nosces hominem. Nuper, ut audivi, in Miscell. Lipsiens. obloqui ausus est coelestis prope ingenii Viro, Tiberio Hemsterhusio; sed is, qua est animi magnitudine, risit stupidissimum nebulonem. *g*) Salutant Te duo jurisprueden-

*g*) Reiskius qualis fuerit in literis et in vita, verissime exposuit s. *F. N. Morus* conscripta ea narratione, quam *Zamptii* annotationibus exornatam retuli nuperrime in vitarum a me collectarum Vol. II. Ac videtur sane eo fuisse ingenio, ut leniores et elegantiores homines, qui acerbitatem in summo candore quasi quandam rubiginem in purissimo argento, ferre non possent, facile a se abalienaret. Doctrinae vero multiplicis, in-

tiae nostrae ornamenta, Röverus et Meermanus. Vale, Vir Praestantissime, mihique oculis meis carior, et, quo quondam me amore complexus es, complecti perge. Dabam Lugduni Batavor. d. 1. Februar. 1748.

An Tibi vel Breslaviae vel Vinariae amicus graece doctus est, cujus opera in MSS. conferendis uti possim? Ecquid agit Nobiliss. Küstnerus? Fastos nondum correctos ex Almeloveenio emendabo. Sed desino, Tibique perennem precor felicitatem.

---

## V.

## *VIRO EGREGIO,*

## IO. DAN. RITTERO

## DAVID RUHNKENIUS S. P. D.

Mirifice gaudeo, Te, gravissimo morbo depulso, ad pristinam sanitatem rediisse. Addat Numen huic muneri

genii acerrimi, probitatis ab omni utilitatis cupiditate alienissimae, et indefessae industriae laudem semper retinebit. Paulo mitius, qui nunc sunt, Batavi de eo sentire videntur, ut solent concidere rumores temporis successu, et *post fata quiescere.* Conf. *Jan. Bak.* in Bibl. Crit. Amstel. Nov. T. II. p. 311. sq. Quanquam jam *Wyttenb.* in vita Ruhnk. p. 250. ed. Bat. utriusque manes communi piaculo placasse putandus est. Itaque quomodo prima illius dissensionis semina sparsa fuerint, omittamus quaerere, ne, dum cupide indagamus, unde venerint *tantae animis coelestibus irae,* magnorum virorum memoriae invidiose officere, aut vix compositas lites posteris indignantibus redintegrare velle videamur, praesertim quum magnae auctoritatis vir, *G. H. Schaeferus,* in ed. Demosthenis repetita hominis aerumnosissimi causam optime egerit, et *I. Bremius* in *Jahnii* Annal. philol. et paedag. V. I. P. 2. p. 256 sqq. aliorum testimonia collegerit. *F.*

suo perpetuitatem. Historiam Juris secunda nundinarum hebdomade Lipsiae videbis. Verbeekii fratres pro impensa opera plurimas Tibi gratias agunt, quatuorque dono mittunt exemplaria. Horum, quod dolebant, nullum ob temporis penuriam ligari potuit. In praefatione festinantius a Te scripta nonnulla mutavi. Sed nollem irrepsisset error typographicus, *collecturi* pro *collecturae*. Exemplaribus Historiae Juris Tibi destinatis, splendidissimus Meermanus noster adjecit novam Caji editionem, quam cum nuper Parisiis versaretur, secundis curis perpolitam, membranae imprimendam curavit. Diss. Tua *de itineris, actus et viae differentia* quantopere placuerit, vix dici potest. Ubique elucet acerrimum, quod omnes in Te mirantur, judicium. Exornabit pulcherrima hac symbola Theophilum suum Celeb. Reitzius. Licebit in posterum eodem modo Tuam de intricatis quibusdam quaestionibus sententiam elicere. Certo, si quando otium fuerit, consimilem dissertationem *de Jurisdictione* conscribes. Nam, quantum e privatis sermonibus Tuis recordor, multa in hac materia nova statuebas, et a vulgi opinione abhorrentia. Sed, cave hujus generis Dissertationes homini ventoso et lucri cupido, Menkenio, mancipes. Tua virtus, mi Rittere, tam alte Te evexit, ut Te pudere debeat societatis vilissimorum hominum, qui Miscellanea Lipsiensia nugis suis replent. Nam si a tribus quatuorve commentationibus discesseris, nihil in toto opere reperitur, quod doctorum virorum oculis dignum sit. Negabat heri Hemsterhusius ὁ μέγας, se librum istum emere, qui bona tam pauca, totque mala contineat. Si quid Schediasmatum vulgari velis, illustriori loco, id est, in Observatt. Miscellan. a D'Orvillio nostro collocabitur. Accepi a Saxio, Menkenium politissimo Ernesto Hesychii exemplar donasse. Insignis, fateor, liberalitas. Sed vide, quanta fraus fuerit hominis.

Hoc exemplar Bibliopola, Samuel Luchtmannus, me potissimum impellente, Cl. Ernesto pro recensione dono dedit, Menkeniumque, ut ipsi suo nomine offerret, per litteras rogavit. At is, omissa beneficii Luchtmanniani mentione, ut sibi Ernestum devinciret, quasi de suo dedit. Tenes furem. Emendationes Tuas in utramque partem Hesychii proxime exspecto. Gratissimum feceris et mihi et deliciis nostris, Ioanni Alberti, qui ex iis, quae de Euhagis disseruisti *h*), quantum in hoc studiorum genere valeas, satis intellexit. Vellem, mi Rittere, ut, quidquid Tibi est emendationum in Zosimum, Dionem Cassium, Ammianum Marcellinum, aliosque scriptores, brevi colligeres, et Criticarum observationum titulo per bibliopolas nostrates vulgares. Magnum inde ad nos emolumentum, neque minus ad Te decus redundaret. Καὶ ταῦτα μὲν δὴ ταῦτα. Jam quod felix faustumque sit, Ioannis Luzac, Librarii Leidensis nomine, deferimus Tibi curam Jurisprudentiae Antejustinianeae ornandae edendaeque, nec dubitamus, quin eventus opinioni nostrae responsurus sit. Placet vero Operis augusti Specimen, aut, si mavis, Prodromum, ineunte aestate, edere, simulque homines eruditos, ut symbolam conferant, publice invitare. Plurima et prope invidenda Tibi ad manum erunt subsidia, ut ex adjecta schedula *i*) disces;

*h*) Pr. Observationes historicae (Viteb. 1742. 4.) c. 2. p. 11 — 14. laudat ad h. l. Hugo. *B.*

*i*) Sed hanc schedulam eheu desiderari, queritur idem V. D. — Plura de eodem argumento habes Ep. VII. infra. Sed ante omnia conferendae sunt lectu dignissimae Ger. Meermani datae ad Ritterum literae, in eodem Hugonis Diario editae, p. 376 sqq. *B.*

Ejusdem epistolas duas ineditas, quas habeo, quum ad eandem rem spectent, nolo premere, quanquam paulo negligentius scriptas. *F.*

quae omnia in Speciminis praefatione a Te sunt commemoranda. Praeterea emendationes Tuas maxime ingeniosas velim seligas, iisque specimen exornes. Ingeniosas emendationes postulo propterea, quod omnis diligen

---

*VIRO DOCTISSIMO ATQUE CELEBERRIMO*

IO. DANIELI RITTERO

S. P. D.

GERARDUS MEERMAN.

Quas ad me dedisti literas humanissimas, V. Cl., ut ab una parte mirifice me exhilararunt, eo quod in amore ac favore Tuo me locum adhuc habere ex illis perspexi, ita ab altera parte moerorem haud parvum injecerunt, eo quod tristissimae vestrae sortis, quam horrentia arma Armis vobis adtulerunt, participem iis me facere voluisti. Faxit Deus Opt. Max. ut propediem avortantur haec grassantis belli mala, utque in posterum multos per annos tranquilla pace frui Tibi liceat, ut ita quae restant pretiosa tempora Musis consecrare possis, atque ita resarcire, quam nunc pateris, insignem jacturam.

Ad Harmenopulum nostrum redeo, quem nova indutum veste erudito orbi haud ingratum fore auguror. Ei vero mirificum ornamentum adferet, quam perhumaniter nobis obfers συμβολή, collatio scil. Cujaciana ex Codd. MSS. ad autographum a Te descripta et subinde emendata. Quum vero aequissimum sit, quod vicissim Tibi stipularis, V. Cl., laboris Tui redhostimentum, quod debita cum gratiarum actione Tibi rependam (mei enim, praefiscine dixerim, omnes sumptus sunt in emendationem Icti Graeci impendendi) maximopere exoptatum Te cupio, ut quamprimum licuerit, Harmenopulus ad mutissima via perferatur, quem Reitzii curae diligenter commendabo. Vale, V. Celeb. meque Tuo amore prosequi perge. Dub. Roterodami die XIX. Maji 1758. P. S. Si forte fasciculus ad aliquem Amstelodamum dirigi debeat, peto ut inscribatur: *a Messieurs, Messieurs van Alphen, et Dedel, Marchands a Amsterdam, pour faire parvenir à Mons. Meerman, Pensionaire à Rotterdam.*

tiae laus apud Batavos languet; ingenii, viget. Inprimis opera danda est, ut mature Codicis Wurtzburgensis co-

---

*VIRO DOCTISSIMO ATQUE CELEBERRIMO*

JOANNI DANIELI RITTERO

S. P. D.

GERARDUS MEERMAN.

Quandoquidem Petrus Hondtius, Bibliopola Hagiensis, meo potissimum hortatu, constituit, unum adhuc Tomum supplementi loco dare ad Thesaurum meum utriusque Juris, qui praeter accuratum Legum atque Auctorum in universo Syntagmate explicatorum Indicem, Const. Harmenopuli Promtuarium cum notis et emendationibus Virorum doctorum tam editis quam ineditis continebit, aliquam me apud Jurisprudentiae Cultores gratiam reportaturus mihi videor, si Auctori huic quascunque invenire licebit, tulerim suppetias. Sunt vero penes me, praeter edita exempla, ineditae Observationes Antonii Contii, Emanuelis Soarez a Ribeira, (qui novam Harmenopuli editionem molitus fuit) Andreae Penae, et trium quatuorve Anonymorum, et ex liberali Celeb. Ruhnkenii dono, etiam Gerardi Falcoburgii, qui omnes ex diversis Codicibus MSS. egregiam Icto Graeco tulerunt medicinam. Promissa quoque est egregia Collatio Cl. Salmasii, cujus ope Constantinus aliquot titulis reddi poterit auctior. Sed maximum ornamentum novae Editioni Tu conciliare posses, V. Cl. qui, Ruhnkenio nostro teste, ex Codice Senatus Lipsiensis descripsisti integrum adparatum Summi Viri Jac. Cujacii in auctorem nostrum, quem sane si pro summa Tua atque innata humanitate nobis largiri velles, esset, quod Jurisprudentiae de perfectissima et quovis cedro digna editione gratulari possemus. Omnem enim in ea curanda movebit lapidem V. Cl. Gulielmus Otto Reitzius, qui me stimulante hanc spartam suscepit, nihilque ad eam ornandam negliget. Quidquid pro adhibita in descriptione ex authentico opera Tibi deberi aequum judicaveris, V. Cl. Tibi cum debita gratiarum actione rependetur. Denique, si hoc forte Tibi grave haud sit, oratum Te velim, ut quam citissime, attamen secure, et si aliqua ratione moles id permittat,

pia fiat. Latent, ni fallor, in Germaniae Bibliotheci plura hujus operis ornamenta, quae utinam Tu e situ et pulvere extrahere posses. In posterum, si me amas fac, verbosiores literae ad me redeant. Vale, Rittere decus nostrum, et valetudinem Tuam quam diligentissime cura. Dab. Lugduni Batavorum. d. 27. April. 1748.

---

## VI.

## *VIRO PRAESTANTISSIMO*

## IO. DAN. RITTERO

## DAVID RUHNKENIUS S. P. D.

Literas Tuas Ernestique una cum fasciculo recte accepi. Vix dici potest, quantopere mihi placuerint vel ipsae litterae, vel opuscula adjecta. Sed de his Tecum confabulari, jam non tempus permittit. Cupiunt enim fratres Verbeckii quam citissime literas ad Te dari, ut fraudi Lipsiensis bibliopolae, qui Heineccii Historiam a Te editam recudere audet, obviam eatur. Weidmannia haec Verbeckiis nuper referens, addidit quoque, non alia de causa libri Tui mentionem in Catalogo Nundinarum esse omissam, quam quod Bibliopola iste jam privilegium a

---

per cursum publicum hoc ad me Roterodamum dirigatur κατὰ μήλιον; quia sine mora operi se accincturus est Reitzius noster. Vale, Vir Celeberrime, et Jurisprudentiae Stator egregie, meque Tui amantissimum benevolentia Tua prosequi perge, atque ad mandata Tua exsequenda paratissimum crede. Dab. Roterodami d. XIII. Aprilis 1758. P. S. Si ob nimiam molem forte integrum opus una mitti haud possit, gratiam apud me inires, si saltem ad me perferri curares, quae ad Prooem. Indicem Titt. et Librum primum προχείρου pertinent; quoad reliqua enim, duorum triumve mensium tempus supererit.

Rege impetrasset. Tu vero, mi Rittere, quantum potes, vel Tua, vel Illustriss. Brühlii auctoritate hominem ab improbo consilio dimovebis. Sin minus, Verbeekiorum nomine cum eo contrahes, ita ut ipse privilegium Verbeekiis cedat, atque insuper aliquot exemplaria vel gratis vel minimo pretio accipiat. Brevi literas ad Te de reliquis negotiis dabo longiores. Vale, Vir Magne, meque, ut amas, ama.

Scribeb. festinantius Leidae d. 9. Julii 1748.

Richeji Vindicias nuper forma, ut vocant, octava nitide recudendas curavi, praemisique ἀνωνύμως praefationem, in qua honorifica Tui mentio est facta. Brevi, ut spero, opusculum una cum aliis ad Te ablegabo.

---

## VII.

### *VIRO PRAESTANTISSIMO,*

### IO. DAN. RITTERO

### DAVID RUHNKENIUS S. P. D.

Semel velim excuses hanc meam in scribendo tarditatem. In posterum profecto tantum aberit, ut me negligentiae accusare possis, ut potius singulis mensibus literae ad Te meae sint perventurae. Nunquam vixi lautiori conditione vel in Belgio vel alibi. Sed nunquam etiam mihi ita tempus periit in deliciis aulicis et salutationibus quotidianis. Sed in posterum etiam huic rei, quantum in me est, medebor, praesertim cum Leidam reversus fuero. Nam cum Illustrissimus Juvenis, Nicolaus de Dierquens, cujus studia moderor, ab aliquo tempore valetudine minus prospera usus sit, ex Academia secessimus ad ejus aviam, splendidissimam, et regiis prope opibus praeditam matronam, de Ract, Harlemi habitan-

tem. Huc etiam literas Tuas dirigas, usque dum me Leidam rediisse intelligas. Sed, ut hinc ordiar, valde placuit Historia Tua Praef. Praet. et mihi et duumviris egregiis, Hemsterhusio et Wesselingio. His enim reliqua duo exemplaria dedi. Harmenopuli Cujaciani et alterius, a Küstnero suppeditati, videndi incredibili flagro desiderio. Sed, si fieri potest, suavissime Rittere, ipsum Baudesii exemplar mihi per Weidmanniam ad Verbeekios transferendum cura. Vereor enim magnopere, ne, si alii describendum detur, errores irrepant, non nisi autographi collatione tollendi. Abduxerunt me per aliquot menses aliae curae ab Harmenopulo poliendo, neque valde invitum. Tanto enim alacrius, si rursus accessero, in eo pergam. Invitor namque, aut cogor potius a doctissimis amicis, Valkenario, Alberto, ipsoque summo magistro meo, Hemsterhusio, quae conjectura in graecis poëtis restitui, colligere, ac publici facere juris. Itaque brevi a nobis exspectes Criticas Animadversiones in Apollonium Rhodium, Orpheum, Callimachum, Anthologiam, Theocritum, ipsumque Homerum. Callimachearum Emendationum Specimen his diebus misi ad politissimum Ernesti. Sed Tu, mi Rittere, qui primus quae Indigitamenta sint, me docuisti, succurre discipulo Tuo haerenti in Orphei, vel Onomacriti Indigitamenti p. 106. ed. Eschenbachii. Corrupta verba sunt ἐς λοκούρη. Mira Josephi Scaligeri ad h. l. est observatio, et, nisi a tanto viro profecta esset, omnino ridenda.

Non deposuit Joannes Luzac Jurispr. Antej. edendae consilium; sed contra avide exspectat Prodromum Tuum. Tu, optime Rittere, quicquid undique Variantium Lectionum conquirere potes, quovis pretio conquire. Nam omnes, quos fecisti, sumtus perlibenter restituentur. De honorario alias videbimus. Id scias luculentum futurum, si libros Tibi dari postules. Biennii Tibi tem-

pus dat Luzacius ad opus aeternum exornandum, cum quod eo Tibi omnino opus sit, tum quod ipse nunc versetur in quibusdam Schultensii Arabicis excudendis. Postumas Schultingii notas, nisi paucae essent, et plerumque citationibus constarent, jam misissem. Verbeekiis auctor fui, ut privilegium petere supersederent. Namque alia ratione fur iste poenas dabit. Simulatque enim ejus editio prodierit, Tu Verbeekianae novam praefationem praemittes, et Juris Germanici Historiam annotationibus augebis. Hoc Verbeekiis parvo, at Kleibio magno detrimento erit.

Cetera e Batavia nova haec sunt. Meermanus noster ad amplissimam dignitatem evectus est, nempe Pensionarii Roterodamensis. Alberti strenue pergit in edenda altera parte Hesychii. Is miratur Tuam Gothicae linguae peritiam. Sed maluisset Hesychii Gothica a Te explicari sine mutatione vocis. Wesselingius nuper edidit Epistolam Criticam ad V. Cl. Hermannum Venema, de locis quibusdam controversis Philonis Judaei. D'Orvillius Charitonem propediem emittet. Adrianus Heringa, sagacissimus homo, parat novam editionem Geographorum minorum Hudsoni. Oudendorpius ad prelum adornat Apulejum, editurus antea Suetonium cum suis et Dukeri notis. Abrahamus Gronovius in Nicandro edendo versatur. Matthias Röverus, magnum Belgii decus, praeclara molitur in Jurisprudentia nostra. Reitzii Theophilus post duos circiter menses prodibit. Ernesti Suetonium perlegi avidissime. Admiror viri sagacitatem, qua, me judice, ipsi Gesnero praestat. Utinam hujus similes multos haberet Germania! Bachii nihildum huc perlatum est. Reimarus, amicus noster integerrimus, praeclaram parat Dionis Cassii editionem. Huic si quas suppetias ferre possis, facias, rogo. Est enim Tui studiosissimus. Obsecro Te, Vir magne, congeras per otium

Tuas in graecos latinosque auctores Emendationes, quo Belgicis typis exscribi possint. Multum intererit ad laudem Tuam apud homines nostros. Omnino mihi proxime indices rogo, quinam Codd. MSS. sint in Bibliotheca Vitembergensi. Audio, Waltherum apud vos Professionem obtinuisse. Gratulor Tibi de tam docto Collega. Ejus Animadversiones summopere laudabat Hemsterhusius. Saxius optime valet; et patroni sui opera facile ad lucrosum munus adspirare potest. Sed negat se recensuisse Anthologiam Latinam. Recte. Nam ipse Burmannus noster mihi ante triduum Amstelodami affirmavit, auctorem recensionis esse improbi oris calumniatorem, Reiskium, idque sibi non fallacibus indiciis constare. Non debebat Menkenius tantum huic cani permittere. Mira acciderunt, quae de Menkenii humanitate narras. Bibliopolis certe nostris, Waesbergio, Luchtmanno, aliis, valde importunus audit. Sed ut ipsi humanitatis laudem non ademerim, ita exquisitae doctrinae vix concesserim. Nam merito is, quem unum omnium mortalium maxime veneror, Tiber. Hemsterhusius ejus Observationes lat. linguae puerilem et ridiculum librum dicere solet. Si duplex Tibi exemplar est Kustnerianae Dissertat. de rit. pign. capiend. fac, alterum ad me perferatur. Theophilum, ut promisi, Tibi dono mittam. Ingentis magnitudinis opus erit. Namque adduntur Notae plurimorum hominum doctorum, et longiores Celeb. Reitzii Excursus. Fac, brevi ad me perveniant literae Tuae. Nam nisi culpa Tua aliter accidat, fervebit in posterum literarum inter nos commercium etiam magis, quam antea. Singularis est suavitas, quam ex literis Tuis haurio. Sed [parum] suavitatem quodammodo minuit nimia brevitas. Hoc igitur, si me amas, cavebis. Cl. Ernesti certas ob caussas brevi ad me literas dabit. His si Tuas adjunxeris, gratum feceris. Vale,

Vir amicissime, meque, ut facis, ama. Dab. Harlemi d. 20. Octobr. 1748.

---

## VIII.

## *VIRO MAGNO,*

## IO. DAN. RITTERO

## DAVID RUHNKENIUS S. P. D.

Jam diu literas Tuas exspecto, mi Rittere. Putabam, frequentius inter nos literarum commercium futurum. Certe in me nunquam diligentiam desiderabis. Cl. Reitzii literae Tibi destinatae jam per duos menses apud me jacuere, non alia de caussa, quam quod quotidie literas Tuas exspectabam, quibus deinde responderem, et Reitzianas adjungerem. Nunc tamen visum est, non diutius retinere. Harmenopuli Cujaciani desiderium vix fero *k*); etsi mihi hoc tempore magis res est cum Homero, Callimacho, Apollonio Rhodio, et Epigrammatariis Graecis, quam cum ICtis Constantinopolitanis. Elegantissimi Ernesti literae jam ante mensem mihi sunt redditae. Is magnopere probat meas in Callimachum conjecturas. Profecto, nisi mihi Hemsterhusius, Valkenarius aliique summi homines verba dent, videor in hoc literarum genere aliquid praestare, quod prope Bentlejanum sit. Certe negant quemquam aetate nostra plures versus spurios in antiquissimis poëtis sagacius detexisse et feli-

---

*k*) Constat, ut ad h. l. annotavit Hugo, posteriorem Harmenopuli editorem, Guil. Ottonem Reitzium, apographum animadversionum Cujacianarum, a Rittero ex Exemplari Bibliothecae Lipsiensis descriptum, per G. Meermanum nactum esse: qua de re vid. Praefatio ad Harmenopulum in Supplem. Thes. Meerm. §. IX. p. V. *B.*

cius profligasse. Sic enim apud Te gloriari licet, optime Rittere, cum ex laudibus nostris non minima pars etiam in Te redundet, ut praeceptorem.

Sed quid statuisti de Jurisprudentia Antejustinianea? Obsecro Te, carissime Rittere, omne studium Tuum ad Prodromum conscribendum convertas. De MSS. Vitembergensibus iterum Tibi aurem vello. Fabricius in Bibliotheca Graeca duos memorat Lycophronis Codices Vitembergenses. Sed horum desiderio tanto minus teneor, quanto diligentius in hoc poëta castigando versatus est Illustrissimus Potterus. Nuper etiam suavissimus Meermanus noster mihi Lycophronis Codicem utendum dedit, quem secum e Gallia attulerat. Hunc communem amicum nuper Praepotentes Hollandiae Ordines dignitate Pensionarii et Syndici Roterodamensis ornarunt; quem jam habitatum concessit. Idem brevi publici juris faciet ἰδέαν Thesauri Juris civilis et Canonici, sua opera edendi. Opus VI vel VII voluminibus in folio constabit. Multi in eo apparebunt ICti Hispani, longe eruditissimi et acutissimi, de quibus ne fando quidem audivimus; multi Galli, e Cujaciana schola profecti, sed itidem ignoti; inter Hispanos doctissimus Del Manzano Commentarius ad Legem Juliam et Papiam Poppaeam, non visus Heineccio. Horum operum partem ipse collegit Amplissimus Meermanus; sed multo plura ex Hispania singulis mensibus submittit humanissimus Majansius. Novi quid scribam, vix habeo, et, si quid habeo, aliis literis reservabo. Nam domestica quaedam negotia nunc plura scribere vetant.

Suetonius eximii Viri, Oudendorpii, brevi prelum relinquet. Hunc Tibi dono mittam, ut eum cum Ernestiano conferre possis, et judicare, utri editorum palma deferenda sit. Vale, decus nostrum et amor.

Dab. Harlemi d. 16. Decembr. 1748.

## IX.

## *VIRO MAGNO,*

## IO. DAN. RITTERO

DAVID RUHNKENIUS S. P. D.

Variis distentus negotiis, aliquanto serius, quam soleo, ad literas Tuas respondeo; quamvis id Luzacius jam diu urserit. Is enim postulat, ut libros, quos Tibi honorarii loco dari velis, quantocyus designes. Quae conditio si ipsi placuerit, nulla amplius in eo mora erit. Quicquid Variantium Lectionum aliunde vel pretio vel alio modo comparare potueris, ipso volente et jubente, compara. Nam ut est vir et honestus et pecuniosus, libentissime sumtus, quos fecisti, restituet. Utinam Te ad specimen edendum accingeres: quod forma Epistolari prodi posset. Neque opus videtur, ut novi operis titulus praefigatur. Modo Lectores de subsidiis, quae exspectas, certiores fiant. Certe quicquid in Batavia est Codicum (sunt autem haud pauci) illud omne, me curante, Tuum erit. Maximum vero subsidium non in variis Lectionibus ponendum arbitror, sed in acerrimo Tuo judicio, et Critica sagacitate, qua Te mirum in modum valere, novimus omnes. Scribis, Tibi ad specimen concinnandum Codd. lectionibus opus esse. Jam etsi facili opera duo Breviarii Exemplaria, quae sunt in Bibliotheca Leidensi, conferre possem; mihi tamen credas, qui hos Codices olim versavi, parum adjuvarent conjecturas Tuas. In Collatore LL. Mos. et Rom. Critices Tuae specimen edendum est. Hujus vero Codicem in cunctis Europae Bibliothecis frustra quaeras. Tu si ingenium illud sagax advocaveris, Codd. opera Te tantisper carere posse senties. Scis etiam, nos in difficillimis quibusque locis a Codd. solere destitui.

Prodiit nuper Epistola mea Critica I. in Homeridarum Hymnos, et Hesiodum ad Virum Clariss. Valckenarium, quam Tibi dono mittam, quam primum idonea oblata fuerit occasio. Sin minus, nundinis paschalibus una cum Theophilo Reitzii, et Suetonio Oudendorpii (qui nondum prodiere) et cum aliis libellis accipies. Ad Clarissimum Ernesti libellum meum misi itinere nimis sumtuoso, per cursorem publicum. Scilicet cupiebam, de eo judicium ferri in Actis Lipsiensibus. Pag. 73. publice Te honorificeque compellavi de Historia Praefecturae Praetorianae perficienda: quod omnes, qui Specimen Tuum legerunt, Wesselingius inprimis, mecum exoptant. Excute igitur Adversaria Tua, et, quae dudum in hunc finem congessisti, in ordinem digere, Muratorii tamen Inscriptionibus prius consultis, ubi, ni fallor, lapides quidam Praefectorum Praet. memoriam conservarunt. Poteris eadem opera foedissimos aliquot Muratorii errores profligare, quos contra omnem Antiquitatem commisit. Ridebis, scio, hominem p. LXVI. 5. ad marmor, cujus notas haud intellexit, ita commentantem: *Habemus igitur hic Perpetuum Praetorem Urbanum.* Sed Tu, Eruditissime Rittere, ut dixi, perficies Historiam Praefecturae Praetorianae, et Peckero, Bibliopolae Leidensi, vel Verbeekiis excudendam committes. Praemium Tibi haud denegabitur: quamvis Tibi, qua es animi magnitudine, sufficiat sempiterna gloria istis ingenii monimentis parta.

Sed quando tandem Harmenopulum Cujacianum videbo? Vix fero ejus desiderium; nec parum inde mei in hoc Icto expoliendo impetus retardantur. Interea duplex opus mea cura ornatius reddo, Thalelaeum (de quo alias scripsi) et Eustathium Antecess. de temporum intervallis. Utrumque Amplissimus Tuique studiosissimus Meermanus novo Juris Thesauro inseret. Cujus Thesauri Con-

spectus cum maxime prelum exercet, et cum aliis opusculis ad Te perferetur.

Vivitne adhuc Bergerus? Utinam Bibliotheca illa insignis post mortem ejus divenderetur. Jam nunc nummos seposui, quibus mihi potiores ex ea Codices coëmam. Vidistine Schultensii, orientalium literarum Principis, Epistolam ad Menkenium, qua Reiskium, ingratissimum nebulonem, prorsus pessumdedit ac prostravit? Hoc de negotio, Schultensii rogatu, ad doctissimum Ernesti Epistolium scribendum fuit: quod sine mora Lipsiam perferendum curabis. Literas ad me Tuas Ernestinis velim adjungas. Vale, Vir Egregie, meque, ut amas, ama. Dab. Lugduni Batavor. d. 3. Novembr. 1749. ex aedibus Theodori Berkenhoff, op de lange Brugge.

---

## X.

## CARISSIMO RITTERO SUO

## D. RUHNKENIUS S. D.

Ex literis Ernesti nostri satis, ut opinor, intellexisti, me omnem lapidem ab aliquo tempore movisse, ut Te ex misera nunc Saxonia in beatiorem Bataviam transferrem. Quos conatus meos cum fortuna semel atque iterum destituerit, nunc incredibilem in modum gaudeo, exoptatissimam hujus rei consequendae opportunitatem mihi ostendi. Andreas Weissius, praeclarus Juris naturalis et publici doctor, qui hanc Academiam per quindecim annos ingenio et doctrina sua illustravit, superiore anno ab Ordinibus Hagam Comitum evocatus est, ut Principem Arausionensem bonis artibus erudiat. Huic successor quaeritur ab illustrissimis Curatoribus. Aliis alios commendantibus, ego usus adjutoribus, Hemsterhu-

sio, Gaubio et Alberto, excellenti virtute ac doctrina Tua commemoranda rem eo perduxi, ut maxima spes sit, Te ab illustrissimis Curatoribus, postquam voluntatem Tuam intellexerint, huc vocatum iri. Muneris conditionibus nihil luculentius. Stipendium quidem huic professioni adsignatum tantum est duo mille florenorum Hollandicorum. Sed beneficia et emolumenta adeo superant stipendium, ut annui reditus quinque mille Florenorum vel mille Ducatorum aureorum summam conficiant. Impensae in migrationem faciendae a Curatoribusr estituuntur. Quod a Te exigitur, sane levissimum est. Duae perpetuae lectiones habendae sunt; altera in divinum Grotii opus de J. B. ac P. altera in Jus publicum Germaniae. Grotianum Collegium ita a juventute Belgica et Britannica celebratur, ut inde Tibi quotannis mille Floreni redeant. Alias disciplinas tradere, Tibi non licet. Habes conditiones muneris: quibus pensitatis, quid consilii ceperis, quantocius ad me perscribe. Quanquam, si me audias, omni omissa deliberatione, statim ad nos evolabis. O! quam laetus ille mihi dies illucescet, quo Te, carissimum caput, hic amplecti potero. Profecto etsi Batavia mihi semper jucundissima fuit, tamen multo est jucundior futura, si antiquam nostram consuetudinem hic instaurare, si Tecum una vivere, Tecum seria et jocos miscere licuerit. Nec religionis negotium Tibi ullum scrupulum injicere debet. Quamvis enim in togato ordine solus, cui Lutherana formula probetur, futurus sis, omnes tamen collegae Te tanquam fratrem amabunt et in oculis ferent. Reformati Belgae mitissimi sunt erga Lutheranos eosque vix ullo discrimine a se differre credunt. Equidem matre natus Lutherana, at patre reformato, ex quo in Belgium veni, patris monitis adductus, paternum exemplum secutus sum. Verum etiamsi matris partes praetulissem, nihil tamen illa res hic obstitisset rationibus

meis. De aliis rebus scribam alias. Sed hoc Tibi fidenter spondere ausim, Te nusquam terrarum tantum antiquae probitatis, fidei, veritatis, quantum hic, reperturum. Quo quid magis consentaneum esse potest moribus Tuis simplicibus, rectis, omni fuco carentibus? Binas ad me epistolas scribas velim: quorum altera mecum familiariter agat; altera Tuam de migratione et muneris mutatione sententiam brevibus verbis expressam contineat; quae, si opus sit, etiam Curatoribus ostendi possit. Sed responsi celeritate opus est, ne alii consilium nostrum prensando impediant. Ubi quid Tibi animi sit, intellexerimus, cetera, quae apud Proceres peragenda sunt, promtissime expedientur. Vale, mi optime Rittere. Si ad Ernestum scripseris, eum meo nomine salutes, et de mittenda Callimachi praefatione admoneas. Dabam Lugduni Batavorum. d. 8. Decembr. 1760.

Dixi, Te annos 47 vel 48 natum esse. Credo, non multum fallere meam me conjecturam. Adjeci pia fraude, Te Jus naturae etiam Vitembergae interpretari. De Jure publico inter omnes constabat.

---

## XI.

## IO. DAN. RITTERO,
## AMICO SINGULARI,
## DAVID RUHNKENIUS S. P. D.

Ita Tibi, quae optas, velim eveniant, ut mihi, quaecunque Tua caussa suscepi, hactenus ex voto evenerunt. Rejecti sunt competitores, quorum unus, magni cujusdam Principis commendatione fretus, hanc Professionem jam spe devoraverat. Omnium Curatorum suffragia in Te designando conveniunt. Vix tamen sollemnis Vocatio

ad Te mittetur ante primum diem Februarii. Nam nihil fere majoris momenti a Curatoribus agitur, nisi statis conventibus, quorum proximus incidit in diem, quem dixi. Muneris conditiones Tibi placere, impense gaudeo; Teque adeo nostrum esse, ita laetor, ut, quibus verbis hanc laetitiam exprimam, non inveniam. De emolumentis et immunitatibus quia Tibi dubitationem exortam video, age, paulisper ad calculos sedeamus. Ordinarium stipendium est 2000 Florenorum. Honorarium, quod ex lectionibus redit privatis, (publicae non habentur) quovis studioso pro quolibet collegio solvente triginta florenos, est 1300 Florenorum. Honorarium saepe variat pro numero discipulorum. Reliqui articuli sunt multo certiores. Ex Doctorum promotionibus, quae hic singulis fere hebdomadibus celebrantur, Tibi redeunt 1400 Floreni. Immunitas ab omnibus vectigalibus Tibi ad minimum valet 300 Florenos. Quae omnia simul sumta conficiunt summam quinque mille Florenorum. Leviora emolumenta, licet satis multa, et minime contemnenda, praetereo. Hunc autem calculum recte se habere, ipse Weissius mihi boni viri fide confirmavit. Jam ad singulos articulos Tuos quam possum brevissime respondebo.

I. Omnia Latina lingua traduntur; in privatissimis tamen collegiis aliquando Gallica. Sic Weissius Duci Richemontio Jus Gentium Gallice praeivit. Verum etiam atque etiam a Te peto, ut, posthabitis omnibus, aliquid temporis tribuas linguae Gallicae commodius pronunciandae. Hujus enim alterius linguae commercio utare cum Anglis, Gallis, et plerisque Helvetiis, qui, ut Latine intelligant, tamen ne verbum quidem proferre possunt. Praeterea omnes illustrioris loci viri feminaeque apud nos libentius Gallico, quam Belgico sermone, utuntur. Teutonicam linguam plerique Professores propter frequentem cum Germanis usum intelligunt, Procerum

non adeo multi. Nullae hic conciones Teutonica lingua habentur.

II. Jus publicum Germaniae (ad Mascovii ductum) tum demum praelegitur, quando nobilium Germanorum frequentia est. Alias explicatur Ottonis Notitia Rerum publicarum, tanquam Belgis utilior.

III. Ad commune aerarium ne teruncius quidem a Te confertur. Nam, ut modo dixi, Academia summam immunitatem habet. Vinum aliis civibus carissimo, Tibi vilissimo pretio bibitur.

IV. Aedes vulgo a Professoribus 500 Florenis conducuntur: ancillarum opera 60 aut 70 Floren. At quando illis emolumentum a studiosis accedit, (ut Tuis ancillabus accedet) conducuntur 40 aut 50 Florenis.

V. Etsi plures pingendi, cantandi et saltandi artifices Leidae reperies, quam Vitembergae, tamen pro viginti Lectionibus solvendi sunt octo vel novem Florenis.

VI. Professores utuntur simplici vestitu, atro maxime. Universim quo quis illustrior est in hac republica, et majore auctoritate pollet, eo simplicior ejus cultus est. At famuli fulgent auro et argento; aedes magnifice instructae: conviviorum apparatus prope regius.

VII. Professorum uxores fere sunt modestae et domisedae. Si qua tamen malit in celebritate versari, spectacula frequentare etc., frui potest ingenio suo. Cultus harum matronarum non est splendidus, sed mundissimus. Nosti fortasse, omnes Batavas feminas munditiem ad insaniam usque amare.

VIII. Filiarum gubernatrice, hic ducentis florenis conduci solita, Tibi non opus est propter frequentiam scholarum Gallicarum, in quibus nobiliores virgines cunctis artibus, quae ad vitae elegantiam pertinent, erudiuntur.

IX. Auctor Tibi sum, ut aedes Tuas loces potius

hoc tempore, quam vendas. Pacis tempus exspectandum est, quando melius per procuratorem vendentur. Nec quicquam vendere debes vel bibliothecae Tuae vel pretiosioris suppellectilis. Nam haec omnia commodissime Hamburgum, inde Amstelodamum, et hinc Leidam per navigia transportari possunt. Haud intelligo, cur de vectura sollicitus his, quam Tibi scripsi Curatores liberalissime et ultra id quod petis, esse restituturos.

X. Aedes semper Leidae absque suppellectile locantur. Sed licet suppellectilem separatim conducere. Stragulas, pulvinaria, specula, etc. Tecum transportabis. Stannum propter nimium pondus Vitembergae vendendum, praesertim cum parvo cum dispendio novum paretur. Vasa mensalia hic fere stannea sunt: rarissime porcellanea.

Dabitur Tibi titulus Professoris Juris publici et privati, non ut privatim jus doceas, (quod ego sane vellem) sed ut Juris privati Candidatos examinare possis. Ad libros scribendos plus Tibi otii futurum est, quam votis fingere audeas. Nam septem tantum menses cum dimidio Academicis lectionibus tribuuntur: reliquum tempus Vacationibus. Majores, quas vocant, Vacationes incipiunt sub finem Junii, et finiuntur die 17 Septembris: quo tempore poteris in viciniam Galliam vel Angliam excurrere, vel revisere Saxones Tuos.

Harmenopuli editionem librarius adhuc moratur. Reitzii Theophilus apud nos jacet, et editor ipse propter futiles, quibus paraphrasten oneravit, notas ita exagitatur, ut prope contemtus jaceat.

Memini Te aliquando scribere, Trillerum literas a me ad se scriptas jactare: quo mendacio nihil impudentius. Equidem, ex quo aliquid in Graecis literis videre coepi, Trillerum vanum et indoctum agyrtam esse judicavi, nedum ut hominem literis colerem. Legas, quaeso,

praestantissimi Piersoni praefationem Moeridi Atticistae praemissam, ubi Trillerus vapulat mirifice. Vale, decus nostrum et amor. Dabam Lugduni Batavorum d. 12. Januar. 1761.

His scriptis, amicissimus et Tui etiam studiosissimus Weissius ad me venit, narrans, se Hagae Comitum ex duobus Curatoribus audivisse, Vocationem Tuam non ad primum Februarii esse extrahendam, sed extraordinario conventu propediem expediendam. Qua quidem re nihil nobis optatius contingere posset.

---

## XII.

## MI SUAVISSIME RITTERE!

Quid tandem caussae est, quare nihil binis literis ad Te datis respondeas? Multa animum meum subeunt, eumque sollicitum habent. Nam modo pertinax hoc silentium Tuum adversae valetudini tribuo: modo literas Tuas in his bellicis turbis intercidisse suspicor. Nolim enim existimare, quod multi jam hic faciunt, Te, abjecto migrationis consilio, in Saxonia manere malle. Heri mihi redditae sunt literae Cl. Ernesti, quibus communis ille amicus noster deplorat mala Tibi Vitembergae toleranda: at de Tua in Leidensem Academiam vocatione ne γρῦ quidem cognosse videtur: id quod vehementer miratus sum. Quaeso Te atque obtestor, quam potest fieri citissime hunc mihi scrupulum eripias. Plura scribere nunc non vacat. At simulatque responsum Tuum accepero, verbosam a me epistolam habebis. Vale, mi optime Rittere, et ama Tuum Ruhnkenium. Lugduni Batavorum. d. 20. Februar. 1761.

---

## XIII.

*AMICISSIMO VIRO,*

IO. DAN. RITTERO

DAVID RUHNKENIUS S. P. D.

Longissimae caussam morae, de qua quereris, Tibi ipse imputare debes. Nam si fidem meam, ut scribis, secutus es, cur non statim vel verbo declarasti, gratam Tibi accidisse Illustrissimorum Curatorum electionem, aut cur non aedium conducendarum (quae res summam celeritatem desiderabat) mihi copiam fecisti? Interea cum Amplissimus van Royen paullo serius Leidam rediret, Tuque nihil ad me literarum dares, hoc silentium Tuum nonnullis ex Curatoribus suspectum esse coepit. Quid quaeris? Decreverunt Curatores, ut publicae vocationis tabulae ad Te ante ne mitterentur, quam Secretarius ex Tuis literis ad me scriptis perspexisset, Te in consilio, quod prioribus literis significasses, perstare. Sic res silentio Tuo ad hoc usque tempus extracta est. Publicarum tabularum duplex exemplum scribendum putavimus, ut si alterum per cursorem, quem vocant, publicum ad Te missum, forte in via periret, alterum certe, quod ad Legatum Batavum Verelstium Berolinum missum est, ad Te perveniret. Acceptis tabulis, non ad ipsos Curatores, sed ad Amplissimum van Royen breves Tibi literae exarandae sunt, quibus gratum animum et obsequium Curatoribus debitum testeris. Cum nullus his diebus Curatorum conventus habitus fuerit, nec de auro Tibi mittendo ad illos referri potuit. Sed, si ipse Lipsiam proficiscaris, aurum mutuum sumere poteris ab Amstelodamensibus mercatoribus, ad mercatum Lipsiensem profectis, (Florus Crol und Compagnie, Rauchhändelars) quos ea de re certiores fecimus. Interea cogitationem susci-

pias orationis statim post adventum Tuum publice habendae. Quodsi me audiendum putes, Tibi auctor sum, ut ex jure gentium potius, quam ex jure Germanico, materiam deligas, quae popularitate suavitateque sua omnium auditorum animos teneat. Vix credas, Politici nostri quantopere contemnant totum illud jus publicum Germaniae, rempublicam Polonicam vocantes Germaniam, cujus leges cum vindice careant, vanae ac ridiculae sint censendae: nec leges imperii tantum a potentioribus principibus, ut nunc a Borusso, sed ab ipso etiam Imperatore, qui illarum vindex esse debebat, quotidie conculcari. Multum Tua interest, Te, ruptis omnibus moris, statim ad nos commigrare. Nam honorarium ex eo demum die, quo orationem sollemniter habuisti, solvi incipit. De aedibus conducendis, aliisve rebus, proximis literis ad me copiose scribes. Vale, mi optime Rittere. Dab. Leidae d. 16 Mart. 1761. *l)*

---

*l)* Datae autem sunt ad Ritterum ab academiae Curatoribus hae litterae, quae non videntur silentio praetermittendae. *F.*

*VIRO CLARISSIMO DOCTISSIMO*

D. JOHANNI DANIELI RITTER I. V. D.

IURIS PUBLICE

IN ACADEMIA WITTENBERGENSI PROFESSORI

S. P. D.

DECRETO

D. D. CURATORUM HOLLANDAE ACADEMIAE

URBISQUE LEYDAE CONSULUM

QUI IIS A SECRETIS EST

J. VAN ROYEN DAV. FILIUS.

Quum per duodecim annos Academia nostra studiis, opera, cura, atque industria Viri Celeberrimi et Politissimi Andreae Weissii admodum floruisset, tandem solida ejus eruditio, animi

## XIV.

## CARISSIMO RITTERO SUO DAVID RUHNKENIUS S. P. D.

Languens ex febri quartana tam copiose, quam vellem, literis Tuis respondere non possum, sed strictim tantum

---

candor, ac mira morum suavitas effecerunt, ut publico omnium bonorum applausu, ad formandum Celsissimi Foederati Belgii Gubernatoris haereditarii, Arausionensium ac Nassaviae Principis, tenerum, atque ad omnia magna natum animum, sub auspiciis Celsissimi Ludovici, Principis Brunsvicensium admotus fuerit.

Hic itaque Academicarum exercitationum filum non tantum interrumpere, sed omnino earum cursum sistere, de nobis, Academiaque nostra optime meritus Cl. Weissius coactus fuit, atque se totum, gravissimo sibi concredito muneri, dare, unde et nobis necessitas incubuit de alio in ejus locum sufficiendo cogitandi.

Ne igitur hac Weissii missione, licet honorificentissima, Academia nostra quid detrimenti caperet, in id sedulo intenti fuimus, ut ope doctissimorum, nobisque addictissimorum hominum, et sic causa cognita, de Celebriorum, atque hilarioris famae Juris Publici ac Privati Professorum meritis rite judicare possemus. Quid multa? Vir Clarissime, in te nostra substitit deliberatio, te enim, quod bonum, felix, faustumque Academiae, nobis, tibique sit, decrevimus Weissii Successorem renuntiare, quum neminem, qui insigniori cum dignitate hanc summi decessoris Provinciam esset ornaturus, nos multum et sollicite circumspicientes, reperisse ingenue fateamur. Tot enim tua sunt in rempublicam literariam merita, tam inlustris nominis tui fama, ut tua se dignitas, Germaniae, finitimarumque terrarum intra fines, licet latissimos, non modo non continuerit, sed longe lateque pervagata, omnium in oculos incurrerit, quam ut auspiciis nostris augere, fovere, et omnibus ornamentis amplificare, in posterum Academiae nostrae te addicens, velis, etiam atque etiam petimus, et si cupias rogamus.

singula quaesitorum Tuorum capita attingam, oratio inauguralis Tibi habenda est mense Junio, sub cujus finem, incipientibus longissimis illis Vacationibus, omnes studiosi in provincias dilabuntur. Programma scribi, non moris est. Aedes Tibi conduxi, non quales volui, sed quales hoc tempore potui, multo quidem angustiores Vitembergensibus. Professoribus hic turpe esse putatur, studiosis cubicula locare, eorumque esse convictorem. Iidem Professores simplici vestitu utuntur, pullo maxime. Est Leidae Lutherana ecclesia, in qua Belgicae conciones habentur. Germanicis etiam libris hic pretium suum constat, praesertim si clarorum virorum bibliothecae hastae

---

Quare ut certis tibi documentis constaret quanta nos in te ornando benevolentia usi simus, et nihil doctrinae, famae, commodisque tuis detractum velimus, nostro tibi senatus consulto offerre decrevimus eadem dignitatis nomina, et honorarii amplitudinem, quibus Vitriariis quondam, et nuper Celeberrimo Weissio frui licuit. Contulimus enim in te Professoris Juris Publici et Privati titulum, addito bis mille florenorum nostratium honorario, cujus spatio trimestri quartam partem persolvi curabimus, quae vero ex domesticae disciplinae cura, ex doctoralis tituli in studiosam juventutem collatione, jure et lege proveniunt emolumenta, quae tamen ex discentium frequentia, et ad docentium scholam concursu augentur, et non poenitendos fructus proferunt, quasi digito tetigisse satis erit. Habet et Senatus Academicus sua jura, et commoda, gaudet suis, (ut lex et consuetudo jubent) honoratus ille ordo ab impositionum plerarumque onere immunitatibus; Mille insuper florenorum nostratium summa pro impensis bonorum Leydam translatorum, tibi restituentur; sed quid plura? Hujus enim epistolae summa haec est, rogationi nostrae obsequens nobis te benevolentissimis addicere, et ad nos quam primum venire velis, illudque litteris tuis te nobis significare, tam gratum quam quod gratissimum erit. Vale Vir Celeberrime etiam atque etiam Vale. Dabam Lugduni Batavorum anno a Servata Salute CIↃIↃCCLXI die XVII Martii.

subjiciantur. Currus, quo vehi constituisti, Tibi vendendus est attingenti fines Hollandiae: inde iter faciendum navigiis vectoriis. Ligni et fornacum quantum satis est, hic reperies. Quae de coeli Batavi inclementia et aëre impuro Vitembergae jactantur, ab invidis conficta putato. Negari haud potest, coelum hic crebro mutari, interdum bis terve eodem die. Sed hiems multo lenior est, quam in Germania. Praeterita quidem hieme nec nivem nec glaciem oculis usurpavimus. Salubrem regionem esse, argumento sunt tot senes octogenarii, immo centenarii. In ipso ordine nostro ὁ πάνυ Hemsterhusius cum juvenili vigore annum septuagesimum septimum agit, summus Physicus, Musschenbroekius septuagesimum.

Crusius, cujus critica nemo Belgarum vel legit vel refellere dignatur, dicitur nescio quid habere Mstorum in Apollonium Rhodium, Argonauticorum scriptorem. Quod si illi cum aliis hujus generis, quae fortasse habet, quocunque modo eripueris, mihi gratissimum feceris. Procerum aliquis Bataviae, cujus mihi amicitia colenda est, vehementer a me petiit, ut sibi e Germania curarem *Philip. Jac. Lambacher* Dissertationem Ratisbonae haud ita pridem impressam, *Quo jure seu titulo usus sit Imp. Rudolphus I. cum ditiones Austriacas ab Ottocaro, rege Bohemiae, imperio vindicaret.* Obsecro Te, ut hanc Dissertationem mihi quovis pretio compares, et Tecum huc feras. Plura scribam alias. Vale, mi optime Rittere, et quam primum ad nos advola. Dab. Leidae d. 7. April. 1761.

---

## XV.

*AMICISSIMO VIRO,*

IO. DAN. RITTERO

DAVID RUHNKENIUS S. P. D.

Male sit iis, qui Te adhuc moris nectendis in Saxonia retinent. Nam et nos suavissimae consuetudinis Tuae fructu privant, et rei Tuae familiari insigne afferunt detrimentum. Equidem vellem, mense Junio hic esses, et sub ejus finem sollemnem orationem haberes, propterea quod ex eo die et salarium et fructus ex Promotionibus, qui uberrimus est, ad Te redire incipit. Nec est, quod jurisjurandi veniam diutius exspectes. Nam postquam Tu ejus remissionem vere et ex animo petiisti, Te eo solutum esse putamus. Nemo certe Maecenatum nomen Tuum ideo detestabitur, cum sciant, totam illam jurisjurandi remissionem plus habere cerimoniae, quam verae rei. Aedes angustiores, de quibus nuper scripsi, alteri cessi, Tibique amplissimas, quae orientem spectant, exiguo aere, 340 Florenis in biennium conduxi. Mihi crede, ne votis quidem meliores fingere posses. Nulla Batavi subsidia solvunt Saxoniae Electori. Quae si vel maxime solvenda essent, non tamen fert reipublicae nostrae consuetudo, ut privati hominis rem publicam et suam faciat. Quid? ipse Saxo totus in aere Batavorum est. Illustrissimi Curatores, quibuscum, quae voluisti, ex literis Tuis communicavi, nuper illustre benevolentiae erga me suae documentum extare voluerunt, Graecarum literarum docendarum provinciae, quam habebam, adjicientes Historiarum et Eloquentiae Professionem, quae Cel. Oudendorpii morte vacare inceperat. Quod novum munus sub finem mensis Septembris sollemni oratione auspicabor. Videor mihi satis versatus esse in historia veteri.

At in illa, quae medii aevi dicitur, Te magistro utar. Trillitschii in Apollonium notas non magnopere curo. Putabam, penes Crusium ejus poëtae exemplar esse cum Codd. MSS. collatum, vel scholiis antiquis locupletatum. Est, puto, in amicis Tuis Heynius, Tibulli editor, omnium, qui ex Ernestina disciplina prodiere, meo judicio princeps, cui incerto Lare, ut audio, vaganti auctor sim, ut in Belgium migret, ubi ut ipsi bene sit, facile effectum dabo; modo mores hominis respondeant ingenio et doctrinae. Legi puer in Germania Jani cujusdam, ni fallor, levem nec magni momenti libellum de Doctoribus umbraticis. Quo cum mihi cum maxime opus sit, illum Tecum feras, rogo. Vale, mi suavissime Rittere, et, ruptis impedimentis, quam primum ad nos advola. Quod si Tibi diutius ibi haerendum est, certe praemittas supellectilem, bibliothecam, etc. Dabam Leidae d. 25 Maji 1761.

## Indiculus Professorum Academiae Leidensis.

Facultas Theologica: Ioannes Alberti. Bernardinus de Moor. Ioannes van Schelle. Facultas Juridica: Jo. Conr. Rucker. Gerlacus Scheltinga. Andreas Weis. ..... Facultas Medica: Bern. Siegfr. Albinus. Adrianus van Royen. Hieron. David Gaubius. Fridericus Albinus. Facultas Philosophica: Petrus Musschenbroek, Physices Prof. Tiber. Hemsterhuis, Graecae linguae et Historiae Batavae Prof. Joan. Lulofs, Philosophiae et Matheseos Prof. Jo. Jac. Schultens, Orientalium Linguarum Prof. David van Royen, Naturalis Historiae et Botanices Prof. Dav. Ruhnkenius, Historiarum et Eloquentiae Prof. Pybo Steenstra, Matheseos Praelector.

Nullus hic Professor extraordinarius, nullus Doctor vel Magister legens. Recte enim judicant Belgae, nullam

praesentiorem Academiarum pestem esse, quam Doctorum multitudinem.

---

## XVI.

## *VIRO AMICISSIMO,*

## IO. DAN. RITTERO

## DAVID RUHNKENIUS S. P. D.

Mensem et amplius literas Tuas de die in diem avidissime exspecto, nec quae tam diuturni silentii causa sit, ulla assequi conjectura possum. Nullus facile dies praeterit, quo non vel Curatores vel Collegae ex me quaerant, quando ad nos venturus sis. Quibus cum nihil quod respondeam habeo, rursus variis suspicionibus locus datur. Me quidem sollicitum non esse sinit animi Tui magnitudo et integritas, tot aliis rebus cognita et spectata. Non ii sunt mores Tui, ut fidem, quam splendidissimis viris sancte et sollemniter dedisti, quocunque praetextu fallere possis. Sed forte Te adhuc ludificantur Dresdenses: forte aulici Warsovienses literas Tuas supplices contemtim abjecere, altero anno, si commodum fuerit, illas inspecturi. Quin Tu exire propera ex illis terris, ubi potentes nebulones liberum hominem, tanquam vile mancipium, risum jocumque faciunt. Quod si Tibi Rex ipse missionem negat, quid est, quare nos hac de re non certiores reddas. Nam quod Tibi impetrare difficile est, facile Hollandiae Ordines per legatos suos impetrabunt. Dixit mihi Batavi nominis princeps, Comes Bentinkius, se eos in aula Regis vestri amicos habere, facile ut quidvis ab iis impetrare possit. Aget etiam caussam Tuam Cauderbachius, legatus Saxonicus: aget Comes Bruhlius junior, qui hic est. Vides, quam dispar sit ratio nostra et Tua. Nos de Te quotidie laboramus. Tu nullius rei nobis no-

titiam impertis, et vero me etiam, quo meliorem amicum ne fingere quidem potes, literarum Tuarum suavitate privas. Fac igitur, quam primum ad nos de omnibus rebus quam accuratissime scribas. Vale, mi suavissime Rittere. Dab. Lugduni Batavorum d. 26. Junii 1761.

---

## XVII.

## IO. DAN. RITTERO,

*AMICO SUAVISSIMO,*

DAVID RUHNKENIUS S. P. D.

Incredibilem in modum gaudeo, Te tandem missionem impetrasse. Rumpe igitur moras, et quamprimum advola in amplexus nostros. Vellem hic potius esses medio mensis Augusti, quam circa finem. Nam initio Septembris jam habenda est oratio: quae ut ingenti, quam concitasti, ingenii et doctrinae famae respondeat, operam dabis. Solet hic ex Orationibus augurium capi successus futuri. Sequenti hebdomade ad Te mittam literas publica fide munitas, quae Tibi, uxori et filiabus securitatem praestent. Sed alteras, quas duo Comites Tui secum ferant, mittere non possum, propterea quod nomina juvenum in literis exprimenda addere neglexisti. Nec, si quid video, talibus literis opus habent. Nam qui Albi devehuntur Hamburgum, cum nullis occurrant Gallis aut Hanoveranis, satis muniti erunt literis legati Verelstii. Ancilla, quae aedes praeparet et servet, conducetur. Juvenes, cum hic venerint, me quaerent, ut illos in aedes deducam. Vinum etiam curabitur. Sellas pulchriores Tecum feras: viliores facile parabuntur. Proximum iter Tibi erit per Brunsvigam, et Osnabrugam usque ad Amstelodamum: quo Tibi obviam irem, si ad-

ventus Tui dies mihi cognitus esset. Sed hunc definire ne ipse quidem poteris. Haec scripsi eodem die, quo literas Tuas accepi. Ernestum nostrum meo nomine saluta, et ex eo quaere, an ipsi redditae sint Collationes Orphicae, cum Gesnero communicandae. Vale, mi optime Rittere. Dab. Leidae d. 21 Julii 1761.

---

## XVIII.

## RITTERO SUO

## DAVID RUHNKENIUS S. P. D.

Non dubito, quin Tibi redditae sint literae publica Ordinum fide muhitae. Sed aliis adhuc Tibi opus est, ut navis portum Amstelodamensem sine ullo vectigali intrare possit. Quae ante mitti non possunt, quam a Te enumerata est potior supellex Tua, et commemorata nomina duorum juvenum, qui illa navi vehuntur. Haec ut quamprimum Gallico sermone expressa ad me mittas, Te etiam atque etiam rogo.

Heynium meo nomine salutes, eumque moneas de mittendis curis suis posterioribus in Epictetum, quas Roterodamensibus promisit. Equidem ut dignum hoc labore praemium ad eum perveniat, diligenter curabo. Vale, mi optime Rittere, et adventum Tuum matura. Dab. Leidae d. 2. Aug. 1761.

---

## XIX.

## CARISSIMO RITTERO SUO

## DAVID RUHNKENIUS S. P. D.

Magnas animo meo molestias literae Tuae abstersere

Nam, ut verum dicam, illud tam diuturnum silentium et mihi et Curatoribus suspectum esse incipiebat: id quod etiam testatus sum literis ad Ernestum scriptis. Itaque nunc tanto magis gaudeo, Te magno et constanti animo in consilio, quod semel suscepisti, perstare. Quid vero dicam de istis aulae mancipiis? Qui etsi belli calamitate ad satis humilem conditionem detrusi sunt, tamen non cessant tyrannica imperia in te exercere. O! mi Rittere, quantocius ab his fugias, et nobiscum auream Batavorum libertatem gustes. Nos hic omnes reges sumus, in quos nemo mortalium imperium habet. Legibus tantum aequissimis paremus. Quo tempore literae Tuae mihi redditae sunt, ad Allamandum, collegam meum, etiam Varsovia pervenere literae Vatelli. Is de missione Tua cum Bruhlio ipso agens, responsum tulit, Te novo Regis beneficio esse auctum, et migrandi consilium jam abjecisse. Quod miranti Vatello alii etiam aulici confirmarunt. Ego vero hoc quam falsum et mendacii plenum sit, Curatoribus ex literis Tuis demonstravi. Heri Comes Bentinkius, Curatorum princeps, hac ipsa de re literas ad Bruhlium dedit. Quodsi hoc tempore legatum Varsoviae haberemus, is Ordinum Hollandiae jussu negotium facile expediret. Neque enim, ut tu putas, Hollandiae Ordines privatorum res negligunt, sed non temere faciunt suas. Argentum, quod Rex Tibi debet, non sibi deberi dicent, sed tamen regem amice per legatos monebunt de residuo stipendio solvendo. Equidem, si diutius missio negetur, tibi auctor sum, ut aufugias, aedesque procuratori vendendas relinquas. Jurisjurandi quidem religione Te absentem solvent Vitembergenses; Regisque animus si forte fuga offensus fuerit, a Proceribus reipublicae nostrae lenietur. Paratus est tibi apud nos portus maxime tranquillus, in quem confugias tot adversae fortunae fluctibus jactatus. Si qua rei familia-

ris jactura facienda est, id pro nihilo ducas. Nam cum maxima Tui per omnem Bataviam sit exspectatio, huc delatus brevissimo tempore colliges ingentem vim pecuniae. A Curatoribus vero majora etiam, quam polliciti sunt, suo tempore exspectare debes. Illi omnes Tibi unice favent, sed dolent et tua et Academiae caussa, negotium ita tardari. Profecto magnum Academiae nostrae detrimentum absentia Tua affert, propterea quod nemo hic est, qui jus publicum docere possit. Plura scribere, tempore exclusus, non possum. A Te vero peto, ut in posterum minus negligens sis in literis scribendis. Nam quotidie Proceres ex me quaerunt, quo in loco sint res tuae. Vale, mi optime Rittere, et iter Tuum matura. Dab. d. 9. Septembr. 1761.

Ancillam Tibi nuper conduxi, nondum facturus, si illam moram praevidere potuissem. Emi etiam sellas quasdam viliores, aliaque ad aedes verrendas et nitidandas pertinentia.

---

## XX.

## RITTERO SUO

## DAV. RUHNKENIUS SALUTEM.

Cum ante aliquot dies ad Te scriberem, unum et alterum Curatorum, non ipsum Collegium, convenire licebat. Itaque postea demum intellexi, illos tuum tam diuturnum silentium minus patienter tulisse, et scriptis per Amplissimum van Royen literis hujus rei caussam a Te quaesivisse. Quas literas, non dubito, quin per Illustrem Verelstium recte acceperis. Omnino vix credas, quanto cum Academiae detrimento absentia Tua conjuncta sit. Finitis Vacationibus Professores ad lectiones habendas

redire. At juvenes illustres, praesertim ex peregrinis regionibus huc delati, cum publici Juris doctorem non inveniant, Ultrajectum vel in alias Academias discedunt. Per semestre tempus, Tua caussa, hic tenui duos Comites Austriacos a Tun, et Marchionem Italum Brentanum, qui tandem alio sunt profecti. Adhuc teneo Comitem a Podewils et aliquot alios. Nec illa mora Academiae modo, sed tibi etiam grave damnum affert. Perdis enim, praeter salarium, luculentum ex quotidianis fere Promotionibus reditum. Hanc opimam praedam nunc soli partiuntur Ruckerus et Scheltinga. Profecto munus Tibi delatum plus habet emolumentorum certissimorum, quam Tibi initio scribendum duxi. Volebam enim, Te, cum huc venisses, omnia verbis meis majora invenire. Sic nihil scripsi de Academiae rectura, quam jam tertio abhinc anno series ad Te deducet: ex qua 800 floren. lucraberis. Nihil de Academiae Secretariatu, ex quo suo tempore multo majus lucrum, 1200 floren. habebis. Haec omnia mihi quidem tanti videntur, ut, si mei res esset arbitrii, illa vel bonorum Wittenbergensium jactura redimerem. Heri conventus Curatorum est habitus, et ipse ad splendidissimum Collegium vocatus, tuas literas ostendi. Aegre ferebant, novas difficultates esse exortas, mihique mandabant, ut literis ad Te scriptis iter tuum quacunque ratione urgerem, Teque suo nomine monerem, ut singulis hebdomadibus (nulla praetermissa) vel ad me vel ad Secretarium suum scribas, quo in loco sint res Tuae. Nam si forte, id quod non sperant, missio Tibi diutius negetur, res ad Hollandiae ordines deferetur, ut hi ipsi cum rege agant. Interea literae datae sunt ad Brahlium, aliosque Aulae Saxonicae Proceres. Vides, mi Rittere, quam carus acceptusque omnibus venturus sis. Rumpe igitur moras, et Te Tuosque transfer in cultissimam gentem, quae tantum meritis Tuis pretium statuit, et

una totius Europae doctorum hominum labores digne remuneratur. Vale, mi optime Rittere. Dab. Leidae. d. 15. Sept. 1761.

---

## XXI.

## RITTERO SUO

## DAV. RUHNKENIUS S. P. D.

Spero Te accepisse literas, quas epistolae ad Cl. Ernestum inclusas ad Te misi ante hos quatuordecim dies. Eodem tempore Illustrissimi Curatores ad Te scripsere, tempus huc migrandi Tibi praefinientes. Nudius tertius aliae mihi a Te literae redditae sunt, quae Cl. Heynii epistolam adjunctam habebant. Ex iis invitus vidi, Te missionem adhuc frustra exspectare. His diebus etiam huc perlatae sunt literae diu exspectatae Comitis Bruhlii et Vattelli, quae lectae animum meum prope perculerunt. Scribit enim Bruhlius, Te ipsi majus desiderium in Saxonia manendi, quam ad Batavos eundi, ostendisse, si stipendium Vitembergense augeretur. Addit porro, se totum negotium tuum consilio Dresdensi delegasse, nec ullo modo impedire, quin alibi lautiorem conditionem accipias. Hoc ipsum pluribus verbis confirmavit Vattellus, testem etiam citans Secretarium regium, qui ei tuum in patria manendi desiderium confirmarat. Sed haec levia sunt prae iis, quae, ut audio, Procerum Dresdensium aliquis, Tibi minime favens, ad amicum Haganum scripsit, nempe Te consilium in Bataviam migrandi plane jam abjecisse, sed rem tantum ducere, et vocationem Leidensem passim jactare, ut lautius salarium a Dresdensibus exprimas. Haec quo dolore legerim et audierim, dici vix potest. Animadverteram ex nuperis literis

Tuis, animum Tuum, uxoris forte precibus delinitum, vacillare. Sed me confirmarunt literae a Te ad Curatores scriptae, quibus ardentissimum huc veniendi desiderium ostendebas. Neque vel nunc credo, vel unquam credam, qui generosam Tuam simplicitatem, candorem et honestatem saepe multumque perspexi et admiratus sum, hanc adeo nefariam fraudem in Te cadere posse. Itaque patrocinium Tuum apud Curatores suscipio, eorumque Tibi benivolentiam conservo. Enimvero omnes illae calumniae non certius refutari possunt, quam si, ruptis moris, vel ipse statim huc venias, vel κατηγορικῶς diem, quo iter suscepturus sis, definias. Satis jam scimus, nec regem Te retinere, nec Bruhlium. Quid Tu igitur curas Dresdenses, ubi plures inimicos habes, quam amicos? An tu vereris, ne Tua sine missione abeuntis bona fisco addicant? Hic metus et mihi et Curatoribus vanissimus videtur. Invenimus hic tandem in Batavia, qui unus apud Bruhlium potest omnia, et qui, si bona tua vexare audeant, caussam tuam aget tum apud Bruhlium, tum apud ipsum regem. Is est Illustrissimus Calcoen, antehac reipublicae Legatus in aula Dresdensi, regi eximie carus, Bruhlio vero intimus. Quae cum ita sint, per Deum immortalem, et per tenerrimum meum erga Te amorem, Te, mi Rittere, oro quaesoque, ut, missis ambagibus, fidem, quam maximis viris sanctissime dedisti, praestes, et omnibus ostendas, Te maxima quidem eruditione, sed majore virtute praeditum esse. Adest temporis articulus, a quo omnis reliquae vitae Tuae sors pendet. Felicem Te, si te beata Batavia sinu suo excipiat et molliter foveat: miserum, si nescio quo incerto lucro illectus, Vitembergae haereas. Mecum quin sentiant Ernestus et Heynius, nullus dubito. Vale, mi optime Rittere, et vola in amplexus nostros. Dab. Leidae. d. 13. Novembr. 1761.

---

## XXII.

## *VIRO AMICISSIMO,*

## IO. DAN. RITTERO,

## D. RUHNKENIUS S. P. D.

Literas Tuas recte accepi. Legi etiam eas, quas ad Curatores dedisti. Sed nihil certius attulerunt, quam superiores omnes: id quod tamen Curatores omnino exspectassent. Illi igitur persistunt in consilio semel suscepto, nisi hic fueris tempore definito, appellandi alterum; inprimis postquam ex literis Varsoviensibus, ut nuper Tibi scripsi, intellexerunt, nec regem te retinere, nec Bruhlium. Disseminarunt etiam Dresdenses quidam literis ad Batavos scriptis, Te cum Saxoniae proceribus nundinari, et tum demum ad nos iturum, si Tibi Grellianam professionem negent. Quid jam reliquum est, mi carissime Rittere, nisi ut Te per Deum immortalem orem, velis moras, quarum dudum Curatores *m)* taedet, rum-

---

*m)* Quam impatientes morae fuerint Curatores academiae, testantur litterae ab Io. van Royen ipsorum nomine ad Ritterum datae, quas hic posui. *F.*

1) Si quid unquam praeter exspectationem nostram nobis fortuito obvenerit, istud certe morae sunt, Vir Clarissime, quas nectis, nobis Academiaeque nostrae non minus damnosae, quam, feriis aestivis ad finem perductis, importunae: Etenim jam dudum est, et de te nihil ex litteris tuis, neque ad nos, neque ad alios datis, audimus, nihil, quod ad te pertinet, ad nos pervenit; solemne tamen nostrum vocationis diploma laetabundus accepisti, et secundum nostra vota ad id respondisti, Te scilicet Hollandiae Universitati dedisti, Te, ei, nobisque dicasti, addixisti, arctissimoque vinculo, data fide obstrinxisti; veremur itaque, ne belli in Germania saevientis calamitates, aliaeve minus idoneae rationes, (nam cur quaeso juris jurandi

pere, et huc stato tempore venire, vel certe diem abitus Tui κατηγορικῶς definire. Tunc enim summa a me opera

---

religione solutus amplius in Germania haeres) te nimis diu detineant, atque a nostra avertant Universitate: Salvos tamen praepotentium Ordinum foederati Belgii conductus, quos petiisti, ad te perferri curavimus, et insuper, ut quam primum Leydam veneris mille florenorum nostratium, pro impensis in itinere factis, tibi summa annumeraretur.

Tua igitur aeque ac nostra refert, ut quontocius sciamus, quid hac de re nobis statuendum sit, quae morae tuae causae sint, et qui earum finis sit futurus, ut si quid ope nostra tu indigeas tibi, omni, qua pollemus auctoritate, opitulemur, sin minus, ut omni deposita mora ad nos venias. Non igitur dubitamus quin lectis hisce litteris ipso quasi momento ad nos advoles, vel si vi quadam majori prohibearis, quo minus te itineri accingas, ista de re, ejusque causa, nos quam primum certiores facias. Vale, Vir Celeberrimo Dabamus Lugduni Batavorum anno a Servata Salute MDCCLXI die XXXI Augusti.

2) Literas, quas 27 Septembris die ad actuarium nostrum dedisti, nobiscum, ut mos et consuetudo ferunt, communicavit; Vidimus inde, Vir Clarissime, summo cum dolore, te non solum nihil certi adhucdum de tuo ad nos adventu statuisse, sed insuper omnia multo quam dudum incertiora reddere. Quantas istae morae nobis molestias creent, quanto taedio, tui desiderio, adficiamur, vix ac ne vix quidem percipere potes: Nam ut res nunc sese habent, licet ab una parte tua in rem literariam ingentia merita, solidam atque elegantiorem doctrinam, eo, quo par est, prosequamur favore et benevolentia, tibique, sarcinulis colligendis, veluti tuis commode disponendis, itinereque conficiendo, largius temporis spatium concedere exoptaremus, ab altera tamen parte salus Academiae, quae, ne quid detrimenti capiat, noster labor, nostra cura est, a nobis postulat, ut ratione muneris, nobis a summo Imperante demandati, abs te petamus, ut quantocius, atque omni mora deposita, ad nos venias; eo itaque redacti sumus, ut nostro erga te amori indulgere non amplius, nisi cum dispendio Academiae nostrae possimus. Id autem Vir bonus, id aequitatis, et juris doctor, id tu itaque Vir Clarissime a nobis ne quidem

dabitur, ut tempori a Curatoribus constituto aliquot dies addantur. Nemo hic credet, Saxones adeo crudeles futuros, ut, si absque missione abeas, aedes Tuas fisco addicant. Illustrissimus legatus Calcoen et ipsi Hollandiae proceres caussam Tuam apud regem agent. Immo si vel aliqua bonorum jactura Tibi sit facienda, certe, quae Curatorum est magnanimitas, hunc Tuum sibi devotum animum quocunque modo remunerabuntur. Cum aliis viris Tibi res erit, quam cum aulae Saxoniae nebulonibus. Non satis nosse videris Batavos, quorum est plus re praestare, quam verbis polliceri. Bibliothecam et supellectilem Hamburgum transferendam cures. Hamburgo naves, etiam per hiemem, ultro citroque Amstelodamum commeant sine periculo. Quodsi tamen times libris Tuis, relinquas eos cum supellectilis parte Hamburgi usque ad mitius tempus. Leida libris abundat: publica bibliotheca inter praecipuas Europae refertur, qua Professores utuntur ut sua. Supellex necessaria hic parvo aere in singulos menses conduci potest. Filiae parvae

---

desiderare velles: sed ut manifestum nostrae erga te benevolentiae documentum haberes, finesque nobis concreditae potestatis eo usque extendamus, quo per fas licet. En Vir Clarissime terminum adventus tui in Hollandiam aliquantisper prorogare nobis visum fuit, teque obtestari, ut ante finem labentis anni hic adesse velis: quod ni fiat, alia, nobis quamvis invitis, consilia capere extorquebit necessitas, qualia cum lege nobis suprema, nempe Academiae salute, plurimum convenire ex animo judicabimus. Istud autem nec nobis gratum, nec tibi proficuum fore praevidemus, ideoque te iterum atque iterum rogatum volumus, ut nobis quam primum literis tuis exoptatissimis, ad Virum Illustrissimum Veresltium, qui eas ad nos perferri curabit, mittendis, significes, te praestituto tempore Leydam adventurum: Vale Vir Celeberrime diuque in Reipublicae literariae bonum salvus sis atque superstes: Dabamus Lugduni Batavorum XXVII Octobris MDCCLXI.

contra frigus satis munitae erunt tecto vehiculo. De latronibus quae narrantur, mihi crede, falsa sunt omnia. Quotidie mercatores nostri iis in locis sine ulla cujusquam injuria peregrinantur, ne muniti quidem literis Ordinum Hollandiae et regis Borussorum, quas Tu habes. Sed quid si solus cum studioso juvene iter suscipias, uxorem liberosque relinquens Vitembergae vel Lipsiae usque ad vernum tempus? Facile tunc Curatores Tibi commeatum dabunt, ut per tres quatuorve hebdomades in Saxoniam remees, et Tuos huc ducas. Hoc consilium ut Tibi darem, mihi auctor fuit Amplissimus van Royen. Scribis, Te sub finem hujus mensis nos certiores redditurum, quid consilii tandem ceperint Saxoniae Proceres. Haec locutio a Te saepe usurpata minus placet Curatoribus. Tuum consilium cognoscere cupiunt, non Saxoniae Procerum. Tu ut liber homo fidem Tuam adstrinxisti, et Curatores prope per annum suspensos tenuisti: ergo Te ut liberum hominem fidem praestare decet. Quid enim? Si proceres illi, lucro quodam Tibi objecto, decernant, Tibi Vitembergae esse manendum? An Tu, mancipii instar, eorum decreto obedies? nos Batavos valere jubebis? Per sanctissimam amicitiam nostram Te quaeso et obtestor, ne tali eorum decreto obtemperes. Cogita, quid Tua caussa fecerim, et quam mihi innocenti apud Curatores invidiam et odium contracturus sis, si promissa toties iterata, post tantum temporis intervallum, fallas. Non tales gratiae mihi a Te referri debent. Sed ego fausta omnia ominor. Una Leidae conjunctissime vivamus, et moriamur. Omnia quin Tibi hic placitura sint, dubitare noli. Vidi multas Europae regiones: nondum beatiorem Batavia. Sed finem scribendi faciam, si illud unum adjecero. Omnes Collegae mei vere, ut mihi videtur, judicant, Te pessime rationibus Tuis consulere, cum aedium Tuarum

aussa tam diu Vitembergae restas, perdens ex altera
arte prope valorem aedium. Nam si huc stato tempore
enisses, jam quatuor millia florenorum lucrifecisses.
quidem nescio, qui sint consiliarii Tui Sed quicunque
unt, stulti et infideles sunt. Utinam semper Ernestum
ostrum audiundum putasses! Bene vale, etiam atque
tiam videns, ne Tibi Leidensis conditio elabatur: quam
misisse, Te postea, sat scio, aeternum poenitebit. Diem
rofectionis Tuae Amplissimo van Royen singulari epi-
tola significabis. Dab. Leidae d. 1 Decembr. 1761.

---

## XXIII.

O! mi Rittere, quid in Te commeruerunt Curatores
eidenses, summo splendore et singulari integritate viri,
t eos aperte fallas, et ludibrio habeas? Quid ego, ut
ecum, cujus candorem novit Deus, parum candide agas?
ccepi literas Tuas die 3 Decembr. scriptas, quibus
lium colorem inducere conaris iis, quae hic literae Var-
ovienses vulgarunt. Sed illa veriora esse, quam quae ex
pollinis tripode dicuntur, nos docuit ipse Praeses Glo-
igius. Adjeci *n*) epistolam, quam quanto ego cum stu-

---

*n*) Excerptum e literis viri Amplissimi, Des Bordes, Secretarii Legationis Batavae, Belgico sermone scriptis, ad Illustrissimum Legatum, Calcoen.

Nihil intentatum reliqui, ut veras caussas indagarem, quae Cl. Ritteri migrationem ex Academia Vitembergensi morantur. Adii etiam Illustrissimum Praesidem a Globig, ut ex eo cognoscerem, an mandatum hac de re Varsovia ad Consistorium pervenisset. Dixit ille, ne minimum quidem hac de re Varsovia ad se scriptum esse, sed scire se, negotium illud ad Consilium intimum delegatum esse, ut Consiliarii super hac re sententiam suam Bruhlio indicarent. Simulatque aliquid certi statutum erit, ipse Globigius Te, vir Illustrissime, certio-

pore legi, tanto tu leges cum conscientiae aestu. Patefacta tandem sunt omnia consilia. Tu ipse, cum missione impetrata abire potuisses, mutato consilio Vitembergae restitisti, ut Juridicam Professionem ambires. Hinc omnes, quae consecutae sunt, turbae. Bone Deus! in quam perniciem ruis uxoris blanditiis occoecatus. Vere divinavit jam dudum Ernestus noster, uxoris consilium Te perditurum. Vides nunc, illos ipsos aulicos, quos Tu patronos Tuos credis, Te apud nos prodere, et detestari agendi rationem, qua adversus Curatores uteris. Quid Curatores, talibus literis lectis, judicent, facile est tibi ad existimandum. Scripsi Tibi ante hos quindecim dies, illos terminum non prorogaturos. Quod multo aegrius facient post illas literas Dresdenses, quarum hic exemplum habes. Res igitur prope perdita et conclamata

---

rem reddet. Interim Amplissimus Praeses ille mihi in aurem dixit, Cl. Ritterum veniam non impetraturum. Cum provectus familiari sermone ex eo quaererem, quae tandem hujus rei caussa esset, cum Cl. Ritterus vocationem accepisset, et fidem suam Batavis dedisset; respondit ille, Cl. Ritterum superiore aestate, nemine impediente, abire potuisse, si Dimissione, quam Consistorium dederat, uti voluisset: sed illum non contentum hac Dimissione, se vertisse ad Consilium intimum, et sic porro Varsoviam, dicentem, se non posse subsistere tanquam Professorem Historiarum, nec ullos sibi reditus esse ex Professione Juris extraordinaria, ideoque se consilium cepisse meliorem conditionem alibi quaerendi; nisi forte ipsi Professio Juris ordinaria deferretur: tum enim se abeundi consilium abjecturum. Addebat Praeses, uxorem Cl. Ritteri nolle maritum sequi in exteras regiones. Sed ut mihi ulterius de ipso Cl. Ritteri animo constaret, conveni Secretarium Illustrissimi a Saul, quem audiveram amicum esse Ritteri, ab eoque petii, ut per literas a Cl. Rittero rationes exquireret, quae abitum ejus morantur. Scripsit ille Secretarius ad Ritterum, et brevi responsum exspectat, quod Tecum, Vir Illustrissime, communicabo. etc.

est, nec restitui potest, nisi his modis, ut vel ipse statim solus huc advoles, uxore et liberis in Saxonia ad tempus relictis, (ut nuper Tibi scripsi) vel quam ocissime literas supplices ad Curatores mittas, quibus denuo fidem Tuam adstringas cum capitis devotione, si fallas, et Numinis immortalis obtestatione, sanctissimeque promittas, Te brevi hic futurum, spretis et contemtis regis, Bruhlii, Dresdensium minis vel interdictis, addas denique, Te ipsa praesentia Tua ostensurum, omnia, quae de Te vulgata sunt, columniarum loco esse habenda. Nam si Curatores Te hic viderint, facile ea, quae minus ingenue acta sunt, oblivioni tradent. Interea ego Curatorum praesidem, Comitem a Bentink, et Illustriss. de Witt supplex orabo, ut Tibi terminum paullo longiorem concedant. Fac igitur, literae Tuae quam citissime ad Curatores perferantur. Magna cum voluptate ex ultimis literis intellexi, Te ardere cupiditate ad nos migrandi. Utinam Deus hunc ardorem perpetuum esse jubeat. Verum ego etiam atque etiam vereor, ne, si interea Crelliana Professio Tibi offeratur, Tu rursus nos ludas, et Vitembergae maneas. Quod si Tibi facere animus est, melius erit, nihil ad Curatores scribere, et totum negotium pro deperdito habere. Nam etsi mirus simulandi artifex, Bruhlius scribit, Te bona cum venia sua abire posse, fieri tamen potest, ut aliter agat, quam scribit, Tibique illam Professionem deferendam curet. O! Te mortalium miserrimum, si, hac offa objecta, dimittas lautissimam Leidensem conditionem. Equidem meliora ominor. Sed si forte migrandi ad nos consilium abjicias, quam primum me certiorem redde, ut aedes Tibi conductas alii cedere possim, ne hinc Tibi etiam majus, quam adhuc factum est, detrimentum nascatur. Ancillam jam ante duos menses dimisi. Facile enim, si veneris, aliam inveniam. Hic finem facio scribendi Te ob-

secrans et obtestans per Tuam et Tuorum salutem, per amicitiam nostram sanctissime cultam, per quicquid denique Tibi carum est, ut, ruptis omnibus impedimentis, huc quantocius confugias in tranquillum verae felicitatis portum. Vale, mi carissime Rittere, et ama Tuum Ruhnkenium. Dab. Leidae d. 18 Decembr. 1761.

Viduae Professorum hic etiam immunitate cum liberis gaudent. Hoc addo non per jocum, sed serio. Si filiae Tuae pulchritudine excellant, hic illis paratae sunt conditiones luculentissimae. Nam multi omni tempore in Batavia juvenes sunt regalibus divitiis abundantes, qui pulchras uxores in matrimonium quaerunt, nulla vel dotis vel religionis ratione habita.

---

## XXIV.

## *VIRO AMICISSIMO,*

## IO. DAN. RITTERO

## DAV. RUHNKENIUS. S. P. D.

Speraveram, Te tandem aliquando certi quid constituturum: et te constituisse, ex literis ad me tuis conjiciebam, quibus scribebas, te talem Curatoribus fidem dedisse, de qua nemo dubitare posset. Sed lectis literis, quas ad Curatores dedisti, vidi hanc fidem vanissimam esse, quippe quae pendet ex mera regis vel Bruhlii libidine. Si ille te dimissurus est, venies: sin minus, etc. Verum Curatores non adeo stulti sunt, ut diutius a Bruhlii arbitrio pendere velint, praesertim cum ex literis Varsoviensibus et Dresdensibus, quae huc frequentissime afferuntur, satis cognoscant, te abeundi veniam a Bruhlio non impetraturum. Interim supplicando, et singulis Curatoribus demisse appellandis effeci, ut Curatores negotium tuum differrent usque ad proximum con-

rentum, qui erit sub hujus mensis finem. Quid tum lecreturi sint, nescio. Variant enim sententiae. Alii nim tibi nuncium remittendum censent *n*): alii tot dies tibi oncedendos, quot opus est ad iter in Hollandiam faiundum. Iam etiam animo designarunt, quem, si tu romissa fallas, appellent. Is est Pestellus Junior, Professor Rinteliensis, vir elegantissimus, et qui supra vulus sapit. Tu videris, mi Rittere, quid Tibi faciundum it, utrum Vitembergae in miseria et vilissima servitute onsenescere malis, an apud Batavos in summa libertate mnium bonorum copia circumfluere. Conditiones lauiores, quam Curatores Tibi jam obtulerunt, absens ab s exspectare noli, praesertim cum iniquissime ferant

---

*n*) Factum hoc tandem, ut apparet ex litteris ab eodem *I. van Royen* ad Ritterum Curatorum nomine datis. *F.*

1) Perlectis, quas ad nos, die 9 Januarii labentis anni dedisti literis, e re nostra judicavimus, tandem aliquando moras, quas sine more modoque nectis, Vir Celeberrime, amputare; tibi septimum futuri mensis Maji diem, tanquam ultimum adventus tui in Hollandiam terminum praefigere, simulque te certiorem reddere, nos, si praestituto tempore non adsis, insequenti die Juris Publici ac Privati professionem ordinariam in Universitate nostra in alium collaturos. Vale.

Dabamus Hagae Comitum d. 26 Martii a. 1762.

2) Quoniam praestituto tempore ad nos venire detrectaveris, salus Academiae, cui nomine summi Imperantis praesumus, a nobis postulat, ut tibi nuncium, praesentibus hisce literis, remittamus, teque certiorem faciamus, nos, totos in eo esse, ut quamprimum vacantem in Universitate nostra Juris publici ac privati professionem, in alium conferamus.

Ea, vir Celeberrime, nos utrimque ab omni vinculo solutos, te, quod ita tibi placuerit, nos quod jurejurando nos obstrinxerimus videre, ne quid detrimenti caperet Academia, nostrae curae concredita.

Ita Vale, resque tuas feliciter age.

Dabamus Lugduni Batavorum die XVII Maji a. MDCCLXII.

longas et inauditas moras. Si huc veneris, et maximae, quam de Te habent, exspectationi satis feceris, omnia summa ab iis exspectare potes. Tenent enim hanc consuetudinem, ut Professoribus pro utilitate, quam Academiae praestant, salaria augeant. Mille floreni primo statim die, quo huc veneris, Tibi solventur. Scribis, solum stipendii residuum Te impedire, quo minus absque missione abeas. Miror credulitatem Tuam, qua in spem venis, tibi illud residuum aliquando solutum iri. Ne teruncium quidem inde accipies, etiamsi Vitembergae maneas. Novimus enim res Saxoniae ita afflictas esse, ut princeps de residuis solvendis vix post triginta annos cogitare possit. Praeterea bellum tantum abest, ut sopiatur, ut potius de integro exardescat. Equidem magno dolore afficior, quod videam, spem Te in Hollandia amplexandi in dies magis evanescere. Feci tua caussa, quod pro nemine mortalium me iterum facturum, certo scio, et infinitas molestias prensando, supplicando, scribendo exhausi. Has molestias jam auget mercator Leydensis, I. van Ingen, mercedem a me postulans pro aedibus, quas ut mandatarius tuo nomine conduxi. His molestiis ut me liberes, a Te etiam atque etiam peto. Semel atque iterum tibi auctor fui, ut relicta ad tempus uxore, solus huc venias et praesens negotium tuum transigas cum Curatoribus. Quaesivit unus ex Curatoribus, cur hoc consilium non sequereris? Respondi, Te hiemis inclementia impediri. Ergo, inquit ille, Legatus Verelstius huc mense Januario venire potest: Ritterus non potest. Aut mollem eum esse oportet, aut senem decrepitum. Utinam, mi Rittere, Deus hanc tibi mentem det, ut lectis his literis quam primum ad nos advoles. Prae gaudio vix apud me essem, talis felicitas si nobis obtingeret. Vale, mi optime Rittere, et e servitute te vindica in libertatem. Dab. Leidae d. 9. Februar. 1762.

---

# EPISTOLAE
## D IAC. PHIL. D'ORVILLIUM DATAE.

---

### I.

*VIRO AMPLISSIMO,*

I. P. D'ORVILLIO

DAVID RUHNKENIUS S. P. D.

)iutius quam par est scribendi vel potius gratias agendi ficio defui: quamquam tantum abest, ut singularia, ıibus me ornatum dimisisti, beneficia memoria excide- ıt, ut potius quotidie occasionem captaverim, qua gra- m animum Tibique perpetuo devotum quodammodo stari possem. Circumspicienti igitur commode se ob- am tulit Barnabas Brissonius, cujus emendandi quon- m initium, nunc finis curae qualicunque meae erat mmissus. Tu vero, summe Vir, hoc munusculum se- na, ut soles, fronte accipias, neque tam quid benefi- ›rum tuorum magnitudini conveniat, quam, quid a bis proficisci possit, expendas. Erit fortasse brevi alius cus, quo, quanta mea erga Te etiam nunc sit pietas, ıanta virtutum tuarum admiratio, publice profiteri li- bit. Clar. Alberti studium, quod Hesychio edendo na- t, aliis negotiis adeo intercipitur, ut omni illo tem- re, quo Leidae vixi, ne plagula quidem sit excusa. terea, dum aliud nihil est, quod agam, omne tempus nsumo in vetustis Bibliothecae publicae membranis cutiendis. Sed hoc ex labore cum, quantum animus ilitatis, tantum res familiaris detrimenti capiat: Te, ustris Maecenas, per eximiam illam humanitatem, qua mihi semper patronum adfuturum affirmasti, de- ssissime rogo, ut si dignus videar, alium mihi im- res vel conferendi, vel describendi laborem. Quod

quidem beneficium cum apud hominem negotii demandati satagentem, tum apud summe gratum Te collocasse experieris. Bene vale, Vir amplissime, atque sic existima, qui divinos Tuos in literis progressus intelligant multo me melius, habere te plurimos: qui laudi Tuae faveat studiosius, et munificentiam animo prosequatur gratiori, neminem. Dab. Leidae, d. 21. Aug. 1747.

Scriptis ad viros eruditos literis, diligenter cavi, ne quam amplius tibi molestiam exhiberent, epistolis Amstelodamum dirigendis: id quod jam antea nonnullis significaveram. Iis, qui longe aberant, commode non poteram. Tu, qua es animi magnitudine, hoc mihi vitio haud vertes. Salvebis a VV. CC. Oudendorpio, Alberto, Hemsterhusio, Rövero.

---

## II.

## *ILLUSTRI VIRO*

## I. P. D'ORVILLIO

## DAV. RUHNKENIUS S. P. D.

Nae tu χάλκεα compensas χρυσέοις. Quod dum praestas animo vere magno, vere paterno, antiquum illud tuum obtines. Verum ita Musas mihi propitias esse velim, ut Te nunquam liberalitatis erga me Tuae poeniteret. Utinam modo Deus hoc tibi otium faceret, ut, quae ad varios auctores divinitus a Te sunt observata, hominibus literarum studiosis impertire posses. Nam etsi ego non is sum, qui magnorum, qui nunc sunt, virorum laudibus detrahere aut possim aut velim: tamen hoc mihi vere videor posse affirmare, ne unum quidem esse eorum, qui purissimo illo et incorrupto Venerum antiquarum gustu Tecum certare possit. Summum numen

Te, optime Musarum pater, una cum filiolo Tuo nobis quam diutissime servet. Dab. Leidae, d. 25. Aug. 1747.

Vir amiciss. P. Wesselingius nuper dubitabat an liber, quem superiori anno jussu tuo emerat, recte ad Te sit perlatus. Sed forte res non est tanti, ut eum de hac sola certiorem faciundum putes.

---

## III.

## *VIRO AMPLISSIMO*

## I. P. D'ORVILLIO

## DAVID RUHNKENIUS S. P. D.

Cum his diebus Bibliothecam Crucianam, mox divendendam, excuterem, ea mihi detexisse visus sum, de quibus pro eo, quod tibi debeo, officio certior a me faciundus esses. Scias igitur, in hac Bibliotheca, etsi Catalogus nihil prodit, tamen extare Virgilium, duo Horatii exemplaria, Plautum, Terentium, Censorinum, Boethium, Lucianum vel collatos cum MSS. vel notatos ab Heinsio, Io. Frid. Gronovio, Guilielmo Goesio, aliisque. Hic etiam apparet Harpocration Aldinus tritus manibus Clarorum hominum, Xylandri, Sylburgii, Fabri, Heinsii, et Rutgersii: e quo nonnulla dedit Iacobus Gronovius dedissetque plura, nisi hoc ipsum exemplar ei furto esset surreptum.

Corpore Historiae Byzantinae Parisiensi nihil unquam vidi magnificentius. Videtur donum Regium fuisse. Insignia certe Regis Galliarum ligatura praefert. Inter caeteros rariores libros eminent Suidas Aldinus, Claudianus anni 1482, Musaeus, Orpheus, et Callimachus apud Aldum, Demetrius Phaler. apud Morellium: quorum omnium singularis est nitor.

Tu, Vir illustris, pro Tuo in me jure, mihi emendi negotium impera; quod, quin summa et vigilantia et fide executurus sim, non est Tibi dubitandum. Nam etiamsi Amplissimis hominibus, qui me Leidae evocant, obsequar (qua de re adhuc delibero): tamen usque ad finem mensis Octobr. hic commorabor. Vale, Vir Magne, mihique, si merear, fave. Dab. Leidae, d. 23. Sept. 1747.

---

## IV.

## *ILLUSTRI VIRO*

## I. P. D'ORVILLIO

## DAVID RUHNKENIUS S. P. D.

Pauciores libros a Cruciana supellectile Tibi vindicare licuit, quam initio sperabam. Nam plerosque Vett. Auctores cum MSS. collatos immani pretio sibi redemit Petrus Burmannus. Quatuor tamen tibi obtigerunt pretio satis aequo. Corpus Historiae Byzantinae istis Heroibus non concedendum putavi. Regium hoc exemplum Regiae bibliothecae Tuae inserendum erat. Cumque meae etiam moderationi nonnihil commiseris, dedi id, quod si adfuisses, profecto ipse dedisses, nempe 390 fl. Non credebant Viri optimi, qui mihi ementi applaudebant, Oudendorpius et Röverus, huic exemplari simile aliud in toto terrarum orbe extare. Nam sola ligatura ad minimum centum et quadraginta florenis constitit. Equidem diligenter curabo, ut omnia sarta tecta ad Te perferantur.

Quod ad me attinet, constitui ulterius Leidae commorari. Malo enim parce ac tenuiter vivere, quam hominibus opulentis illis quidem sed ἀμούσοις operam meam

addicere. Quaerant isti sibi politulos Gallulos, quos filiorum studiis moribusque praeficiant: Utinam modo Tibi, Summe Virorum, tantum otii esset, ut mihi pensum, quod conficerem, imperare posses. Tum sane pulchrum me ac beatum putarem. Vale, Decus nostrum, nobisque fave.

Dab. Leidae, d. 16. Oct. 1747.

| | | |
|---|---|---|
| Corpus Hist. Byzant. | 390 fl. | |
| Horat. Cruquii cum Em. MSS. | 3 | |
| Terent. fol. cum MS. collatus | 7 | |
| Horat. Elz. notatus man. Heinsii | 2 | 4 |
| Boethius cujus princ. cum MS. collat. | | 14 |
| Serenus Sammon. | | 13 |
| Dissert. de Aqua salsa | | 4 |
| Incertus Poeta cum notis Opitii / Cabeljavii Epistolae | | 16 |
| Caosii Orpheus | | 11 |
| Corippus Ruizii | | 12 |
| Pinvieri Aenigmata | | 11 |
| | 414 | 5 |

---

V.

*VIRO AMPLISSIMO*

I. P. D'ORVILLIO

DAVID RUHNKENIUS S. P. D.

Non dubito, quin recte ad te perlatum sit eximium illud Historiae Byzantinae exemplar. Nunc mandato tuo obsecutus rariorum librorum pretium emtoresque breviter notabo.

| | | |
|---|---|---|
| Suidas ap. Aldum | 16 fl. | Mülle, Consul Enchusanus. |
| Claudianus 1482 | 15 | Idem |

| | | | |
|---|---|---|---|
| Landinus in Virgil. 1492 . . . . . | 4 | | Idem |
| Censorin. cum MS. collat . . . | 8 | | Van Paenen, mandatarius Burmanni. |
| Virgilius cum var. lectt. . . . . | 10, | 15 | Idem |
| Harpocration cum not. MSS. . . | 12 | | Idem |
| Plautus cum MS. collatus . . . . | 18 | | Idem |
| Lucianus cum Notis MSS. . . . . | — | | Idem |
| Asconius Pedianus Ald. . . . . | 2 | | Idem |
| Ulpiani Fragm. cum MS. collatum | 5, | 5 | Röverus. |

Musaeum, Callimachum, Orpheum apud Aldum, et Demetr. Phaler. pretio iniquiori sibi paravit Clar. Oudendorpius. Nisi Seldenum aliunde acceperis, exemplar in ipsa Gallia splendide ligatum 30 fl. Tibi vindicare possum: Vale, Vir summe, meque Tuorum numero habe. Dab. Leidae, d. 20. Octobr. 1747.

---

## VI.

## *VIRO AMPLISSIMO*

## I. P. D'ORVILLIO

## DAVID RUHNKENIUS S. P. D.

Etsi ego singularem Tuam propeque regiam erga me munificentiam pientissimo animo colo: tamen, quotiescunque novis a te beneficiis ornor, quaedam me indignatio subit, quod nullam mihi viam relictam esse videam, qua, quanta mea erga Te sit pietas, quantumque Tibi inserviendi studium, re ipsa declarare possim. Nullus sane labor tam molestus fingi potest, quem non, Tuo jussu, promto ac lubenti animo subirem. Nisi Tu, vir Magne, hoc ipso tempore tot aliis negotiis distinereris, auderem limatissimo judicio Tuo subjicere Specimen

Emendationum in Callimachum, poëtam foedioribus, quam plerique putant, mendis obsessum, et a magistellis mirifice interpolatum. Capiam tamen, ni abnueris, tum Te arbitrum, cum majus Tibi otium obtigisse intellexero. Interea vale, Summe Vir, nobisque bene velle pergas.

Dab. Leidae d. 29. Octobr. 1747.

---

## VII.

## *VIRO AMPLISSIMO*

## I. P. D'ORVILLIO

## DAVID RUHNKENIUS S. P. D.

Si ullus clientum Tuorum, hac anniversaria temporis commutatione, perpetuam Tibi salutem pie atque ardenter precatur, is certe ego sum, quo nemini incolumitas tua magis curae cordique esse debet. Nam sive spectatam Tuam inter omnes doctrinam intuear, quid magis optandum est, quam ut prospera valetudine utens, primum immortalia, quae paras, opera vulges, et postea gloriae tuae quam diutissime supersis? Sive merita erga me Tua ad animum revocem, quid aequius est, ac pium magis, quam ut ego perennem Tibi felicitatem apprecer, qui integrum jam annum, et quod excedit, insigni illa liberalitate Tua sustentatus vixi? Summus igitur rerum arbiter Te, seculi nostri Peirescium, diu sospitem florentemque servet, Teque cum Iano Tuo tot annos, quot Pater Tuus, venerandus senex, Tecum jam exegit, superare sinat. Dab. Leidae d. 2. Jan. 1748.

Narrabas aliquando, Vir Amplissime, gaza Tua contineri Novellas quasdam Graecas Reverendi Montfauconii manu e Vet. Cod. descriptas. Harum si mihi per aliquot dies copiam feceris, ingentem ceteris Tuis, magnis-

que erga me beneficiis cumulum addes. Equidem, cum ab aliquo tempore non ignavam ICtis Graecis operam impenderim, hujus laboris Specimen hoc anno edam, simulque mirifice gaudebo, si vel opibus tuis, vel consiliis instructior prodiero. Vale, Vir Summe. Salvebis ab amicis candidisque viris Alberto et Lennepio.

---

## VIII.

## *VIRO AMPLISSIMO*

## I. P. D'ORVILLIO

## DAVID RUHNKENIUS S. P. D.

Hermannus Samuel Reimarus vir humanissimus misit ad me Specimen novae editionis Dionis Cassii, idque oculis Tuis subjici jussit. Equidem omnem lapidem movi, opus ut Belgicis typis exscriberetur, quo ex ejus correctione nonnihil ad me emolumenti redundaret; id quod te etiam optasse memini. Sed imminens Belgio periculum, et attritae Neaulmii facultates spem omnem disjecerunt. Tu, Vir Summe, si quid e ditissima Bibliotheca Tua, quo Dio ornari possit, suppeditaveris, ingenti beneficio Cl. Reimarum mactabis. Ad me quod attinet, nunquam Leidae duriori conditione vixi, quam hoc ipso tempore. Nam et prela typographica cessant, et praeter Endium, discipulorum habeo neminem. Tu, o D'Orvilli, qui toties res meas labantes sustinuisti, impera mihi vel molestissimum laborem, qui quidem tamdiu necessarium victum praebeat, donec melior spes affulserit. Poteris hoc beneficium Tuum apud digniorem collocare: apud gratiorem non poteris. Vale, Vir summe, nobisque, si mereamur, fave. Dab. Leidae d. 10. Aprilis 1748.

Accepi literas a Miedenio Constantinopoli scriptas,

quae nos certiores faciunt, viros eruditissimos, Askew et Freeman o) adhuc in eadem urbe versari. Askew ingenem Graecarum Inscriptionum farraginem secum in patriam absportabit: quamvis ipsi illarum describendarum studium magno constiterit. Nam cum Smyrnae marmora quaedam muro inclusa accuratius lustraret, describeretque, a Turcis, eum speculatorem esse ratis, in vincula captus est, et aliquamdiu detentus.

---

## IX.

## *VIRO AMPLISSIMO*

## I. P. D'ORVILLIO

## DAVID RUHNKENIUS S. P. D.

Mitto ad Te Heineccianam Juris historiam luculento J. Ritteri Commentario illustratam. Neque misissem, nisi dignus esset liber oculis tuis. Nam vere nuper judicabat Wesselingius noster, nihil jam a longo tempore in hoc studiorum genere prodiisse, quod eadem sagacitate conscriptum sit, aut plura nova reconditaque contineat. Idem ICtus supra Germanorum captum eruditus totus in eo est, ut Schultingii Iurisprudentiam Ante-Iustinianeam cum octo amplius MSS. collatam, et felicissime emendatam publica luce donet. Tu, Vir magne, evidense hoc munusculum serena, ut soles, fronte accipe, meque porro Clientum Tuorum numero habe. Bene vale.

Dab. Leidae d. 25. April 1748.

---

o) Hic quis fuerit, ignoramus: ille medicus fuit Londinensis, eruditione clarus ac per longum tempus peregrinatus: teste Saxio Onomost. Litt. P. VII. p. 109. Cf. Wesseling. praef. ad Herodot. p. VI. med. et vit. Reiskii p. 110. *B.*

# EPISTOLAE
## AD IO. AUG. ERNESTIUM DATAE. *)

### I.

*EXCELLENTIS INGENII ET DOCTRINAE VIRO*

IO. AUG. ERNESTI

DAVID RUHNKENIUS S. P. D.

Antequam de aliis rebus ad Te scribo accuratius, maximas Tibi gratias ago pro pulcherrimis, quibus me donasti, munusculis. Prolusionem de Diff. N. T. interpret. communicavi cum VV. CC. Hemsterhusio et Alberto, quorum utrique mirifice placuit. Suetonius Tuus ita probatur omnium judicio, ut negent aliquid a multis annis in Latinum auctorem scriptum esse, quod tam limatum, tamque omnibus numeris absolutum sit. Inprimis Oudendorpius noster, qui nuper Suetonium cum suis et Dukeri animadversionibus prelo subjecit, studium, quod in eodem auctore posuisti, laudat. Is multa quoque male affecta feliciter sanavit, interdum, ut fit, eadem, quae Tu. Sic praeclaram emendationem, qua vocem *Munera* restituis, jam ante biennium mecum communicarat. De Callimacho sic habeto. Lennepius, Iuvenis valde doctus et ingeniosus, is, qui nuper Coluthum edidit, instituerat novam Callimachi editionem adornare.

*) De argumento harum Epistolarum, quod versatur in nova Callimachi editione ab Ernesto paranda, adjuvantibus Hemsterhusio et Ruhnkenio, non est quod plura dicamus post ea quae in Censura libri Tittmanniani Philom. Lib. III. p. 111 — 146. copiosissime simul et accuratissime disputata sunt, adv indicandas a Tittmanni calumniis narrationes Cl. Wyttenbachii in Vita Ruhnken. p. 79 — 85. et p. 155 sq. *B.*

Hac mente contulit Codicem Vossianum, non optimum illum quidem, sed tamen viginti ad minimum locis Callimacho profuturum; neque neglexit ineditas doctissimorum hominum notas, quae Bibliotheca Leidensi continentur. Sed intellecta voluntate Tua, visoque Specimine, ad alium Auctorem edendum animum adjecit. Tanta tamen est Lennepii humanitas, ut et Codicis Collationem, et quicquid in hunc poëtam congessit, usibus Tuis sit concessurus. Cl. D'Orvillium de Callimachi Codd. omnino, velim, compelles. Ipse, ut Tibi ingenue fatear, hoc mihi negotii dedit, ut Te de istis Codd. certiorem facerem, addens, se, dummodo voluntatem Tuam intellexisset, nihil denegaturum. Facile enim intelligit V. Cl. nisi Tu his variis Lectionibus utaris, eas fortasse nunquam nec sibi nec Callimacho ornamento futuras. Liceat nunc mihi, Vir Praestantissime, conjecturarum mearum in Callimachum ad Te specimen mittere. Nam ex quo divinus vir Ti. Hemsterhusius hujus poëtae amorem mihi injecit, vix dies praeterlapsus est, quo non aliquid vel correxerim, vel notarim. Quid quaeris? Brevi libellus Callimachearum Lectionum enatus est: quem quidem publici juris facere, et, nisi Tibi displicuerit, illustri nomini Tuo sub *Epistolae Criticae* titulo inscribere, fert animus. Atque ut rerum varietas lectores alliciat, simul ex adversariis meis depromam aliquot capitales Emendationes in Apollonium Rhodium, Orpheum, Homericos Hymnos, Theocritum, Nicandrum, Anthologiam, cet. Videor mihi aliquid praestitisse, quod pauci Criticorum praestiterunt vel aetate nostra, vel etiam superiori. Nam Aristarchi, et Bentleji maxime exemplo excitatus, in optimis, antiquissimisque poëtis ingentem numerum spuriorum versuum detexi, de quorum νοθεύσει nemini unquam est suspicio orta. Sed ad rem ipsam accedamus. Ac specimen quidem Tuum lectionum Cal-

limachearum iis ingenii et doctrinae notis insigne est, ut merito summa quaeque de editione Tua exspectemus. Vers. 87. H. in Jov. docte et eleganter, ut soles omnia, defendis lectionem vulgatam. D'Orvillius nuper ad Coluthi v. 330 adhuc probavit *νώσῃ*. Mihi tamen is, qui *ἤρι νοήσῃ* conjecit, minimo molimine rem confecisse videtur. Vix enim credo, poëtam, quo nemo magis metri concinnitati studuit, aliquid tam inconditi admisisse. Vers. 179 seqq. H. in Del. recte a Te restituuntur. Sed gravissimum mendum effugit perspicaciam Tuam. Nempe cum Viro longe eruditissimo, L. C. Valkenario in literis ad me datis legendum:

— *ἴδῃσι δὲ πίονα καρπὸν*

*Γηπόνος αἰθόμενον, καὶ οὐκ ἔτι μοῦνον ἀκούῃ.*

Vers. 62. H. in Lavac. Pall. acutissime duorum distichorum ordinem permutas. At dum eodem hymn. vers. 41. repetitionem statuis, secus sentio. Namque haud dubie verba *Κρεῖον ὄρος* monstrum sunt, sub quibus qualis lectio lateat, dies fortasse sequens patefaciet. De meis qualibuscunque emendationibus has habeto:

H. in Iov. v. 38.

— *τὸ μὲν πόθι πουλὺ κατ' αὐτὸ*

*Καυκώνων πτολίεθρον* cet.

Legendum:

— *τὸ μὲν πόθι πουλὺ κατ' αἶπι*

*Καυκώνων πτολίεθρον* —

*Αἶπυ πτολίεθρον* sexcenties est apud Homerum, Coinitum Smyrnaeum, alios *p*).

H. in Apollin. v. 44.

*Φοίβῳ γὰρ καὶ τόξον ἐπιτρέπεται καὶ ἀοιδή.*

Abeat hic versus, unde male pedem intulit. Facile patet, eum e Scholio marginali esse conflatum. Sed quid

---

p) Cf. Ep. Crit. II. p. 127. *B.*

censes, mi Ernesti, de v. 43. emendatione Scaligerana ad Propertium p. 273. Mirarisne superiorum editorum negligentiam et stuporem? Dudum in contextum recipiendum fuisset: *Κεῖνος* (alterum memoriae vitium erat) *ὀϊστευτὺν ἔλαχεν ῥέα, κεῖνος ἀοιδήν.* Alibi apud Callimachum legisti, *διωκτὺς, γελαστύς, ἁρπακτὺς, μαστύς.* Iliad. *Ψ*. v. 627. est *ἀκοντιστύς* q).

Eodem hymn. v. 51.

— *οὐδέ κεν αἶγες*
*Δεύοιντο βρεφέων ἐπιμηλάδες*; cet.

Mire Scholiast. ad h. l. balbutit. Repone:

— *οὐδέ κεν αἶγες*
*Δεύοιντο βρεφέων ἐπὶ μηκάδες* —

Librarii ad Tmesin non attendentes, *ἐπὶ*, quod cum *δεύοιντο* conjungendum erat, cum *μηκάδες* conjunxere. Hinc nata corruptela, cui similem notavit Kusterus ad Suid. v. *Ἐπιμείλιον. Αἶγες μηκάδες* notissimae ex Odyss. I. v. 124. 244. et aliunde. Obiter emendemus Hesychium, nisi eum jam emendaverint alii. Nam sola utor Hagenoënsi. *Μηκάδες*, inquit, *αἱ μὴ κοιμώμεναι αἶγες.* Lege — *αἱ μηκώμεναι αἶγες* r).

H. in Dian. v. 8.

*Δὸς δ' ἰοὺς καὶ τόξα. ἔα πάτερ· οὔ σε φαρέτρην,*
*οὐδ' αἰτέω μέγα τόξον.*

Istud *ἔα πάτερ* plane frigidum est, et Callimacho indignum. Conjeci:

*Δὸς δ' ἰοὺς καὶ τόξα. ἐὔπτερον οὔ σε φαρέτρην*
*οὐδ'* —

Bion Idyll. I. v. 82.

— *ὃς ἐὔπτερον ἄγε φαρέτρην.*

Error natus est e scribendi compendio *ἐὔπτερ"*. Hanc

---

q) Cf. ibid. p. 132. *B.*

r) Pluribus disputavit Ruhnken. Ep. Cr. II. p. 132 sqq. *B.*

conjecturam summopere probare solet Hemsterhusius noster *s*). Sequenti versu ista, *οὐδ' αἰτέω μέγα τόξον*, in nova, quam adornabis, versione reddas: Neque peto *magnopere* arcum. Nam Diana semetipsa corrigit. Si vulgares interpretes sequamur, sibimetipsa contradicit. Pessime.

Eod. H. v. 65.

*Οὐδέποτ' ἀφρικτὶ μακάρων ὁρόωσι θύγατρες.*

Quis non videt, poëtam a Deorum ad hominum filias transire? Ergo corrigamus:

*Οὐδέποτ' ἀφρικτὶ μερόπων ὁρόωσι θύγατρες.*

Mirum, vitium adeo manifestum Callimacho tamdiu inhaerere potuisse *t*).

Eod. H. v. 118.

*— φάεος δ' ἐνέηκας ἀϋτμὴν*
*Ἀσβέστου, τό ῥα πατρὸς ἀποστάζουσι κεραυνοί.*

Scio, aliquid contra dici posse. Sed malim tamen:

*— φάεος δ' ἐνέηκας ἀϋτμὴν*
*Ἀσβέστου, τό ῥα πατρὸς ἀπαστράπτουσι κεραυνοί.*

Orpheus Hymno *Διὸς Κεραυνίου* p. 116.

*Στράπτων αἰθερίου στεροπῆς πανυπέρτατον αἴγλην.*

Idem Hymno *Διὸς Ἀστραπέως* p. 117.

*Ἀστράπτοντα σέλας νέφεων —*

Persimile illud est Hymno *Εὐμενίδων* p. 166.

*— ἀπαστράπτουσαι ἀπ' ὄσσων*
*Δεινὴν, ἀνταυγῆ, φάεος σαρκοφθόρον αἴγλην.*

H. in Del. v. 124.

---

*s*) Mirum videri possit, hujus elegantissimae conjecturae, quam etiam cum Valckenario suo communicavit Ruhnkenius in litteris d. 18 Febr. a. 1748, nullam plane mentionem ad h. l. fecisse Cl. Ernestum. Sed ipse postea eam suppressisse videtur. Cf. Ep. Cr. II. p. 140. ed. alt. *B.*

*t*) De hac quoque et proxime sequenti conjectura plane silet Ernesti. *B.*

— — ἀλλά μοι Ἥρη
Λαψιλὲς ἠπείλησεν —

Non feres hoc loco, Elegantissime Ernesti, qua es Graecae linguae peritia, vocem Λαψιλές. Diu est, quod conjeci, neque nunc poenitet:

— — ἀλλά μοι Ἥρη
Λασπλὴς ἠπείλησεν —

Optime vocem explicat Hesych. in Λασπλῆτις. Sed idem alibi: Λάπτης, δεινός. Non admitto hic Canonem Albertinum. Legendum: Λάσπλης, δεινός u).

H. in Lav. Pall. v. 73. 74. Ἀμφότεραι etc. Iam aliunde mihi suspicio nata est, duas fuisse Hymnorum Callimachi editiones. Hic certe locus hanc conjecturam extra dubium ponit. Nam versus, quos modo laudavi, videntur ex prima editione primum margini adscripti, deinde in Textum migrasse. Sic Apollonii Rhodii duae fuerunt ἐκδόσεις. Atque idem, quod h. l. in Callimacho, in Apollonio etiam accidisse, docet Scholiastes antiquus ad Libr. III. 738 v).

H. in Cerer. v. 71.

Καὶ γὰρ τῷ Λάμπτρῳ συνωργίσθη Διόνυσος.

Facessat hinc putidissimus versus. Plures alios, quibus magistelli Graeci Callimachi hymnos foedarunt, nobis, si vellet, indicare posset Hemsterhusius w).

Habes, Vir Magne, quasdam Emendationum mearum in Callimachum; quas ego diligentius confirmabo, multoque pluribus augebo in Epistola Critica, publice ad Te scribenda. Tu vero brevi me certiorem facies, quo tempore Callimachum Tuum operis traditurus sis. Ipse enim intelligis, Epistolam nostram Tuam Callimachi editionem

---

u) Plura vid. Ep. Cr. II. p. 155. *B.*

v) Uberius disputat V. Cl. ibid. p. 165. *B.*

w) Cf. ibid. p. 171. *B.*

praecedere debere. Illustrem Spanhemium vix verbo tangam (ita enim jubet ὁ θαυμάσιος), quamvis non deesset carpendi materia. Nam profecto vix vulgaris linguae Graecae peritus fuit, nedum poëticae. Aequo Iove nuper de eo judicavit Cl. Valckenarius in exquisitae doctrinae plena Epistola, Fulvii Ursini Virgilio cum G. S. collato praemissa. Quid v. c. magis ἀπροσδιόνυσον iis est, quae H. in Cer. v. 56. notavit ex Iure Attico ad vocem ἐγράψατο. Vel pueri norunt, Nemesin mala dicta factaque hominum in diphthera Iovis notasse; nec cogitandum de ista verbi notione apud poëtas inaudita. Similiter v. 29. ejusd. H. primum ingressus est optimam viam, mox derelinquens, vulgatam tuetur. Quo nihil ineptius vidi. Ipse Vossianus Codex habet ἐπεμαίετο, nec quisquam obloqui debet. Apollodor. L. I. p. 14. ed. Galei de Cerere: ζητοῦσα (Φερσεφόνην) περιήει. Sed res clara est.

Vidi ex Praef. Clav. Cicer. praemissa, Te novam Corradianae Quaesturae editionem curaturum. Caveas igitur, ne idem Tibi, quod Gronovio aliisque, accidat, ut posteriorem operis partem recudendam cures, negligas priorem. Nam revera prior libri pars est, Mediolani, nescio quo anno, excusa, quam nuper amicus quidam secum ex Italia attulit, mihique legendam dedit. Ipse dudum animadverteram Quaesturae principium legens, aliud opusculum, quod cum hoc conjungendum esset, a Corrado esse conscriptum. Sed quale esset, divinare non poteram. At charta jam deficit. Itaque vale, Flos patriae Tuae, nostrarumque decus literarum. Dab. Harlemi. Qui Harlemi? inquies. Nempe Splendidissimus Iuvenis, Nicolaus de Dierquens, cujus studiis praefectus sum, ab aliquo tempore valetudine minus prospera usus est. Itaque cum illo ex Academia Leidensi secedendum fuit ad ejus aviam, Illustrissimam Matronam,

de Raet. Inscribas igitur literis ad me Tuis verba Gallica: chez Madame de Raet. d. 20. Octobr. 1748.

---

## II.

## *VIRO MAGNO*

## IO. AUG. ERNESTI

## DAVID RUHNKENIUS S. P. D.

Quoties de Te cogito, cogito autem saepissime, toties pudore suffundor, quod meae erga Te observantiae monumentum nondum in vulgus prodire jusserim. Cum nuper Callimachea typis essent descripta, ecce, aliud injicitur impedimentum. Erant enim amici, quibus ille libellus nimis brevis, nec justae formae esse videbatur. Itaque suadebant, ut conjecturas meas in Callimachi aequalem, Apollonium, quas tertio libello reservaveram, una in lucem proferrem. Quorum voluntati etsi obtemperavi, res tamen jam eo loco est, ut, nisi sub finem Januarii libellum nostrum acceperis, nunquam mihi inposterum fidem haberi velim. Jam vero ad id, cujus causa hae literae exarandae sunt, accedam. Luchtmannus noster invitus ex Miscellaneis Lipsiensibus intellexit, Reiskium apud vos novam Herodoti editionem moliri, cum ipse jam diu id consilii agitarit, variis eam in rem praesidiis undique comparatis. Praecipuo ejus editioni ornamento futurus est eruditissimus Lud. Kusteri Commentarius, qui eo quondam animo, ut ederetur, scriptus, hucusque latuit in Regis Galliarum Bibliotheca. Idem Luchtmannus crebris etiam literis egit cum Gleditschii heredibus de redimendo Bergleri Commentario, et tandem summam, quam exigebant, solvere promisit. Quo magis ipsi mirum videtur, hunc Commentarium Reiskio

edendum committi. Itaque Luchtmannus a Te, Vir Clarissime, quam observantissime petit, ut Berglerianas notas diligentius excutias, et, si judicio Tuo probentur, qualibet ratione possessoribus eripias. Demonstrabis praeterea bibliopolis vestris, editionem Lipsiensem, quamvis nova dote instructam, vilem tamen habitum iri prae ea, quae Leidae adornatur: praesertim cum verendum sit, ne praeclarus iste Editor idem sibi in Herodotum, quod in Petronium, licere putet. Sed de his satis.

Collationem Cod. Regii, quam Musarum in Gallia stator, Claudius Sallierius mecum communicavit, his literis adjeci *x*). Scholia inde emendari et suppleri poterunt: ad textum parum redundabit emolumenti. Quod ultimis literis scribis de Dionysio, perpetuo Callimachi imitatore, illud ipse quoque animadverteram. Operae pretium fuerit, hos poëtas diligenter inter se conferre. Idem Dionysius multa prope ad verbum hausit ex Apollonio Rhodio et Nicandro: quod viros doctos latuisse miror. Callimachum passim emendat Francisc. Nansius in Nonni Evangel. Ioannis, et in Cur. Posterioribus; cujus emendationes superiores Editores vel nesciverunt, vel neglexerunt. Magna de editione Tua apud nostrates est exspectatio: quam quin superaturus sis, qui Te norunt, haud dubitant. Glasgoviae in Scotia fratres Foulisii, bibliopolae et arte sua et eruditione fere Stephanis pares, splendidissimam accuratissimamque parant Platonis editionem. Qui cum nuper Leidam inviserent, id mihi negotii dedere, ut literis per varias Europae partes missis exquirerem, qui Platonis Codices, quaeve doctorum hominum in eum animadversiones reperiantur. Praeterea plurimum aeris apud me deposuerunt, quo remunerer eos, qui Codicibus conferendis operam navant.

---

*x*) Edidit eam Collat. Tittmannus p. 92 sqq. *B.*

Si quis igitur vestratium Platonem cum MStis committere velit, is luculento praemio, et quod fortasse opinionem superet, se mactari sentiet. Bibliotheca Cittaviensi egregium Platonis Codicem attineri scio. Sed dubito, an ibi Graece doctus reperiatur. Tu, Optime Ernesti, nisi grave est, cum in hanc rem, tum in alios Platonis Codices, qui in Germaniae bibliothecis sunt, diligentius inquires. Plurimum Te salutant duumviri Tui studiosissimi, Hemsterhusius et Alberti. Uterque vehementi tenetur desiderio legendae illius Epistolae, quam in Lucianum scribes. Thomas M. Leidae prelum exercet. Bene de eo meretur ὁ πάνυ. Lennepius in Phalaride expoliendo occupatur. Ioannes Piersonus, juvenis valde eruditus et ingeniosus, Verisimilium libros parat, quibus Graecis scriptoribus, Euripidi maxime, lucem et medelam afferat. Salutabis meo nomine Elegantissimum Bachium, eique narrabis, me brevi aliquot libellos juridicos, recens editos, ad eum missurum. Vale, Vir Magne, mihique, quod facis, fave. Dab. Lugduni Batavorum. d. 28. Novembr. 1751.

---

## III.

## *VIRO EXIMIO ET AMICO SINGULARI,*

## IO. AUG. ERNESTI

## DAVID RUHNKENIUS S. P. D.

Libero tandem fidem meam, et libellum mitto criticum, quem, velim, eo animo accipias, quo Tibi a me est consecratus. Plura exempla, quae, si tanti putes, amicis Tuis dono des, alia via ad Te pervenient. Bachium nostrum, ut de eo in Actis Eruditor. sententiam dicat, rogavi. Apollonii Rhodii Excerptis MS. si res integra

fuisset, libenter usus essem. Sed cum mihi non licuerit esse tam felici, easdem Variantes vel mea caussa non denegabis Iuveni valde erudito et ingenioso, Ioanni Piersono, qui brevi Versimilium Criticorum librum edituru est in Euripidem, Sophoclem, Apollonium Rhodium, alios. Fac igitur, mi Optime Ernetsi, prima quaque occasione illa Excerpta ad me perferantur. Magno, mihi crede, beneficio Piersonum Tibi devincies.

Callimachi Tui ingens apud omnes est exspectatio. Quem si Hemsterhusius, ut est a Te expolitus, viderit, eos in locos, quos Tu forte non attigisti, suas nobis impertiet animadversiones. Valckenario nemo plura collegit Fragmenta, ex ineditis praesertim Grammaticis. Ipse paucula notavi, quae hic subjiciam: Etymol. M. v. *Θηλαμών*. Schol. Sophocl. ad Trachin. p. 342. et Suid. v. *Παίδουσα*. Idem v. *Φάσηλις*. Schol. Thucydid. Lib. VII. p. 483. ubi vide notas in Scholia. Lexicon Barbarism. post Ammon. p. 197. Salmas. in Solin. p. 858. Hemsterh. ad Hesych. v. *Ἀφάρωτος*. Brevi Parisiis exspecto Apollonii Dyscoli Grammaticam ineditam, ex qua horum numerum bene augere licebit. Nec dubito, quin multa Tibi suppeditaturus sit Scholiastes Homeri MS. Lipsiensis. Callimachi Epigramma est etiam inter Iensiana n. CXXII. quod emendavi Epist. Crit. I. p. 78.

Cum Saxio de Taciti editionibus agere non licuit. Is enim Leida Ultrajectum abiit, ut praesit studiis nobilissimi Burmanni, Casparis N. Africanum ad Te curabo, quam primum ejus copia facta fuerit. Wetstenius Testamentum impensis suis imprimendum curavit. Auctor ipsi fui, ut plura exempla Lipsiam mitteret. Brevi pars altera prodibit, frementibus licet pertinacioribus Theologis. Boernerus vester iniquissime egit cum homine candidissimo, et (quod expertus scribo) sanctissimo. Si commodum fuerit, fac, ad me perferantur opuscula quae-

dam a Te recens edita; qnibus non ego solum, sed et Hemsterhusius et Alberti, qui Te quam officiosissime salutant, mirifice delectantur. Sed non amplius Te morabor. Vale, Vir Magne, et amorem in me Tuum mihi perpetuo conserva. Dab. Leidae. d. 28. Januar. 1752.

---

## IV.

## *ILLUSTRIS INGENII ET DOCTRINAE VIRO,*

## IO. AUG. ERNESTO

## DAVID RUHNKENIUS S. P. D.

Iam dudum aliquid literarum ad Te dedissem, nisi exspectare voluissem, quid novi Lipsia afferatur. Sed cum neque a Bachio nostro literas acceperim, neque Acta Eruditorum et Miscellanea Lipsiensia huc perlata sint, non diutius cunctandum putavi. Quam a me petiisti Epigrammatum Callimachi Collationem *y*), his literis adjeci; quae, non dubito, quin Tibi gratissima sit futura. Multa etiam ab aliquo tempore fragmenta collegi, quae missurus sum alias. *Ἐπίκρισιν* Tuam conjecturarum in Callimachum mearum summa cum voluptate perlegi: tantum abest, ut aegre feram, sicubi in alia omnia eas. Etenim malim a Te viro tanto reprehendi, quam ab imperitis laudari. Sunt tamen paucula, quorum defensionem suscipiendam duxi.

Pag. 11. [H. in Iov. 56.] Recte tueris *ἀνηβήσας*. Nam *ἀνηβᾶν* pro *repubescere* ipse postea reperi apud Philonem Iud. Libro, quod deter. potiori p. 127. F. et in Cratini Fragm. ap. Phrynich. de Dict. Att. p. 42. Aliud exemplum ex Synesio laudat Thom. Mag. v. *Ἡβᾶν*. Pier-

---

*y*) Vid. apud Tittmann. p. 96 sqq. *B.*

soni tamen emendatio Verisim. p. 176. vel sic admittenda est, propterea quod ἂν in isto Euripidis loco necessario requiritur.

Pag. 12. [ibid. vs. 79.] Ἐκ δὲ Διός. Quae acute contra dixisti, nondum videntur convellere emendationem meam. Amicus quidam conjiciebat: ἐπεὶ ἴδες οὐδὲν ἀνάκτων etc. Sed neque hoc facile probaveris. In hanc sententiam Artabanus apud Plutarch. Themistocl. p. 125. C. regem suum vocat εἰκόνα θεοῦ.

Κεῖνος οἰστευτύν z). Alter versus expungendus est, etiamsi haud probetur Scaligeri emendatio.

Pag. 22. [H. in Ap. 64.] ὧδ' ἔμαθεν. Ἐγείρειν τεῖχος, νεῶν, etc. passim obvia sunt, et ex Veteribus notata Polluci I. 11. 174. et Thomae Mag. v. Ἀνέστησα. Si θεμέθλια ἐγείρειν alicubi reperiretur, nihil praesidii inde accederet versui putidissimo. Neque hac sola de causa est a nobis proscriptus.

Pag. 22. [ibid. 72.] τόδε πρώτιστον etc. Τόγε, quod substituis, non minus friget altero.

Pag. 24. [H. in Dian. 27.] πολλὰς δὲ μάτην. Adjectiva a poëtis adverbialiter usurpari, pulcre novi. Sed si Tu, mi suavissime Ernesti, vulgatam lectionem tueri velis, proferenda sunt exempla, in quibus v. c. πολλοῖς ὀφθαλμοῖς βλέπειν dicitur pro πολλάκις ὀφθαλμοῖς βλέπειν, vel πολλοὺς πόδας ἐκτείνειν pro πολλάκι πόδας ἐκτείνειν, quae in omni Graecia frustra quaeres. Quodsi ἀπαλὰς tantopere displicet, cum Codice Vossiano legas, licet, πολλὰ δὲ μάτην, ut Ennius ap. Ciceron. de Divin. I. 20.

*multa manus ad coeli caerula templa*
*Tenebam lacrimans* —

ubi vide Davisium. Forte non deerit aliquando, qui

z) Cf. supra Ep. I. p. 861. *B.*

maluerit, *παιδνὰς δὲ μάτην*. Diodorus Anthol. L. III. cap. 9. p. 322.

— *παιδνὰς αὐτίκ' ἔτεινε χέρας.*

Eodem versu Amicissimus Valckenaerius pro *μέχρις ἵνα* corrigit *λέχρις ἵνα*, me non probante. Legi, sed non adnotavi, illud ipsum *μέχρις ἵνα* apud Quintum Calabrum. Conf. Wass. in Thucyd. L. I. p. 8. Doctus hercle vir Valckenaerius, et in Graecis literis id, quod summum est, consecutus. Sed eodem, quo quondam Isaac. Vossius, morbo laborat. Rarissima quaeque et insolentissima consectatur, invitisque obtrudit auctoribus.

Pag. 25. Miror, Te, *ὦ φιλότης*, scenam in coelo collocare. Quomodo enim haec conveniant liberis a majorum gentium Diis, qui coelum obtinebant, procreatis? Imo si Tecum cogites, quae tandem istae in coelo puellae fuerint, reperies omnino nullas. Nam Dianae et Minervae liberi nulli perhibentur, Iovis quidem, Apollinis et Mercurii plures, sed omnes ex mortalibus genitae mulieribus, omnes in terra degentes. Quare per *μακάρων θυγατέρας* [ibid. 65.] intelligo Daemonum vel Heroum filias. Et sic facile patet, quam alienus ab hoc loco sit fuliginosus iste Mercurius.

Pag. 42. Mentem Tuam non satis assequor. Omnino scripsi, *αἰτιῶνται*, scilicet *οἱ περὶ Ἀπολλώνιον*. Quodsi *αἰτιᾶται* passive accipias (modo quis veterum ita locutus sit) stare potest vulgata lectio.

Pag. 35. *Ῥάριον*. Grammatici ap. Ducangium indicium Tibi debeo. Quid? si iste cum reliquis erraverit?

Pag. 48. Displicet jam *μέλλον* pro *μᾶλλον*. Nam articulus *τὸ* necessario adesse deberet. *Καὶ ταῦτα μὲν δὴ ταῦτα*. Sed cum Callimachus haec scribenti ad manum sit, ut longiores a Te literas eliciam, novas aliquot divinationes Tibi dijudicandas proponam. Epigr. XXIX. in Aratum. Dubito, an ullum unquam proditum sit

Epigramma, ad quod emendandum tanto studio undique convolarint homines eruditi. Hinc illa lectionis varietas, hinc tot discrepantes sententiae; quas si accurate explicare, et tandem certi quid constituere velis, non Nota, sed Dissertatio aut Prolusio Tibi scribenda erit. Primus, quantum recordor, hoc Epigramma ex Achille Statio MS. *a*) protulit Fulv. Ursinus in Virgilium p. 14. edit. Valckenar. Deinde una cum Achille ediderunt Petrus Victorius, et Petavius in Uranolog. p. 134. In Epigr. emendando ingenium exercuerunt summi viri, Is. Casaubonus, Salmasius, Is. Vossius, locis a Fabricio Bibl. Graec. Vol. I. p. 380. indicatis. Citatur praeterea cum aliqua varietate a Io. Fello init. Arati Oxon. 1672. editi. Diversa etiam est Holstenii lectio, sed omnium maxime depravata: unde nollem Illustris Bentlejus arripuisset *σύντονος ἀγρυπνίη*. Bentlejo se objecit Ioannes Clericus Sylvar. Philolog. cap. VI. p. 237. Lectionem *σύγγονος ἀγρυπνίη* vetustissimam esse, cum aliunde patet, tum ex vita Arati inedita *b*), quam his literis adjeci. Hanc nuper eruditus Anglus in gratiam meam ex Bibliotheca Bodlejana descripsit. Cumque multa praeclara contineat, et quae alibi frustra quaeras, non alienum fuerit, eam a Te, Praestantissime Ernesti, in notis ad Callimachum in lucem proferri. Iam etsi illa verba, quibus Grammaticus hoc Epigramma laudat, propter corruptelam non satis intelligo, patet tamen hinc id, quod dixi, lectionem *σύγγονος ἀγρυπνίης* pervetustam esse. Sed quis mortalium commodam inde sententiam extundat? Equidem huic Grammatico, docto ceteroquin et antiquo, ne dejeranti quidem crediderim, Callimachum

*a*) Monente Tittmanno, Ernesti in margine adscripsit: *Sed tum jam editus erat Achilles a Victorio. B.*

*b*) Exstat ea in Callim. Ern. T. I. p. 590. et ap. Tittm. p. 106 sqq. *B.*

isto modo scripsisse. Uti vero prioris distichi redintegrandi gloria Tibi reservata est, ita posterioris inveteratam corruptelam recte mihi videor profligasse. Legendum:

— χαίρετε λεπταὶ
Ῥήσεις, Ἀρήτου σύμβολον ἀγρυπνίης.

Leonides Anthol. L. VI. cap. 12. p. 563.

— λάμβανε βίβλον,
Καῖσαρ, ἰσηρίθμου σύμβολον εὐεπίης.

Sed simillimum illud Anthol. L. V. c. 28. p. 509.

Στῆσε τρόπαιον, ἐῆς σύμβολον ἀγρυπνίης.

Fragm. CCCVII. Τὸν ὄγδοον ὥστε Κόροιβον. Hujus Fragmenti interpretatio unice petenda ex Dione Cassio Tom. II. p. 1359. ed. Reimar. οἱ μὲν γὰρ Ἠλεῖοι φθονήσαντες αὐτῷ, μὴ, τὸ λεγόμενον δὴ τοῦτο, ἀφ' Ἡρακλέους ὄγδοος γένηται. Sicut qui Herculem virtute aequat, ὄγδοος ἀφ' Ἡρακλέους proverbio dicitur, sic qui Coroebo stoliditate par est, ὄγδοος Κόροιβος. De Coroebo vid. Hesych. in v. Leopard. Emend. XIV. 8. et Perizon. in Aelian. V. H. XIII. 15.

Corruptissimum est Fragm. CCCXXXIII. Ἄ πάντως ἵνα γῆρας. Sed, nisi fallor, commode refici potest ex Plutarchi Sympos. Lib. III. Qu. VI. p. 654. D. ed. Francof. qui haec laudat ex hymno aliquo, Callimachi puto, in Venerem: Ἀάβαλε ἄνω τὸ γῆρας ὦ καλὰ Ἀφροδίτα. Scio, ἄβαλε *utinam* significare. Hic tamen leviter correxerim: Ἄ βάλε ἄνω τὸ γῆρας etc. *Ah! differ senectutem.* Forte huc etiam respicit Glossarium vetus MS. quod penes me est: Ἀναβολὴν ᾠδῆς, ὡς λέγουσιν, ἄνω βάλε ἡμῖν. καὶ ὁ ποιητής· (Odyss. A. 155.) ἤτοι ὃ φορμίζων ἀνεβάλλετο. Plura, si haec non displicuerint, alias.

Ernstium Tuum, quod doleo, neque videre licuit, neque ullum adeo ipsi potui humanitatis officium praestare. Venit enim huc alienissimo tempore, id est, va-

cationibus aestivis, quo et ego et plerique Professorum in praedia suburbana secesseramus.

Wesselingius diu reluctatus, tandem Herodoti curam suscepit: de quo historiae veteri Graecisque literis merito gratulamur. Bergleriatum illud exemplar si sex septemve ducatis emere possis, Luchtmanno gratissimum feceris. Idem Luchtmannus abs Te petit, ut tempus, quo Callimachum Tuum huc missurus es, circiter definias. Nam ipsi constitutum est, ut nova editio tanto citius prodeat, Spanhemii Commentarium interea prelo subjicere. Latentne curae aliquae posteriores in margine exemplaris, quod Berolini est?

De Corradi editione, quae Tua est facilitas, non aegre feres, si Tibi aurem vellam. Multi hic illius aureoli libelli desiderio tenentur, cui illustre decus addet praefatio Tua. Non est, quod Te, quem nihil harum rerum fugit, admoneam, τὸν πάνυ Leopardum Emend. L. V. c. 1. quaedam in Corrado castigasse, quorum in praefat. habenda erit ratio. Bene vale, mi suavissime Ernesti, meque, ut amas, ama. Salvebis ab Hemsterhusio et Alberto, quorum uterque Tui est studiosissimus. Saluta meo nomine elegantissimum Bachium, ad quem propediem fasciculum dimissurus sum. Dab. Leidae. d. 28. Novembris 1752.

---

## V.

## *VIRO SUMMO,*

## IO. AUG. ERNESTI

## DAVID RUHNKENIUS S. P. D.

Binas literas eodem fere tempore a Te accepi, suavissimas illas quidem, ut omnia, quae a Te proficiscuntur,

sed tamen breviores et rariores, quam vellem. Quod si inposterum graviora negotia Tua ullo modo ferant, ut frequentius inter nos sit commercium, noli librarios ad mercatum ventitantes exspectare, sed potius, quoties et quandocunque libuerit, literas cursori publico perferendas committe. Pro Corradi Quaestura maximas Tibi gratias ago. Reiskii in Sophoclem libellus hic omnium risu exceptus est. Qualis Oudendorpii de illo sententia sit, ex schedula adjecta cognosces. Indignationem vero mihi aliisque expressit iniqua et proterva recensio, qua ingeniosissimi Piersoni Verisimilia vexavit. Vellem, Ernesti amicissime, auctoritate Tua, quae, sicut esse debet, summa est, importunam belluam a talibus audendis deterrere posses. Sed cui bono iste criticas in Graecos auctores Animadversiones scribit? Credo, ut sibi insigne nomen paret, et saepe ad partes vocetur ab eruditis Belgis. Sed sciat, hic praeter duos proletarios Literatores, Abreschium et Bernardum, esse neminem, quin Reiskio non dicam publice laudando, sed nominando et citando librum suum conspurcari putet. Ne hoc quidem honore fruetur, ut quis lacessitus ei respondeat. Nam ut quis facilem et paratam sibi victoriam videat, nollet tamen tam vili sanguine inquinari.

Wetstenii Testamentum nuper ad Te dimisit Luchtmannus. Schultensii Diss. de lingua primaeva affecta adhuc latet apud ejus filium. Callimachi editio prima est in bibliotheca Dorvilliana. Sed nemini ad eam aditus patet. Dabo tamen operam, ut illam Tibi aliunde parem. Hymnum in Lav. Pall. ex vetusto Cod. olim protulit Ang. Politianus in Miscellaneis; quorum si primam editionem contuleris, deprehendes aliquot varietates haud contemnendas. Memini Te aliquando scribere de mittendo ad nos indiculo locorum difficiliorum. Quod ut quam primum facias, Te etiam atque etiam rogo.

Sic enim mihi aliisque justum tempus fuerit ingenii in iis expediendis exercendi. Levicula quaedam, a me ad Fragmenta observata, his literis adjeci. Arati etiam Vitam rursus mitto, accuratius descriptam, et castigatam meis et Hemsterhusii notis. Poterit in nova editione locum invenire vel ad celebratissimum illud Epigr. XXIX. *Ἡσιόδου τόδ' ἄεισμα*, vel etiam inter Fragmenta. Suidae *ἀποσπασμάτια* quaedam, suppresso poëtae nomine, citantur, quae haud vana conjectura ductus ad Callimachum refero *c*).

v. *Καταΐξ*. Tom. II. p. 254.

*Ἤδ' ἀπὸ Μηρισοῖο θοὴ Βορέαο καταΐξ.*

Addit: *ἤτοι ἀπὸ τῆς Θρᾴκης*. Qui versus ex eadem officina prodiit, ex qua ille H. in Dian. v. 114. *Αἴμῳ ἐπι Θρήϊκι, τόθεν βορέαο καταΐξ.*

v. *Κυμαίνει.*

*Αἶψα δὲ κυμαίνουσαν ἀπαίνυτο χυτρίδα κοίλην.*

Ex Hecale, ut puto.

v. *Ὑποδράξ.*

*Ἡ δὲ πελιδνωθεῖσα, καὶ ὄμμασι λοξὸν ὑποδρὰξ*
*Ὀσσομένη —*

Conf. Nicandri Theriac. v. 457. 765.

v. *Φόβη,*

*— ὅστις φόβῃσι ξανθοτάταις ἐκόμα.*

v. *Ὀκχή.*

*— Γέντο δ' ἐρείκης*
*Σκηπάνιον, ὃ δὴ πέλε γήραος ὀκχή.*

v. *Ἀείπλανα.*

*— Ἀείπλανα χείλεα γρηός.*

v. *Ὕδω.*

*Αἴθρην τε εὐτέκνον ἐπ' ἀγρομένοις ὑδέοιμι*

Ex Hecale.

---

*c*) Cff. Fragmenta ap. Tittmann. p. 100. *B.*

v. *Πασσαγίην.*

*Εἶλε δὲ πασσαγίην. τόδε δ' ἔννεπε.*

v. *Λάταξ.*

*— τοὺς δὲ μεθυστὰς*

*Καλλείψω, λατάγων πλήγμασι τερπομένους.*

v. *Πίσεα.*

*— καὶ ἀγλαὰ πίσεα γαίης*

*Βόσκεο —*

v. *Ἀφραστύες.*

*— Σχέτλιαι ἀνθρώπων ἀφραστύες —*

v. *Φιληδῶν.*

*Ἀλλὰ Κόρινθος ἔδεκτο φιλόξενος κ. λ.*

v. *Λιμός.*

*Γαστέρι μοῦνον ἔχοιμι κακῆς ἀλκτήρια νούσου.*

κ Hecale. Conf. sup. v. *Ἀλκτήρια λιμοῦ.*

v. *Στόρνησι.*

*Αἱ δὲ γυναῖκες στόρνησιν ἀνέστρεφον.*

ddit, *περὶ Θησέως*, ut nihil dubites, quin ex Hecale mptum sit.

v. *Ἄξεινος.*

*— ἠχὶ κονίστραι*

*Ἄξεινοι λυθρῷ τε καὶ Ἄρεϊ πεπλήθωσι.*

ed pro *Ἄρεϊ* legendum *εἴαρι*, sicut ipse citat v. *Ἔαρ.* ρ pro *sanguine* est apud Callim. in Fragm. Vid. emsterh. ad Lucian. Dial. Deor. p. 240.

Facile me in nonnullis horum conjectura fallere otest. Sed, qui utramque Anthologiam et editam et ieditam, itemque ceteros poëtas accurate cum Suida ontuli, videor mihi de his aliquanto certius posse pronunciare. Nondum a Callimacho Tuo discedo. Hymn. ι Lav. Pall. v. 47. fons *Φυσάδεια* commemoratur, cuus nusquam alibi mentionem reperire potuit Spanheius. Iuvat illum Tibi monstrare in mendo cubantem pud Stephan. Byz. v. *Ἄσβωτος.* ubi hi Euphorionis

versus afferuntur: Ἵπποι καλὰ νάουσαν ἐπορνύμενοι φυγάδειαν. Paene miseret me Interpretum, φυγάδειαν fugam exponentium. Sed Tu videris, acutissime Ernesti, sitne potius et in Callimacho et in Euphorione scribendum Φιγάλειαν. Pausan. L. VIII. p. 680. commemorat Φιγαλίαν νύμφην τῶν καλουμένων Δρυάδων. Ibidem est Φίγαλος, Lycaonis filius, a quo urbs Φιγάλεια nomen invenerit. Atque haec urbs simili interdum errore Φυγάλεια scribitur. Vid. Sylburg. ad Pausan. L. IV. p. 337.

Wetstenii Testamento addidi aliquot Timaei plagulas, in quas quo severiorem crisin exercueris, eo mihi gratius feceris. Castigationibus Tuis locus dabitur in Addendis. Coepi etiam aliquid commentari in Marmora vetera, quod inseretur Memoriis Academiae Inscriptionum et elegantiorum literarum Parisinae, cui ante aliquod tempus socius sum adscriptus. Totus deinde ero in expoliendo praeclaro Phrynichi opere MS. Σοφιστικῇ προπαρασκευῇ, cui alia etiam quantivis pretii accedent, ex Codd. MSS. Bibliothecae Regiae deprompta. Sed quando Tuam in Lucianum Epistolam criticam videbimus? Dedit mihi hoc negotii Tui studiosissimus Hemsterhusius, ut Tibi aurem vellerem. De Bachio nostro diu est, quod nihil acceperim. Vellem, magnum aliquod et duraturum ingenii sui conderet monumentum. Non poterit ejus studium melius collocari, quam in Xenophontis Operibus omnibus ea cura et accuratione, qua digna sunt, edendis. Cui editioni insigne decus conciliarent Codicum Florentini et Parisiensis Collationes, quae nuper, favente fortuna, in manus meas pervenerunt.

Sed paene mihi exciderat, meritas Tibi gratias agere pro pulcherrimo munere, Aristophanis Nubibus: cujus Tu Scholia vetusta ita castigasti, nihil ut fieri potuerit ingeniosius aut elegantius. Cum p. XXII. tentares ἐκ τοῦ ψηφίσματος Μεγαρέων, forte gravioribus intentus,

non attendebas ad duplicem vim Genitivorum apud Graecos.

Vale, Vir summe, et ad me, quam creberrime poteris, quam longissimas literas scribe. Plurimum Te salutant VV. CC. Hemsterhusius, Alberti et Oudendorpius. Dab. Lugduni Batavor. d. 27. Decembr. 1758.

---

## VI.

## IO. AUG. ERNESTI *VIRO CELEB.* DAVID RUHNKENIUS S. P. D.

Sub ipsum meum ex Batavia discessum duas a Te literas eodem fere tempore scriptas accepi. Inprimis mihi gratus accidit Catalogus, quem adjeceras, Boernerianae bibliothecae: ex qua, quando potestatem facis, pretio, quo Tibi digni visi fuerint, hos mihi libros parabis: p. 53. Phrynichum cum MSS. Vulcanii, si sint alicujus momenti. p. 71. Grammii Observationes in Aratum. p. 68. Scholia Homeri Romae 1517. cum MS. Salmasii. Ibid. Scholia in Homerum cum notis Bongiovanni. p. 72. Nicandri Theriaca apud Aldum. Ib. Dicta Poëtarum ex Stobaeo. p. 75. Scholia in Homerum Horneji. p. 78. Phileleutheri Emend. in Menandrum. NB. editionem Cantabrigiensem. p. 86. Spicilegium Animadversionum in Philostratum. p. 102. Putschii Grammat. veteres. Grammii Observat. in Aratum et Bongiovanni Scholia in Hom. quovis pretio emi velim. Alterum enim nunquam vidi, alterum semel.

Equidem plures jam menses in Gallia haereo, et in excutiendis tum publicis, tum Monasteriorum privatorumque hominum bibliothecis multum studii consumo.

Neque adhuc poenitet sumtuosum iter fecisse. Nam vere Tibi, mi Ernesti, affirmare possum, hoc iter meum, si Deus vitam concesserit, et Graecis literis et omni antiquitati mirifice profuturum. Etenim plures jam Criticos Grammaticosque veteres ex situ et pulvere extraxi, quos, si videris, Polluci et Harpocrationi comparandos, Hesychio et Suidae praeferendos judicabis. Sunt in his, quos dudum vetustate absumtos credebam, v. c. Orion Thebanus et Eudemus, quorum prior *Ἐτυμολογικὸν* scripsit, posterior *Λεξικὸν*, *Ῥητορικόν*. Callimachi nihildum reperi, nisi fragmenta in Glossariis antiquis conservata, quae alio tempore Tecum communicabo. Sub futurae aestatis initium in Bataviam revertar. Neque Tibi auctor sum, ut ante mittas Callimachum Tuum. Nam qui ejus curam suscipiat, scio neminem.

Quod scribis, Te, Callimacho absoluto, Xenophonti operam navaturum, dignum est negotium summo ingenio et rara eruditione Tua. Equidem non tantum excerpta Codd. quae penes me sunt, Tibi suppeditabo, sed cum editis etiam committam Cod. membranaceum, qui Leidae est, *Κυροπ.* et *Ἀναβ.* Quicquid porro in Parisinis Bibliothecis est, facile pro ea, qua apud Illustres viros, Bignonium et Sallierium valeo, gratia Tibi parabo.

Sed quando videbimus novam Clavis Ciceronianae editionem? Galli etiam hunc librum avide desiderant. Ceterum miror, Librarios vestrates tam parum commercii habere cum Gallis. Certe ne unum quidem exemplar Suetonii et Taciti Tui huc perlatum est: quod moleste ferunt Academici eruditi. Capperonnerius et Bejotus, Viri Graece doctissimi, praeclaram parant Plutarchi editionem: quam in rem infinitum apparatum ex omnibus fere Europae bibliothecis congesserunt. Parisinis etiam typis cum maxime exscribitur Sophocles ex editione Iohnsoni, cui Capperonnerius, me auctore, adjiciet duo-

rum vetustissimorum Codd. collationem. Reperi hic Medicum, Falconnetum, supra quam credas, Graece doctum, quem omnibus modis excito ad condendum ingenii tam praestantis monumentum. Quid agit Gunzius vester? Dabitne novam Aëtii editionem? De Trilleri Hippocrate spes omnis, credo, decolavit. Nec aegre feret, qui norit hominem loquacem, ventosum, indoctum; cui, mirum est, Gesnerum tantum tribuere.

Bachium nostrum quam officiosissime salutabis. Vale, Vir Summe, meque, quod facis, ama. Dab. Lutetiae Parisiorum. Kalend. Februar. 1755.

Literis Tuis inscribas: à l'Hôtel le Duc de Bourgogne rue de Parcheminerie à Paris.

---

## VII.

## IO. AUG. ERNESTI

*V. CEL.*

DAV. RUHNKENIUS. S. P. D.

Diutius, quam vellem, inter nos cessavit literarum commercium; quod cum per se suavissimum, tum bonis literis utilissimum, singulari semper coluimus diligentia. Superiore quidem anno, mense, ni fallor, Februario, Parisiis ad Te scripsi. Sed nihil ex illo tempore a Te literarum vidi. Neque tamen ideo minus saepe vel de Te, vel de Callimacho Tuo cogitavi: quod vel ex schedula subjecta cognosces. Continet autem illa varia Callimachii Fragmenta *ἀνέκδοτα*, ex libris MSS. eruta. Restant tamen paucula, alias Tecum communicanda, in MSto Apollonii Rhodii Scholiasta, cujus usuram vir doctus in Frisia cum maxime a me impetravit. Hymnorum Callimachi Codicem Regium cum ipse Parisiis evolverem,

glossas quasdam interlineares, tanquam levior simmoneti, in doctissimi Capperonnerii collatione reperi omissas: quas et ipsas in schedulae fine a me restitutas videbis. Notae Tuae in Callimachum, noli dubitare, Vir Summe, quin, quo erunt longiores uberioresque, eo futurae sint gratiores. Sed quandoquidem Luchtmannus hunc poëtam duobus voluminibus concludi cupit, poteris, ut spatium lucreris, Vulcanii, Annae Fabri et Spanhemii Fragmenta cum Bentlejanis in unum corpus conflare. Testimonia etiam de Callimacho aliter disponenda sunt, inepte a Graevio digesta. De Epigrammatum et Fragmentorum versione Latina quid Tibi videtur? Negat Hemsterhusius illam Bentlejo deberi. Quid porro censes de Epigrammate, *Ἐχθαίρω τὸ ποίημα τὸ κυκλικόν* etc. Hoc idem Vir egregius insulsum recentioris poëtae lusum credit. Sed Hemsterhusianae conjecturae alias fortasse Tecum communicabuntur. Callimacho expolito, si Xenophonti studium Tuum dicare constitueris, quaeso, me in hujus laboris societatem admittas. Debebit elegantissimus scriptor nonnulla ingenio nostro: sed multo plura libris, quos consuluimus, manu exaratis. Equidem totus sum cum in ornanda Phrynichi *Προπαρασκευῇ Σοφιστικῇ*, tum in paranda Scholiorum Platonicorum, nuper a me ex bibliothecarum latebris protractorum, editione. Noli quaerere, an vetustate et eruditione commendentur. Si ab Aristophanis et Apollonii Criticis discesseris, non est, quod cum illis ullo modo comparari possit. Vix fidem inveniet, tam egregium antiquitatis monimentum tamdiu latere potuisse in illa bibliotheca, cui Rudaeus, Casaubonus et Rigaltius olim praefuerunt.

Vellem, commendatione Tua, mi Ernesti, Guelpherbyti notitiam contrahere possem cum viro quodam Graecis literis exculto. Est enim in illa bibliotheca unus alterve Codex, cujus mihi opus est Variantibus. Qua

de re, nisi grave est, facies me certiorem. Salutat Te Hemsterhusius, et tum Callimachum Tuum, tum Epistolam Criticam, quam olim in Lucianum scribere promisisti, cupide mecum exspectat. Vale, mi amicissime Ernesti, meque, ut amas, ama. Dab. Leidae d. 28 April 1756.

---

## VIII.

## *VIRO SUMMO,*

## I. A. ERNESTO

## DAVID RUHNKENIUS S. P. D.

De honorum incrementis, quae in patria Tua capis, Tibi etiam atque etiam gratulor. Illud tantum vereor, ne novi, qui hinc nascuntur, labores, Tibi Callimachi hoc anno absolvendi facultatem eripiant. Interea Spanhemianus Commentarius prelo subjicietur. De Epigr. et Fragm. versione non aliam Hemsterhusius habet dubitandi caussam, quam quod multis locis indigna est Bentlejo, nec accommodata ad certissimas, quas in textum recepit, emendationes. Idem de conjungendis aliorum fragmentis cum Bentlejanis mecum sentit; nec repetendas esse censet Voetii notas, futiles certe et perineptas. Frischlini Annotationes quamquam et ipsae hanc literarum lucem vix ferre possunt, ideo tamen, nisi Tu aliter jubeas, sunt iterandae, quod passim a Spanhemio aliisque ad partes vocantur. Tantum igitur spatii cum Tibi, mi Ernesti, tributum sit, indulge ingenii Tui ubertati, sic ut non solum de Callimacho, sed de omnibus Graeciae veteris scriptoribus praeclare mereare: indulge etiam aureae, qua polles, eloquentiae, ut alii hinc in posterum eleganter commentandi exemplum sumant. Scribant breves notulas, quibus curta domi supellex est. A Te,

quem antiquitatem omnem capitali ingenio complexum scimus, non nisi Excursus, quales in Suetonium dedisti, exspectamus. Pergratum mihi feceris, si, ex occasione, cultissimis Homeridarum hymnis medicinam afferas. Equidem dudum illorum editionem meditor. Sed omnium lectionum monstris me haud parem sentio perdomandis.

Quicquid reliqui erat penes me Fragmentorum Callimachiorum, in schedula subjecta reperies. Plura fortasse suppeditabit Apollonii Dyscoli *d*) Grammatica inedita, cujus adhuc dimidia tantum parte fruor. Brevi tamen, quod restat, Parisiis ad me perveniet.

Literis, quas ad Cl. Heusingerum dedi, Tuas adjungas, meque ipsi de meliore nota commendes. Mirifice gaudeo, hominem Graece doctum in illa urbe reperiri. Habet enim bibliotheca Ducis multos insignesque Codices, in his etiam, ni fallor, Xenophontem: quem ut conferri jubeas, Tibi magnopere auctor sum. Wetstenius, qui Amstelodamo Leidam habitatum concessit, non videtur alienus ab imprimendo Xenophonte, Tuis curis perpolito. Albertus noster pristinam sanitatem recuperat, Teque salutat. Hemsterhusius etiam Tibi salutem impertit. Is parum contentus juvenilibus in Pollucem curis, ingentem in hunc Grammaticum scripsit Commentarium, separatim edendum, in quem omnes eruditionis suae thesauros profudit. Cui etsi nihil ad perfectionem absolutionemque deest, tamen is manum de tabula tollere nescit. Iuvenis Frisius Gisbertus Koen novam parat editionem Corinthi, vel Gregorii potius, de Dialectis. Kappii bibliotheca si publice vendatur, quovis pretio comparabis. Lennepio V. Cl. Phalaridis Variantes, olim ipsi a possessore negatas. Munusculis, quibus me beasti, nihil mihi accidere potuit gratius. Brevi, ut spero, leve

*d*) Cf. fragmentum ap. Tittmann. p. 104. *B.*

ἀντίδωρον a nobis habebis. Batavi tandem cogitant de me in lucem protrahendo: qua de re plura scribam sequentibus literis. Bachium V. Cl. meo nomine, nisi grave est, saluta, et literas ad me crebrius, fac, mittas. Hoc nihil mihi erit jucundius. Vale. Dab. d. 24. Iunii Leidae. 1756.

---

## IX.

## *VIRO SUMMO,*

## IO. AUG. ERNESTO

## DAVID RUHNKENIUS S. P. D.

Magnum, mihi crede, dolorem capio ex rebus adversis, quibus Saxonia cum maxime conflictatur, et intimis saepe sensibus angor, vel de Te cogitans, vel de Rittero nostro. Nec Tibi unquam vitio verterim, si hoc tali tempore, non dicam Callimachi, sed mei etiam sit memoria a Te abjecta. Sed cum nulla res aeque sollicita sit atque amor, facile Tibi est ad existimandum, quanta cupiditate flagrem aliquid de Te rebusque Tuis audiendi. Cui desiderio meo si vel tribus verbis satisfeceris, maximo me a Te beneficio affectum existimabo.

Obtigit enim tandem vitae meae studiisque portus maxime tranquillus et optatus. Namque mense proxime elapso Illustrissimi Academiae Leidensis Curatores, Hemsterhusii commendatione adducti, me publicum Graecarum literarum Praelectorem (Germani Professorem extraordinarium dicunt) proposito satis luculento stipendio, crearunt. Cessit igitur mihi summus magister, ob aetatem ingravescentem, Graecae linguae docendae provinciam: historiae enarrationem sibi servavit.

Spanhemianum Commentarium operae prope totum

exscripsere. Ultimam, quam vocant, revisionem legens, infinitos errores sustuli, a superioribus operis, Spanhemii manum minus assecutis, temere invectos. Vel sic tamen restant aliquot loci, ex quibus nullum idoneum sensum elicias. Integrae enim periodi loco suo turbatae videntur.

Heusingerus, cujus amicitiam literis humanissime scriptis ambieram, cui Tu etiam me de meliori nota commendaras, nihildum mihi respondere dignatus est. Cupio scire, quid de eo tam male meritus sim, ut ne tralatitio quidem honore me dignum putet. Amico utitur Fischero, ex quo Tibi facile erit silentii caussam indagare.

Plura scribam, si literas Tuas accepero. Interim vale, Vir eximie animoque meo carissime, et Bachium nostrum meo nomine saluta. Dab. Lugduni Batavorum d. 8. Mart. 1757.

---

## X.

### *VIRO SUMMO,*

### IO. AUG. ERNESTI

### DAV. RUHNKENIUS S. P. D.

Plane nescio, quibus verbis Tibi gratias agam, aut quomodo satis digne laudem munera, quae humanissime ad me misisti. Quanta in illis est verae et solidae doctrinae copia et varietas! Profecto vix quisquam hodie in una eruditionis parte tantum eminet, quantum Tu in omnibus. Commentatione ad Callimachi Epigramma nihil in hoc genere vidi elegantius. Utinam omnes Callimachi locos, qui aliqua difficultate laborent, tam fuse

illustrares! Nam ut longas aliorum notas plerumque respuo, sic Tuarum notarum longissimam quamque optimam judico. Nihil igitur caussae est, quare prolusionem, quam dixi, in editione Callimachi ipsa contrahere et in compendium mittere constitueris. Satis Tibi ad commentandum spatii erit, Frischlini et Voëtii nugis abjectis. Praeterea varios illos Indices, qui bis terve eandem rem exhibent, in duos, alterum verborum, alterum rerum, conflare, et Spanhemiano Commentario subjicere constituimus. Quo facto rursus plurimum spatii lucraberis. Bentlejanas notas, cave, textui subjicias. Sunt enim jam in alterum volumen a me rejectae. Sed ut de Epigrammate illo verbum addam, nondum a Te persanatum videtur. Nam ὄχα, quod restituis, nimis rarum est, nec usquam, nisi apud Homerum cum superlativo ἄριστος, reperitur. Felicior hora fortasse Tibi, quod probabilius sit, suppeditabit. Ad Bentleji conjecturam, σύντονος ἀγρυπνία, conferas, licet, Nilum Epist. XXXIV. p. 57. ἀλλὰ καὶ εὐχῆς ἅψαι λοιπὸν, καὶ ψαλμῶν νηφαλίων, καὶ ἀγρυπνίας συντόνου. Bentl. Fragm. XI. videtur augeri posse versiculo e Luciano Amor. T. II. p. 451. Sed eundem versum cum alio pentametro laudat Plato in Lyside p. 503. Tu videris.

Dissertationes in Iosephum, quas praeclare instituisti, quaeso, quam primum absolvas, et postea illas, si ita visum fuerit, uno volumine conclusas, in Belgarum nostrorum gratiam, separatim edas.

Initia Tua Rhetorices multis scholarum magistris in hac regione commendavi; qui se insignem inde fructum cepisse uno ore fatentur. Verum iidem vehementer cupiunt, caput de Elegantia luculentius uberiusque a Te tractari. Sic enim juventus in posterum carere posset futili Heineccii de stilo libello.

De conferenda prima Callimachi editione, quae est

penes doctiss. Askew, nondum evanuit spes omnis. Sed hac de re Ampliss. Meermannus brevi ad Te scribet.

Abreschius a Graecis scriptoribus obscurandis se ad Latinos convertit. Brevi enim edet Nonium Marcellum. Io. Schraderus, juvenis sagacissimus et tritus Latinorum poëtarum lectione, Animadversionum libros prelo subjecit.

Fasciculum, quem nuper ad Te dimisi, spero Te jam accepisse. Vale, vir amicissime, meque, ut amas, ama. Plurimam Tibi salutem impertit Hemsterhusius noster. Tu meo nomine salutabis elegantissimum Bachium. Dab. Lugduni Batavorum. d. 14. Sept. 1757.

---

## XI.

## *VIRO MAGNO,*

## IO. AUG. ERNESTI

## DAVID RUHNKENIUS S. P. D.

Mirifice gaudeo, partem Tuarum in Callimachum Animadversionum brevi ad nos perventuram. Quas quidem tanta cupiditate, quanta nullum unquam librum alias, devorabo. Iam gestit animus illarum se pascere ubertate et elegantia. ἔστρεφον nunc Tecum retinendum censeo in Fragm. 129. Sed conjectura Tua in secundo versu Epigr. 49. minus placebat Hemsterhusio. Quid Salmasius tentarit, ex schedula adjecta cognosces. Felicius conjecisti in ejusdem Epigr. v. 7. ἄκος enim a vero parum abest. Ipsum verum acute vidit Iuvenis eruditissimus, Io. Piersonus, qui mihi dudum scripsit, sibi emendandum videri: Ἔσθ' ἁμῖν κ' ἀκεστὺς ἀφειδέα etc. quo etiam Codicis Salmasiani vestigia ducunt, ἀκεστὺς scripsit, ut ἀσπαστὺς apud Suidam, (quod inter fragmenta referes) γελαστὺς, οἰστευτὺς, et alia, de quibus no-

tavi Epist. Crit. II. p. 42. *e*). Epigramma 33. ut saepe solet, expressit Aristaenetus L. II. ep. 16. quod a nupero ejus Commentatore non est observatum. In Fragmento, quod Ep. Crit. II. p. 42. tractavi, nunc legere malim:

— *Μοῦσαι νιν ἑοῖς ἐπὶ γούνασι τυννὸν ἔθεντο.*

Hesychius: *Τυννός. μικρὸς, τηλικοῦτος.* Eadem opera emendabis Suidam: *Ἐκ τιτυνῶν. ἐκ μικρᾶς ἡλικίας.* Portus, probante Kustero, corrigit, *ἐκ τυτθῶν.* Sed reponenda est forma Dorica, *Ἐκ τυννῶν.*

Ceterum quae Gesnerus ad Te de Callimachi fragmentis scripsit, a jocante potius, quam a serio loquente profecta esse videntur. Itaque hac ratione non nimis confiderem. Equidem Callimachi Fragmenta eo diligentius tractanda existimo, quo plura iis insunt singularia, nec alibi facile reperiunda. Nam qui plura in Graeca lingua hoc poëta novarit, novi neminem. Neque omnia tam obscura et incerta sunt, quam initio obiter lecta videntur. Memini me aliquando hoc Callimachi fragmentum ex Orionis Thebani Etymologico MS. Tecum communicare: *Χεὰ καὶ χειὰ, ὁ φωλεός. — καὶ μετὰ περισσοῦ τοῦ ō Καλλίμαχος·*

*Οἱ δ' ὥστ' ἐξ ὀχεῆς σοφίβαι ὅλως αὐχέν' ἀναυχήν.*

Ne Sphingis quidem aenigma magis obscurum esse potest, quam hic versus. Atqui pignore certare paratus sum, me ipsam Callimachi manum restituisse:

*Οἱ δ' ὥστ' ἐξ ὀχεῆς ὄφις αἴολος αὐχέν' ἀνασχών.*

Adposite Cicero in Vatin. c. 2. *Repente enim te, tanquam serpens e latibulis, oculis eminentibus, inflato collo, tumidis cervicibus, intulisti.* Iam non vacat Nicandrum evolvere, ubi loci plures sunt simillimi.

---

*e*) Ed. alt. p. 132. Quae sequuntur, eodem modo correxit V. Cl. ibid. p. 178. *B.*

Editionis principis Collationem recte ad Te spero esse perlatam. Sed vereor, ne pro thesauro carbones. Variantes quin accurate enotatae sint, non est quod dubites. Petieram enim et ab Askeo et Gally, ut vel levissima quaeque excerperent.

Bongiovanni in Iliadem Scholia forte ad Meermannum nostrum aut alium misisti. Ego certe nunquam illa oculis usurpavi. De Libanii Orationibus multum Te amo. Sed Tu, velim, mihi indices libros, quos Tibi illorum loco mittam. Alia enim conditione nihil a Te accipere constitui.

In pauculis Ioannis Grammii libellis, qui ad notitiam meam pervenerint, rectum et probum in literis nostris judicium, eximiamque Graecae linguae scientiam admiror. Quodsi mihi vel ex Tua vel ex amicorum Tuorum bibliothecis omnia ejus opuscula suppeditarentur, illa Batavis typis descripta, oblivioni eriperem. Quicunque vero vel Dissertatiunculam mihi suggesserit, illi operum nitide recusorum exemplar cum gratiarum actione donabitur.

Discipulum quendam Tuum, Bauerum, ni fallor, aliquid in Thucydidem scripsisse, nescio ubi legi. Miror, illius libelli nullum exemplar huc esse perlatum.

Hemsterhusius, Tui supra quam credas studiosus, Te etiam atque etiam salutat. Vale, Vir Magne, meque, ut amas, ama. Dab. Lugduni Batavor. d. 19. Februar. 1758.

---

## XII.

### *VIRO MAGNO,*

### IO. AUG. ERNESTI

### DAVID RUHNKENIUS S. P. D.

Si quid unquam gratum atque exspectatum ad me pervenit, certe Tuae in Callimachum observationes fuerunt:

in quibus legendis relegendisque plures cum Hemsterhusio dies jucundissime consumsi, ubique admirans acerrimi vim ingenii, doctrinae exquisitae ubertatem, elegantiamque scribendi. Profecto si nullum aliud ingenii Tui monimentum extaret, hae observationes solae facile nomen Tuum immortalitatis memoriae consecrarent. Neque minus, quam ego, illis excutiendis delectatus est Hemsterhusius, qui saepe mirifice laetabatur, Te quasi de compacto in eadem cum ipso incurrisse cogitandi vestigia. Quo praestantius igitur opus Tuum nobis visum fuit, eo majorem operam dandam putavimus, ut ne levissimi quidem naevi in tam pulchro corpore relinquerentur. Notulas nostras in adjectis schedulis reperies, praebituras Tibi largam, ni fallor, disputandi et Callimachum castigandi materiam. Itaque δευτέρας φροντίδας, quibus priores observationes vel augeas, vel emendes, a Te avide exspecto; quas ego deinde locis suis diligenter accommodabo. Praestat enim illas suo loco, quam in addendis, legi. In notis Tuis ubique summa humanitate erga doctos homines usus es: erga me quidem nimia, sic ut paucorum etiam locorum, quos Tibi suggesseram, indicium mihi tribueris. Verum cum non consueverim laureolam in mustaceo quaerere, nomen meum passim delevi. Ex talibus nihil mihi laudis vel accrescit vel decedit. Tibi vero, qui Editoris partes sustines, ne levia quidem sunt praetermittenda. Vellem, si per alia negotia Tua liceret, unum alterumve Excursum adderes, v. c. de Pelagonibus, de quibus multa dicenda supersunt. Nam ubi Tu rem aliquam latius tractare instituis, mihi quicquid est eruditorum hominum superare videris.

Exspectaveram etiam literas ad me Tuas, item Libanium Giovanni, atque alia, de quibus mihi superiore anno scripseras. Quae omnia, vereor, ne in via direpta

perierint. Interea dum Tu insigne animadversionum Tuarum supplementum paras, nos in Spanhemiano Commentario excudendo pergemus. Visum est mihi commodius futurum, si utriusque voluminis Indices in unum conflati Spanhemiano Commentario sive alteri volumini subjicerentur. Nec multiplicandus est numerus Indicum, ut in Graeviana editione factum. Nam tres sufficiunt, quorum primus designet ipsa verba Callimachi, secundus res, quae Variorum notis continentur, tertius denique auctores veteres vel emendatos vel illustratos. Estne aliquis inter discipulos Tuos, qui praemio, quod Luchtmanni proponent, invitatus, ingratum Indicum conficiendorum laborem suscipere velit? Nostri quidem homines, quibus plerisque lauta res domi est, nimis fugiunt ejusmodi laborem.

Hemsterhusius, Tui, si quis alius, studiosus, plurimam Tibi salutem impertit. Vale, Vir Eximie, et Bachium nostrum meis verbis saluta. Dab. d. 18. Julii 1758.

Literas, quas posthac ad me dabis, non alia, quam quae per Hamburgum est, via mittas velim.

---

## XIII.

## *VIRO MAGNO,*

## I. A. ERNESTI

## DAVID RUHNKENIUS S. P. D.

Cum mihi Luchtmannus significaret, se literas ad Te daturum, etsi post satis longam epistolam nuper admodum ad Te scriptam vix quicquam, quod scriberem, haberem, malui tamen undecunque scribendi argumentum arripere, quam plane nihil scribere. Codicis Vossiani

collatio, qua usus es, non a me ipso, sed ab alio viro docto facta erat. Itaque ipse his diebus rursus illum Codicem ad editum textum exegi, et Variantes plures ab illo viro docto omissas vidi, quarum suo quamque loco in notis Tuis inserui. Eadem etiam opera animadverti, Vossianum plerumque convenire cum Ambrosiano secundo. Sed nollem neglecta esset quantivis pretii lectio H. in Cer. vs. 93.

— μέσφ' ἐνὶ πλευρὰς (sic)
Δειλαίῳ ἴρίς τε (sic) καὶ ὀστέα μοῦνον ἔλειφθεν.

Hinc si rescribas ἐνὶ πλευραῖς vel ἐπὶ πλευρὰς, non opus erit Valckenaerii nostri conjectura. In vs. 96. et ipso controverso χῶ deest in Vossiano, sed spatium voci relictum. Deinde pro ἔπινε scribitur ἔπυνε (sic). Latet aliquid monstri in hoc versu. Est quoque observatu digna ejusdem Codicis lectio H. in Del. v. 239. nempe εἴρης pro ἄγρης. Dudum etiam mihi suspicio injecta est, Codicem Regium a Capperonnerio non satis accurate esse collatum. Ac jam poenitet, me ipsum, cum Parisiis essem, illum non contulisse. Nulla enim varietas notatur in illis lacunis, a Te indicatis: unde Tu conjecisti, Benenatum vel Stephanum supplementa lacunarum ex illo Codice petiisse. Sed ego minime dubito, quin eaedem lacunae sint in MS. Regio, quae in ceteris. Qua de re ut certior essem, nuper amicis meis Parisinis hoc negotii dedi, ut mihi illorum locorum lectionem quam accuratissime enotarent. A Te brevi luculentum notarum Tuarum supplementum exspectamus. Operae excudunt initium H. in Dianam. Vale, Vir amicissime, et, quo animo semper in me fuisti, eodem esse perge. Dab. Lugduni Batavorum d. 24. Novembr. 1758.

---

## XIV.

*VIRO MAGNO,*

IO. AUG. ERNESTI

S. P. D.

DAVID RUHNKENIUS.

Utinam multas similes a Te literas accipiam, quae quo longiores fuerunt, eo suaviores gratioresque. Pro pulcerrimo munere, nova Homeri editione, maximas Tibi gratias ago. Etsi per alia negotia nondum singula excutere potui, tamen quocunque oculos conjicio, intelligens et acre judicium Tuum admiror. De Vossiani Codicis Lectionibus scripsi ad Valkenarium, quas an missurus sit, nescio. Est enim paulo morosior. Vellem in editionem Tuam etiam conjecisses quicquid boni habet editio Barnesiana: quod adeo exiguum est, ut tribus quatuorve plagulis imprimi potuisset. Nunc propter paucula ista, haec quoque editio magno pretio emenda est. Minus probo Gesneri consilium de addendo Indice Seberiano. Est ille liber satis obvius, et nuper Florentiae recusus. Cur non potius adduntur Scholia minora ad finem editionis Lascaris et aliarum castigata? Quod me ad Homerum ornandum vocas, in eo agnosco humanitatem Tuam. Equidem certum et perpetuum, ut spero, nominis mei domicilium in Platone habebo: in quem et Scholiasten ἀνέκδοτον et perpetuas animadversiones separatim edam. Scholiastes ille, Aristophanis et Apollonii Interpretibus similis, multum supra vulgus Grammaticorum sapit, et tam reconditae eruditionis thesaurum affert, ut ipse Hemsterhusius fateatur, se ab ejus lectione nunquam nisi doctiorem recedere. Sed habeo multo plura quantivis pretii ἀνέκδοτα, quibus editis novum

Graecis literis lumen oborietur. Homero absoluto, Te ad Josephum redituram vehementer gaudeo. Ipse Codicem Albertinum cum edito diligentissime committam, qui labor mihi jucundus futurus est cogitatione Tui. Velim tamen Josepho ita operam naves, ut nunquam ex oculis dimittas Xenophontem. Nemo hodie est, qui melius Te Musam Atticam ornare possit. Valkenarius nuper publice scripsit, Agesilai Vitam, quae nobis omnibus adhuc in deliciis fuit, non Xenophontis esse opus, sed insulsum nugacissimi Sophistae, qui Xenophontis nomen mentitatur, commentum. Spuriam quoque judicat Apologiam Socratis, et quaecunque in Cyropaedia leguntur ad finem usque post verba καὶ οὕτως ἐτελεύτησεν p. 238. ed. Leunclav. quamquam de his nondum ausus est publice sententiam dicere.

De Heinio bis terve ad Te scripsi. Sed nihil responsi tuli. Roterodamenses avide exspectant secundas ejus curas in Epictetum. Luchtmanni novae editionis Catulli, Tibulli, Propertii curam illi deferre cupiunt.

Brevi a Te exspectamus Indices cum Praefatione. Omnia mittentur per cursorem publicum. Vecturam solvent Luchtmanni. Vale, decus nostrum, meque, ut amas, ama. Dab. Lugduni Batavorum d. 24. Junii 1760.

In Addendis *f*) haec locum invenire poterunt:

H. in Jov.

vs. 13. Vossianus Codex habet ἐπιμίσγεται.

vs. 34. Vossian. Cod. habet κευθμόν. Ergo alium Codicem nominare voluisti.

p. 29. pro *Ciceronem* lege *Terentium*.

vs. 83. ἐμβάλλειν τινὶ τὶ pro *dare* dixit Pindarus Olymp. VII. 79. nec quicquam habet insolens.

---

*f*) Maximam partem inveniuntur in Add. ad calcem T. I. Callimachi Ernestini. *B.*

H. in Dian.

vs. 25. γυίων confirmare potuisses ex Maximo περὶ ἀρχῶν vs. 156. et 240.

H. in L. P.

vs. 17. Puto omnes veteres edd. et Codices habere κάτοπτρον.

H. in Cer.

vs. 103. Βόσκε λαβών. Miror Te sequi veterem versionem, quam recte explosit Spanhemius.

p. 322. in textu legendum: ἐπ' ἐσσομένοισιν.

Frischlini et Voetii notas omnes ex hac editione ejecimus, Te, credo, haud invito.

Prodiit his diebus Claudianus P. Burmanni cum praefatione P. Burmanni Secundi, in qua rursus misere vapulat Saxius. Nec prius Archilochus Amstelodamensis satirae scribendae finem faciet, quam Lycamben Ultrajectinum ad restim adegerit.

---

## XV.

### *VIRO SUMMO,*

### IO. AUG. ERNESTI

### DAVID RUHNKENIUS S. P. D.

Excusis opusculis Tuis, Luchtmanni a me petierunt, ut Te de praefatione scribenda admonerem. Humanissime Tu quidem praefandi provinciam ad me defers. Sed me triplex professio Historiarum, Eloqu. et Gr. L. ita occupatum tenet, nihil ut aliud agere liceat. Vitae Gesnerianae enarrationem, quaeso, ne differas in aliud tempus. Alii dicent, quam uxorem, quot liberos habuerit. Tu nobis effigiem summi ingenii et doctrinae expressam dabis, quam intueantur bonarum literarum stu-

diosi. Multa per hanc occasionem a Te dici possunt ad rectam studiorum rationem pertinentia. Memini, mihi juveni valde profuisse talium elogiorum lectionem. Valde mihi tum placebat Bergeri de Schurzfleischio narratio. Sed cum illam nuper alia de caussa in manus sumerem, prope placere desiit. Adeo multos naevos, vir factus, in ea reperi. Cum praefatione et Gesneri elogio simul ad nos mittas opuscula Tua historici et critici argumenti, quae et ipsa statim prelo subjicientur. Interpretem N T. quicunque hic legerunt, aureolum libellum vocant, in his idoneus judex, Albertus. Gesneri Orphicis quid futurum sit, scire cupio. Utinam Tu illorum curam suscipias! Ritterus noster adhuc Vitembergae haeret. Nunquam vidi negotium magis lentum. Cum omnia impedimenta sublata putaremus, ecce, hiemis asperitatem praetexere coepit. His modis Curatores jam ultra annum duxit. Ipse Praeses Globigius eum apud Curatores accusavit, quasi mala fide rem extraheret, dum Bruhlius, quae magnifice promisit, praestaret. Verum ego nondum adducor, ut tale quid suspicer de viro, cujus integritatem tot aliis rebus perspexi. Interim Curatores, quos jam dudum inauditae morae taedium cepit, ei, nisi hic fuerit sub Martii initium, nuncium remittere decreverunt. Si igitur Tibi Ritteri salus curae est, fac, eum quantocius Vitemberga extrudas.

Vale, Vir Summe, meque, ut amas, ama. Hemsterhusius noster et Musgravius Tibi salutem. Dab. Leidae d. 12 Februar. 1762.

---

# EPISTOLAE
## AD CHRIST. GOTTL. HEYNIUM DATAE.

---

### I.

*VIRO EXIMIO*

CHR. GOTTL. HEYNIO

S. P. D.

DAVID RUHNKENIUS.

Incredibili laetitia affectus sum, cum intellexi, qualecunque meum de virtute et doctrina Tua testimonium apud Ill. Munchusium tantum ponderis habuisse, ut Tibi provinciam cum per se amplam, tum multo ampliorem, quod illam Gesnerus per tot annos ornavit, honestissimis conditionibus demandarit. Quamquam illud munus non tam Tibi gratulor, quam bonis litteris, quae talem statorem, qualem ipsae sibi vix optare ausae fuissent, in Te invenerunt. Utinam juventus germanica intelligat bona sua, et Metaphysicorum tricas valere jubens, ad solidioris doctrinae fontes, quos Tu aperies, combibendos accedat. Orationem aditialem, quam Te jam habuisse puto, et quicquid vel Tuo vel Academiae nomine scripseris, ut ad me perferendum cures, Te etiam atque etiam rogo. Si quid ejusdem generis a nobis profectum fuerit, suo tempore habebis. Valde mihi placet institutum Tuum edendorum Tzetzae Antehomericorum; dabiturque fortasse facultas Homerica et Posthomerica Tecum communicandi. Nam Samuel Musgravius, Londinensis, qui nominis sui domicilium in Euripide ponit, et nobiscum Leidae versatur, humanissime mihi promisit, se, simulatque in patriam rediisset, operam daturum, ut Londinensis codicis exemplum ad me perveniat.

Apollonii apparatum recte ad Te perlatum esse, gaudeo. Est in bibliotheca Vratislaviensi, bonis libris refertissima, Apollonii Rh. Codex manuscriptus. Cum Reimarus Dionem Cassium ederet, Burgius Xiphilini Codicem ex eadem bibliotheca Hamburgum usque misit. Forte ne nunc quidem Vratislaviae deerunt, qui Tibi eandem humanitatem praestent. Marclandi Propertium, vereor, ne frustra exspectemus. Nuper Euripidis Supplices cum elegantissimo ejus Commentario prodierunt; in cujus libri praefatione, a Marclandi amico scripta, vir ille eximius senio et arthritide ita confectus dicitur, ut ne praefationem quidem libri sui scribere potuerit. Quo magis Tibi, mi Heyni, seria cogitatio suscipienda est de Propertio edendo, cui, ut alias scripsi, Catullum et Tibullum Tuum adjunges. Catulli editionem etiam jactat P. Burmannus Secundus; quam, non est, quod magnopere expetamus. Nam edenda Anthologia Latina satis ostendit, se vulgarium potius notarum consarcinatorem esse, quam Criticum elegantem et sollertem. Memini, me aliquando insignem Catulli apparatum, quo etiam ineditae Broukhusii notae continebantur, apud Dorvillium videre. Verum si ullus poëta Latinus tali opera, qualem Tibullo navasti, indiget, is certe Statius est, cujus obscuritas doctos etiam homines rejicit ab ejus lectione. Quid? si hunc poëtam observationibus Tuis explicatiorem reddas: Critices studiosis deinde aliis in eum notis satisfacias. Dubito, an quid a Te agi possit utilius. Quodsi, quid a nobis agatur, quaeras, toti sumus in castigandis Hesychii literis Φ. Χ. Ψ. Ω. quas Cl. Albertus, morte raptus, absolvere non potuit. Scribimus praeterea animadversiones in Longinum, quas novae, quam parat, editioni adjiciet Joannes Toupius, Criticus excellens in paucis, cujus nuper Londini prodi coeperunt Emendationes in Suidam. Gesneri Orphica quo loco

sint, proxime ad me perscribes. Miseram ad virum summum paullo ante fatalem diem Collationes MSS. Orphei, measque in illum observationes, hac addita lege, ut, quascunque conjecturas ipse probaret, sub meo nomine ederet; ceteras ne commemoraret. Quod ego a Gesnero praestitum arbitror. Sin minus, velim, Cl. Hambergerus legi, quam dixi, obtempéret, aut omnes potius notulas meas omittat. Tibi jam licet coram cum eo agere. Vale, Vir praestantissime, meque ama amore illo Tuo singulari. Dab. Lugduni Batavorum. d. 14 Iul. 1763.

---

## II.

## HEYNIO SUO

S. D.

## DAVID RUHNKENIUS.

Nunquam officiorum, quae amicis debentur, negligentior fui. Sed nunquam justiore uti licuit negligentiae excusatione. Tu quidem, optime Heyni, si diutius, quam par est, ad Te scribere distuli, facile mihi veniam dabis, qui experiundo cognovisti, quantopere animus ab omnibus aliis rebus abhorreat, cum amore et re uxoria occupatus districtusque tenetur. Nunc, uxore post longam procationem domum deducta, Tibi promitto spondeoque, me in posterum operam daturum, ut literarum assiduitate explearis. Tres a Te epistolae, omni suavitate conditae, ad me pervenerunt, e quibus magna cum voluptate cognovi, omnia Tibi prospere fluere, Teque maximi Musagetae, Munchusii, gratia florere. Recte etiam ad me perlatus est fasciculus programmatum et orationum, in quibus, dubito, utrum magis admirer exquisitam doctrinam, an genus dicendi masculum, et

plane latinum. De genio seculi Ptolemaeorum ita disputas, ut nihil possit fieri elegantius. Sed ubi de Callimacho sententiam dicis, testis non adscribendus erat Lucianus de conscr. hist. §. 57. in quo Piersonus, amor quondam noster, nunc desiderium, bene Antimachum reposuit, ad Herodianum Grammat. p. 440. In commentariis germanicis notulas in Euripidem, quae Musgravianis subjiciuntur, Hemsterhusio tribuis, quae sunt Thyrwitti, doctissimi Angli, et in reipublicae luce versantis. In Britannicarum bibliothecarum catalogis nullus Apollonii Codex memoratur. Sed certiora et exploratiora accipies a Cl. Tayloro, quem, scio, in Apollonio emendando multum operae posuisse. Is etsi nullo literarum commercio mihi jungitur, dabo tamen operam, ut literae Tuae recte ad eum Londinum perferantur. In primis Tibi auctor sim, ut per literas notitiam contrahas cum Cl. Musgravio, qui cum maxime Parisinas bibliothecas excutit, Tuumque adeo studium in Tzetze edendo adjuvare potest. Multi Parisiis sunt Apollonii codices: Sed non audeo amicis meis ingratum illos conferendi laborem imponere. Verissimum est, quod Tibi narravit Jungius, Platonis Scholiastem penes me esse. Haec Scholia partim a memet ipso, partim ab eruditis amicis collecta e Codd. Parisinis, Florentinis, Vaticanis, Vindobonensibus, non unius illa quidem auctoris sunt, nec ejusdem aetatis, verum tamen tam reconditae plena eruditionis, ut proxime accedant ad Scholiorum Aristophanis et Apollonii praestantiam, multum praeferenda sint Scholiis Pindari, Sophoclis, Nicandri. Equidem non dubito, quin, si opus videris, miraturus sis, tantum thesaurum tam diu latere potuisse. Fabricius in Bibl. Latin. T. I. p. 799. scribit, ex Iac. Thomasii Progr. p. 276. patere, illum diligentem operam impendisse emaculando Rutilio Lupo de Figuris. Qui Thomasii liber si Tibi ad ma-

num est, velim mihi illum locum describas, ut, quid Thomasius in hoc rhetore praestiterit, existimare possim. Equidem Rutilium propter lectissima veterum oratorum fragmenta, quae conservavit, non modo studiose legi, sed etiam ita emendavi, ut facili negotio novam ejus editionem dare possim. Verum adhuc desidero tum veteres quasdam editiones, tum Codicum MSStorum Variantes. Quodsi bibliothecae vestrae veteres ejus editiones habeant, quae sint, mihi haud gravate indicabis. Vere judicas, mi Heyni, Klotzium excellenti praeditum esse ingenio, quod non conferri debuisset ad futiles libellos scribendos. Equidem hoc ipsi consilium darem, ut per sexennium in legendis antiquis scriptoribus severa lege proficiat, et tum demum doctrinae suae specimen edat. Qua ratione nulla erit ad Burmanni injurias ulciscendas efficacior. Hemsterhusius ὁ πάνυ, quo vix quisquam de eximia eruditione et virtute Tua magnificentius sentit, plurimam Tibi salutem impertit. Mi Heyni optime et amicissime, etiam atque etiam vale. Dab. Lugduni Batavorum. d. 27. April. 1764.

Literis ad Musgravium inscribas:

A Monsieur
Monsieur Musgrave
Docteur en Medicine
Rue des Cordeliers, à l'hôtel d'Ecosse, à Paris
vis-a-vis la Rue de Touraine.

---

## III.

## HEYNIO SUO

## DAVID RUHNKENIUS S. P. D.

Accepi literas Tuas suavitatis, humanitatis, atque amoris erga me Tui plenissimas, quibus Te scribis ab Apol-

Ionio ad Virgilium edendum revocatum esse. Equidem saepenumero librariis germanis male precatus sum, qui, si quem gentis suae virum excellere vident, eum non suo arbitrio agere sinunt, sed precibus aut pretio sibi obnoxium reddunt. Ex quo fieri necesse est, ut aliquando libri prodantur, parum digni auctoribus suis. Gesnerus, ut hoc utar, si Horatium suo potius arbitratu, quam Fritschii, edidisset, quam pulchram ejus et omnibus numeris absolutam editionem haberemus. Nunc tenuis est opera, nec tanti viri famae respondet. Quid dicam de excudendi libri festinatione? quae tanta fuit, ut integri poëtae versus hic illic elapsi sint. Equidem sic existimo, capitale ingenium Tuum par esse Virgilio emaculando, nec operam Tuam melius collocari posse. Sed idem satis scio, justum Tibi ad tantam rem perficiendam tempus minime concedi. Quodsi paulo longius spatium impetrare possis, auctor Tibi sim, ut ex variis Virgilii emendandi viis maxime persequaris eam, quae poëtae medetur ex Lucani, Statii, Valerii Flacci, Silii aliorumque imitatione. Nuper Schraderus in observationum libro salutarem his poëtis medicinam a Virgilio fecit. Tu contra, quae tua est sagacitas, Virgilio facies ex illis. In Gesneriana bibliotheca affertur Anthologia Burmanni cum notis MSS. Gesneri, qui liber sine dubio propter animosos licitatores, Saxium et Burmannum, insano pretio vendetur. Quodsi Tibi, mi Heyni, aditus patet ad hanc bibliothecam, quaeso Te, notulas illas mihi describas. Dicere non possum, quam gratum mihi feceris.

Evolvi his diebus Harlesii vitas Philologorum, lectisque vitis triumvirorum, Burmanni, Klotzii et Saxii, magnopere laetatus sum, me literis, quibus Harlesius meae etiam vitae historiam petebat, nihil respondisse. Klotzium, video, antiquum, obtinere, et tres quatuorve

futiles libellos uno partu effundere. Plura alias ad te scribam. Nunc tempore excludor. Vale, mi optime Heyni, tibique certo persuade, Te a me merito Tuo mirabiliter amari. Dab. Leidae d. 18. Iul. 1764.

In auctione Gesneriana, nisi grave est, libros in schedula notatos mihi et collegae meo, Schultensio, emes. Pretium illis a Te statuetur. At quibus NB. adscripsi, quovis pretio emi volo.

---

## IV.

## HEYNIO SUO

## DAVID RUHNKENIUS S. P. D.

Non potuit librorum emendorum negotium rectius curari, quam a Te curatum est. Sed viam et rationem illorum perferendorum non aliam novi, quam ut primum Bremam, inde Amstelodamum vehantur. Cistulae haec inscribenda sunt: *A Monsieur Grommé et Compagnie sur le Blommarkt à Amsterdam.* Proximis literis mercatorem, cui pecunia pro libris solvenda sit, mihi indicabis. Quod scribis, optime Heyni, Te tot laboribus distineri, ut vix respirare possis, et Tua et communium literarum caussa doleo. Sed vide, ne plus Tibimetipse laboris imperes, quam fortasse necesse sit. Pulcherrimum est, fateor, et optimis sententiis plenissimum Elogium Heumanni, quod pro humanitate Tua mecum communicasti: sed tribus aut quatuor paginis absolvi potuisset. Quodsi singula elogia eodem modo scribere instituas, nihil aliud Tibi agendum erit, sed huic uni rei vacandum. Nuper mihi scripsisti, Bibliothecam Gottingensem habere Rutilii Lupi editionem, quae Lugduni 1542. 8. prodiit. Hanc, nisi grave est, velim conferas cum Pithoeana, quam in auctione Gesneriana

emisti, describasque Gryphii, si adjecta est, praefationem. Fortasse importunus videar, qui Tibi laboribus oppresso novum laborem delegem. Sed illa collatio vix tres aut quatuor horas gravioribus negotiis eripiet. Plura alias scribam. Nunc mihi argumentum ad scribendum deest. Vale, Vir Praestantissime, et me, ut amas, ama. Dab. Lugduni Batavorum d. 22. Octobr. 1764.

---

## V.

## *PRAESTANTISSIMO AMICISSIMOQUE VIRO*

## CHR. GOTTL. HEYNIO

## DAVID RUHNKENIUS S. P. D.

Recte ad me perlata est librorum cistula. Non potuit illud negotium melius curari, quam a Te curatum est. Bergerianas Dissertationes mihi praereptas nollem. Auctor enim fueram librariis nostris, ut, cunctantibus Germanis, omnes junctim formulis suis exscriberent. Sed hanc jacturam forte resarcire licebit ex bibliotheca Heumanniana, cujus Catalogum ut ad me perferendum cures, vehementer Te rogo. Pecuniam, quae pro libris emtis debetur, nondum ad Cliffordos misi, propterea, quod non dubitabam, Te libros nonnullos ex bibliotheca Wesselingiana, quae verno tempore distrahetur, esse emturum: quando compensatio, de qua scribis, fieri poterit. Catalogus illius bibliothecae ut mature ad Te perveniat, mihi curae erit.

Elogium Heumanni a Te conscriptum magna cum voluptate legi, nec magis elegantia orationis, quam prudentia Tua, mihi fuit admirationi. Diu frustra quae-

sivi elogium Gesneri a Michaele scriptum. Forte penes Te erit exemplum, quod mihi impertias.

Gesneriana Orphicorum editio multa praeclara habet, et tali ingenio digna. Verum dum vel certissimas Criticorum emendationes admittere, sibi religioni ducit, ad interpretationes labitur duras, aliquando etiam absurdas. Sed haec senectuti, quae semper meticulosa est, condonemus. Vellem, Commentationi de Navigationibus veterum similem adjecisses de Theologia Orphica, quae Gesnerianae eruditionis lumen multo magis requirebat.

Kulenkampum semel atque iterum Leidae vidi. Sed is, ex praecepto Horatii, materiam viribus aequam sumere debebat. Mihi quidem, ut libere, quod sentio, dicam, nec ingenio nec doctrina par tali operi videtur. Quodsi in Cod. Guelpherb. thesaurum se reperisse putat, fallitur, qui nihil reperit, nisi carbones. Nam, quod ex specimine Codicis a Bielio in Actis Erud. edito vidi, Codex ille non abundat veterum scriptorum fragmentis, sicut editus Etymologus, sed quisquiliis Grammaticorum recentioris aetatis. Multo praestantior est Etymologus MS. Leidensis, e quo plura specimina cum maxime prodit Gisbertus Koenius in notis ad Corinthum recondita eruditione refertis. Sed non facile inveniam, qui hujus Codicis conferendi laborem subire aut velit aut possit.

Commode recordor, quod saepe antea ex Te quaerere volui, an spes sit, futurum, ut Commentarii Academiae scientiarum continuentur? Quodsi omnis spes evanuit, Tuum erit, Gesnerianas Commentationes, in Academia praelectas, in quibus, nescio quomodo, vir summus semet ipsum superat, separatim proferre. Vale, decus nostrum et amor, et ad me quam saepissime, quid vel publicae vel privatae rei agas, scribe. Dab. Leidae d. 21. Febr. 1765.

## VI.

## *PRAESTANTISSIMO AMICISSIMOQUE VIRO*

## C. G. HEYNIO

## DAVID RUHNKENIUS S. P. D.

Nescio, quid causae sit, cur, qui crebras literas mittere solebas, repente, tanquam nostri oblitus, conticueris. Quidvis potius velim, quam adversa valetudo, tam diuturni silentii caussa sit. Miseram ad Te catalogum Bibl. Wesselingianae, sperans, futurum, ut hoc modo literae Tuae elicerentur. Sed nullos mihi libros emendos mandasti, quamvis ante inter nos de hac debiti mei expungendi ratione convenisset. Quodsi recte, ut sperq, vales, quamprimum me literarum Tuarum suavitate bees, scribasque accurate, quid vel publicae vel privatae rei agas. Ego tandem Hesychium, qui me satis diu exercitum habuit, emisi, et Tuum de praefatione nostra judicium exspecto. Si quid unquam in scribendo fuimus, hic fuimus. Nunc otium consumo in Longino ornando. Levior est opera, nec mentione digna, quam Mallio Theodoro impendi: cujus de Metris libellus cum Notis meis et Heusingeri curis secundis cum maxime exscribitur Leidensibus typis. Vellejum Paterculum per vacationes aestivas tot locis emendavi, ut meliorem superioribus omnibus editionem dare possem. Sed ante excutiendae Bibliothecae, si forte scriptus Codex inveniatur. A Graecis scriptoribus ad Latinos emendandos me revocant obtrectatores quidam, imprimis Burmamus Secundus, Graecarum literarum scientiam mihi libenter concedentes, sed negantes, me similia in Latinis praestare posse. Qui quidem suo malo sentient, me cum Graecis semper conjunxisse Latina. Vale, mi optime Heyni, et sic habeas,

nihil Te mihi nec carius esse nec suavius. Dab. Leidae a. d. 13. Octobr. 1765.

---

## VII.

### *PRAESTANTISSIMO AMICISSIMOQUE VIRO*

### C. G. HEYNIO

### DAV. RUHNKENIUS S. P. D.

Etsi propter occupationes meas rarius, quam vellem, ad Te scribo, nullus tamen dies praeterit, quin de Te aut cogitem, aut cum amicis eruditis loquar. Quibus omnibus nihil longius videtur, quam dum molestiis, quibus Te premi scribis, liberatus, totus verseris in Graeciae Latiique monimentis illustrandis: ad quam rem bene et feliciter gerendam Te et natura finxit, et excellens disciplina formavit. Sed vide, mi suavissime Heyni, an tibimet ipse interdum plus, quam necesse sit, laboris imponas. Pulcherrima sunt et Tuorum omnium similia programmata, quibus me donasti: sed, ni fallor, paucioribus poteras defungi, praesertim in enaranda Heumanni et Heilmanni historia, quam accuratius cognosse nec hominum, qui nunc sunt, multum interest, nec posterorum. Nollem etiam, quo loco Heumanni audaciam, cum pari imperitia conjunctam, commemoras, Bentleji mentionem fecisses. Aliter sues olent, aliter catuli. Nam ut Heumannus omnium ineptissimus Criticus est, sic Bentlejus felicissimus et elegantissimus omnium, quos unquam cognovi. Aliquando verum esse reperies, quod Hemsterhusius noster, Bentlejo ingenio et doctrina simillimus, dicere solebat: Bentlejum multa movere non movenda:

sed plerisque locis veteres scriptores, si ita scripsissent, ut Bentlejus legendum decernit, melius fuisse, facturos.

Jungium, utrique nostrum subiratum, cum literis, humanissime scriptis, tum munusculis literariis leniendum putavi. Frustra. Ne dignum quidem me existimavit, cui verbum rescriberet. In posterum igitur, si quid chartarum mittere constitueris, velim illud conjicias in fasciculos librorum, qui a bibliopolis vestris quotannis mittuntur ad Luchtmannos. Kulenkampo, a quo literis expugnatus eram, tandem, quid de ejus consilio edendi Etymologi sentirem, libere, ut mea fert consuetudo, scripsi. Mirum, ni post illas literas lectas totum consilium abjiciat. Felicioribus auspiciis apud nos Graecae literae coluntur. Valkenarius cum maxime typis describendum dedit Euripidis Hippolytum cum uberrimo Commentario, cui accedunt Diatribae in Euripidis fragmenta. Koenius, post dialectos admirabili sollertia illustratas, omne tempus suum collocat in Stobaeo expoliendo. Heringa emendationes parat in Orphica post Gesnerum.

Vale, mi optime et jucundissime Heyni, amoremque Tuum mihi conserva. Dab. Leidae a. d. 25. Dec. 1766.

---

## VIII.

### *EXIMIO VIRO*

### HEYNIO SUO

### DAVID RUHNKENIUS S. D.

Fasciculus, quem mense Martio ad me miseras, per aliquot menses in via haesit, et vix tandem sub Augusti initium ad me pervenit. Quo accepto, tametsi statueram statim Tibi gratias agere, tamen molestissima nego-

tia, quibus me per hunc annum magistratus academicus exercet, omne scribendi consilium usque huc peremerunt. Nunc cum paullulum respirare liceat, gratias, quas mens concipere maximas potest, Tibi ago pro pulcherrimo Virgilii munere; de quo vere et simpliciter sic judico, non potuisse a Te ullam rationem iniri, qua adolescentum, qui haec studia aemulantur, ingenia rectius ad priscae elegantiae sensum formarentur. Itaque Virgilium Tuum ita commendavi discipulis meis, ut statim tot ejus exempla, quot Luchtmannorum officina habebat, (erant autem quasi triginta) uno die diriperentur. Utinam similes haberemus editiones Horatii, Catulli, Propertii imprimis. Sed hoc quoque desiderium nostrum Tu, qui potes unus omnium, aliquando explebis. Per easdem, quas modo dixi, occupationes nondum mihi licuit notas Tuas in Virgilium, sicut et ipse vellem, et Tu fieri cupis, excutere. Quamquam, ut video, pauca futura sunt, quae calumniari possim. Ictus quidam, forte apud me librum Tuum inspiciens, putabat, Te mores Romanos cum Germanis confudisse p. 6.; nunquam enim servos, soluto dominis pretio, se apud Romanos in libertatem vindicasse. De Klotzio, miratus sum, Te aliter publice, aliter privatis ad me literis judicare. Noli hominibus suspicandi ansam dare, laudem, quam ei tam liberaliter tribuis, timore quodam esse expressam. Reiskii etiam notulas, ineptas plerasque, ab Editione Tua abesse mallem. Similes olim in Callimachum mecum communicavit, quas a me spretas et abjectas ipse nuper vulgavit. Quibus, si tanti putes, legendis intelliges, me bono judicio talem laboris socium refugisse.

De Apollonii novis praesidiis Tibi gratulor. Redemtorem, nihil est, quod amplius quaeras. Rediment opus, me auctore, Luchtmanni fratres quinquaginta Ducatis aureis. Quod praemium si Tibi levius videatur, auctarii

loco aliquot praestantiores libri accedent. Plagularum inspiciendarum molestiam ipse subibo, et Tui, et Apollonii amore invitatus. Hunc enim poëtam tum alias ob caussas semper amavi, tum quod mihi adolescenti critices tirocinium in nullo poëtarum felicius cessit. Quo magis indignatus sum, cum vidissem, conjecturas nostras acerbe et contumeliose reprehendi a Winkelmanno in Epistola ad Comitem Bruhlium p. 77. Sit ille, quam velit, idoneus judex signorum, tabularum, gemmarum. Graecarum quidem literarum scientia, quam tamen sibi assumere audet, in homine nulla est. Cujus inscitiae specimen habet illa ipsa Epistola p. 80. ubi ita legit in Cod. Herculanensi: *Φιλοδήμου περὶ κακιῶν, καὶ τῶν ἀνακειμένων ἀρετῶν.* Vel puer legendum vidisset: — *καὶ τῶν ἀντικειμένων ἀρετῶν.* Revertor ad Apollonium. Quod scribis, te Apollonii versionem subinde castigare, noli bonas horas in ea interpolanda perdere. Tota abjicienda est, et nova conficienda. Neque Te poenitebit, hunc, quamvis molestum, laborem suscepisse. Nam vertendo multas corruptelas, quae omnem suspicionem effugerint, et deprehendes facile, et nullo negotio tolles. Apud veteres Grammaticos supersunt pluscula fragmenta versionis ab Varrone Atacino factae, quae, non dubito, quin dudum ad sedes suas revocaris. In Hemsterhusii bibliotheca, quam integram sibi servavit dignus parente filius, est Apollonii exemplum, refertum immortalis viri animadversionibus, quae editioni Tuae non mediocre ornamentum conciliabunt.

De Tzetzae Codice egi cum Musgravio V. C. qui mihi scripsit, Musei Britannici custodes sibi ejus apographum negasse, quod Britanni cujusdam, eundem Grammaticum editioni parantis, studium impediri nollent.

Tres Rhetores mei dudum literarum formulis exscripti sunt. Sed editionem remoratur dissertatio, quam

praemittere constitui, de oratoribus Graecis, praesertim iis, quorum obscurior est memoria, ad interpretandum locum Ciceronis de Orat. II. 22. Valckenarius his ipsis diebus edidit Euripidis Hippolytum cum Diatribe Critica in omnia Euripidis fragmenta. De Theocrito edendo nunquam cogitavit. Sed nuper Io. Toupius, Criticus doctus et acutus, in Emendationibus ad Suidam novae editionis spem fecit. Vellem tamen, is ante Demosthenis partem, Taylori morte destitutam, curaret. Nam Reiskium, bonorum librorum labem ac perniciem, nihil moror.

Sic ad singula elegantissimae suavissimaeque epistolae Tuae capita respondisse videor. Vale, decus literarum nostrarum, Tibique persuadeas, Te merito Tuo a me mirabiliter amari. Dab. Leidae a. d. 12 Octob. 1767.

---

## IX.

## HEYNIO SUO

## DAV. RUHNKENIUS. s.

Nihil neque Te amabilius, neque literis Tuis dulcius. Vel ultimae illae quantum amoris, humanitatis, suavitatisque spirabant. Quibus ita delectatus sum, ut jam diu nulla in re libentius acquieverim. Nec minorem mihi voluptatem opuscula, quae adjeceras, attulerunt: quamquam, si, quod sentio, dicere liceat, in talibus scribendis minorem in dies operam a Te poni volo. Sunt illa ἀγωνίσματα εἰς τὸ παραχρῆμα ἀκούειν. Nunc cum summam Tibi auctoritatem jam constitueris, sitque mirus omnium in Te laudando consensus, major posteritatis, quam civium Tuorum, qui nunc sunt, ratio habenda est, κτήματα ἐς ἀεί paranda. Unus Tu hodie regnas in Latinis poetis vel interpretandis, vel emendandis. Quin

Tu tractas difficiliora poëtarum loca, Tuo potius, quam aliorum ingenio, obsecutus? Ac poteris per prolusionum occasionem eruditorum de conjecturis Tuis judicia explorare, iisque exploratis, pulcherrimum e sparsim editis volumen conficere. Nec, si Munchusius Tuus recte intelligit literas, utilius existimare debet, de Zaleuci legibus disserere, quam obscuros Horatii sensus aperire. Sunt hic etiam quidam eodem sensu proceres, qui copiosas *de rebus*, ut vocant, disputationes a me scribi vellent. *Αὐτὰρ ἐγὼν βασεῦμαι ἐμὰν ὁδόν.*

Quod Tuas in Virgilium notas ad examinis subtilitatem a me vis revocari, ego vero ingenue fateor, me nihil, quod reprehenderem, reperire potuisse. Ac forte ipsa voluptas, quam iis legendis cepi, impedimento fuit, quo minus acute cernerem in peccatis, si qua sunt, Tuis.

Eclog. II. 29. in *cervis* explicandis rectius secutus esses Dukerum in notis ad Servium, quam Burmannum.

Eclog. IV. 24. *veneni* non jungendum cum *fallax*, sed cum *herba*; ut Ecl. V. 26. *graminis herba*. Georg. I, 134 *frumenti herba*. Hunc genitivum pro adjectivo positum omnium optime explicuit Oudend. ad Sueton. August. 94. Ejusdem Oudendorpii eruditae in Virgil. observationes sunt ad Sueton. Aug. 91. et in add. p. 1023. quas vide.

Eclog. IV. 60. *risu cognoscere matrem*. Verum sensum dudum viderat Pomponius Sabinus, quem a Te nusquam adhibitum miror. Nam multa egregia tradit ex deperditis Virgilii interpretibus, imprimis ex Aproniano, quem frequenter laudat. Solus ille, ni fallor, observavit, versum 12. Aen. III. apud Ennium a Pyrrho dictum esse. Ejusdem praeclara Scholia sunt in Aen. IV. 436. VI. 1. XI. 700. Burmannus Secundus praef. in Virgil. Pomponium in fraudis suspicionem vocat, eodem scilicet judicio, quo ibidem scribit Nigidium Figulum, Romanorum cum Varrone doctissimum, qui per ae-

tatem vix videre potuit Virgilium, Commentarios in hunc poëtam scripsisse. Habeo fere paratam dissertationem *de antiquis Virgilii Commentatoribus.*

Georg. I. 59. *Eliadum palmas* etc. Nihil duri in hoc loco. Ego sic explico: Epirus mittit equas, victrices equarum in Elide currentium. *Palma* pro victore est apud ipsum Virgil. Aen. V. 339. quem alii non dubitarunt imitari. vid. Drakenb. ad Sil. XVI. 504.

Ib. 361. Arnaldus Lect. Graec. p. 171. in Arato legit: ἢ αἳ ἁλίδιναι etc. Sed verum vidit doctissimus Heringa Observat. cap. 24. p. 202. ἢ εἰν ἁλὶ δίᾳ.

Ib. 382. ego quoque *densis* capiam pro dense, crebro, ut apud Aratum πυκνὰ pro πυκνῶς. Ovid Trist. III. 4. 21. *ut tutas agitarit Daedalus alas* i. e. tuto. Valer. Flacc. VI. 229. *densâ spargens hastilia dextrâ* i. e. dense.

Georg. II. 215. Nollem in hoc loco fluctuasses. Posterior Tua ratio verissima, cui interpunctio accommodanda. Centies Graeci φημὶ οὐ, Latini *nego* tribuunt rebus vita carentibus.

II. 343. *prosaico verbo.* Immo *poëtico.*

Ib. 437. Hic oblitus es tirones monere, *undantem buxo Cytorum* poëtica ratione exquisite dici pro, *undantem buxum in Cytoro.* Imitatus est Pacatus. Paneg. 37. *aulaeis undantes plateas.*

III. 194. Noli dubitare, quin *vocare* h. l. sit provocare. Vide Callimach. II. in Del. 112. Exempla, quibus explicationem Tuam firmas, aliena videntur. Vento opus est ad navigandum et volandum, non item ad currendum.

Ib. 403. Nullum discrimen est inter *tingo* et *tinguo,* tantum orthographia variat. Formatum ex *tango,* quod et ipsum exquisite dicitur pro lino.

Ultra nondum mihi licuit progredi in annotationibus Tuis legendis. In quibus, vides, quam pauca, quamque levia castiganda putem. Ego librum Tuum disci-

pulis meis ita commendare pergo, ut hac editione mox direpta, altèra opus sit futurum; cui, auctor sim, subjicias Probi Scholia in Eclogas et Georgica, multo doctiora Servianis, et vetustiora, quae Burmannus editione sua turpiter exclusit. Ego plerisque eorum corruptelis medicinam feci, non mediocriter adjutus commentariis Pomponii, qui Probum saepe ad verbum descripsit. Ad Aquilam Rom. pag. 147 defendi vulgatam lectionem Aen. I. 135. *Quos ego.* Sed Schraderus pertinax est in tuendo invento suo, *vos ego.* Mihi quidem locus Macrobii VI. 6. p. 559 quo ille maxime nititur, nihil ad rem pertinere videtur. Sed hujus caussae te arbitrum statuo.

Rutilii exemplar, Tibi inscriptum, ad Fritschium misi: unde petere possunt librarii vestrates, ad mercatum euntes.

Germanus aliquis mihi narravit, Te de Hesychianis nostris honorificam sententiam dixisse. Eam novellarum plagulam alio tempore a Te petii. Quod Tibi excidisse videtur.

Sed satis diu te tenui. Vale igitur, Vir praestantissime, animoque meo carissime, et nos quam primum altera Virgilii parte bea, quo munere nullum mihi gratius magisque exspectatum contingere potest. Dab. Leidae a. d. 26. Aug. 1768.

Divinitus a Te scriptum puto p. 115. *ex academica nostra institutione nunquam Homericum ingenium proditurum.* Dignum argumentum, quod aliquando uberius a Te explicetur.

---

## X.

## *PRAESTANTISSIMO AMICISSIMOQUE VIRO*

## C. G. HEYNIO

## DAVID RUHNKENIUS S. P. D.

Quasi omnem nostri memoriam abjecisses, ita a longo tempore nihil ad nos literarum dedisti. Ne monitores quidem illi, quos superiore anno ad Te miseram, Rutilius et Elogium Hemsterhusii, Te ad pristinam scribendi consuetudinem revocare potuerunt. Sed Tu, qui nihil scribis, plus sapis, quam ego, qui literas a Te postulo. Rectius enim tempus collocatur in Virgilio ornando, quam in literis, quae nil nisi amoris et benevolentiae significationem habent, scribendis.

Prioris voluminis lectionem nuper absolvi, neque fateor, supra quam dici potest, ingenii et doctrinae Tuae elegantia delectatum esse. Scripsi Tibi alias, notam Tuam p. 6 ab Icto quodam reprehensam esse. Sed ipse reprehensor erravit. Virgilium eodem modo explicat Lipsius ad Taciti Ann. XIV. 42. praeclare docens, servos aliquando suis se nummis e servitute redemisse. Adde Burmann. ad Petron. 75. et ad Ovid. Amor. I. 8. 63.

Georg. II. 500. *volentia rura* e Graecismo eleganter exponit Toupius Emendat. in Suid. T. II. p. 49.

IV. 15 Marclandi venustam conjecturam confirmat ille ipse Ovidii locus, quo Burmannus eam oppugnare conatur. Tu non debebas hic audire Burmannum, qui, ubi adversus Marclandum et Bentlejum disputat, semper invidia coecus ruit.

IV. 209. Non videris omnem vim et elegantiam, quae est in *Fortuna domus*, sensisse. Vide, quos laudat Oudendorp. in add. ad Sueton. p. 1022.

IV. 235. Delendum nomen *Balduini*. Nam Balduini libri tantum pars sunt Iurispr. Ro. et Att. Kaestneriana vellem Latine vertisses.

IV. 425. Appositum exemplum est Apuleji XI. p. 258. *Augusti portum celerrime hausimus*, ubi vide Pricaeum.

Ad Aen. VII. 109. Quaeso, examines τραπέζας σελληναίας, in quibus valde sibi placet Cl. Toupius Em. in Suid. T. I. p. 39. Mihi videtur, ut Simonidis dicto utar, τῷ πολλῷ χρόνῳ πολεμεῖν.

Ad Ecl. III. 66. nullam mentionem fecisti conjecturae meae Epist. Crit. I. p. 35. Eam valde laudat Koehlerus in jejunis Notis ad Theocrit. p. 22. Sed talium judicum sententia in neutram partem apud me valet. Tu, quid sentias, in addendis dices.

Vale, vir eximie, et, si quid temporis Virgilius sibi eripi patiatur, illud mihi potissimum imperti. Salutat Te Valckenarius noster. Dab. Leidae a. d. 22. Martii 1769.

Ultimo fasciculo, quem ad Te misi, addidi alium ad Cl. Heusingerum, quod non alia dabatur facultas aliquid Guelpherbytum mittendi. Spero, eum recte a Te esse curatum.

---

## XI.

## HEYNIO SUO

## DAVID RUHNKENIUS S. P. D.

Amor in me Tuus se omni ex parte ostendit. Nam non satis habes, me sic amare, ut concedas nemini, sed aliorum etiam benevolentiam mihi concilias, tanquam Wyttenbachii, juvenis egregii, cujus libellus tale ingenium prodit, ut de futurae doctrinae praestantia felix augurium capere liceat. Is nondum Leidam venit, ut constituerat,

patre rei familiaris difficultatem excusante. Sperat tamen, futurum, ut sub veris initium se meae et Valckenarii disciplinae tradat. A Juliano, ad quem forte delatus erat, totum eum traduxi ad scriptorem haud paullo meliorem, Plutarchum, cui castigando, me auctore, magnam vitae partem impendere statuit.

Literas, quas amico ad me perferendas dedisti, intercidisse, tanto gravius doleo, quod, ut scribis, animadversiones quasdam in Rutilium Lupum continebant. De quarum elegantia et subtilitate cum vis ingenii Tui me dubitare non sinat, damnum, quod feci, proximis literis resarcies.

Dissertatio de populis *θαλασσοκρατοῦσι* quot quam recondita et abstrusa nobis explicatura sit, ex argumento, quod mecum communicasti, facile perspexi. Sed vide, an, quod negas, *Ionum* nomen unquam generale fuisse, omni ex parte sit verum? Certe barbari universos Graecos *Iones* appellarunt. Mitto locum Scholiast. Aristoph. ad Acharn. 104. 106. quo Bochartus usus est. Idem nomen sic capiendum in Aeschyli Persis 178. 1030. cujus tamen priore loco Scholiastes male intelligit solos Athenienses. Etiam Hesychius v. *Ἴαννα*, quod modo diximus, confirmat. Ceterum, quod Ionum nomen Moyse recentius dicis, sequeris vulgi opinionem. Ego in alia omnia eo: sed, quae sentio, per Theologos dicere non licet. Non ante, mihi crede, certam et stabilem chronologiam habebimus, quam sentiendi dicendique libertas magis fuerit confirmata: quae felicitas, ut se principia dant, nepotibus nostris reservata videtur. Dissertationem meam de Virgilii interpretibus mittam tum, cum primum Virgilii Tui volumen, quod brevi futurum auguror, sub prelum revocandum erit. Nunc alia instituta habeo, quae differri non possunt. Pergratum mihi est, quod scribis, mi suavissime Heyni, Te in Virgilio or-

nando ita versari, ut tamen Apollonium subinde respicias. Sed multa sunt alia, quae a Te, unico poetarum interprete, perfici vellem. Nunquam Propertium in manus sumo, quin a Musis optem, ut Tibi mentem dent illius expoliendi et illustrandi. Ita multis locis haereo, nec me expedire possum. Spes erat, futurum, ut Marclandus commentario, quem paratum habet, ejus tenebras dispellat. Sed μελαγχολικῷ πάθει correptus, non modo omnem praeclare inventorum curam abjecit, sed ne ab aliis quidem, qui edendi laborem sponte obtulerunt, sua vult curari. Klotzius in Actis literariis a me quoque animum alienum ostendit, non alia de causa, ut puto, quam quod me Tibi Ernestoque scit intimum esse. Altera Virgilii editio cum prodierit, detrahas, quaeso, ingenii et doctrinae testimonium, quod certas ob causas homini vanissimo et vix mediocriter erudito tribuisti. Peregrinatores quidam mihi narrarunt, ei vivo videntique funus duci a Lessingio, aliisque. Nempe cum libri Germanici huc non perferantur, talia non nisi ex peregrinantium sermonibus cognoscere licet.

Valckenarius noster Te plurimum salutat. Vale, mi optime Heyni. Me ut ames amore illo Tuo singulari, ita cupio, ut nihil magis. Dab. Leidae a. d. 27. Decembr. 1769.

---

## XII.

## HEYNIO SUO

## DAVID RUHNKENIUS S. P. D.

Redeo tandem ad pristinam scribendi consuetudinem, cum aliis rebus, quas commemorare longum est, tum meo meorumque morbo interruptam, gaudeoque, primum, quod occurrit, epistolae argumentum, esse Virgilium; cujus al-

terum volumen ut primum aequat interpretandi elegantia et subtilitate, ita excursibus plenis reconditae doctrinae vincit. Utinam, mi optime Heyni, solutus futilissimis Programmatum et orationum scribendarum curis, uni enarrationi Virgilii, Horatii aut aliorum sive Graecorum sive Latinorum poëtarum vacare posses! Profecto haberemus poëtarum interpretem, cui vix parem viderit aetas superior. Sed vereor, ne in illo pistrino usque molas et maximas spes, quas de Te concepimus, ex parte destituas. In secunda Virgilii parte, ubi a Te dissentiam, (quod locis perpaucis facio) aliis literis indicabo. Nunc bona pace Tua disputationem de Pisandro ad examen vocabo, in qua cum Te semel impedivisses, longius, ut fit, a vero aberrasti. Pisandro Camiraeo *Ἡρακλείαν* tribuis, Larandensi *Ἡρωϊκὰς θεογαμίας*. Quibus tandem argumentis? Laudas opinionis Tuae auctorem Suidam, qui errare vix potuerit, cum alterum Pisandrum ab altero accurate discernat. Hic, mi suavissime Heyni, non satis attendisti ad Suidae consuetudinem. Nunquam ille decernit, nunquam suum interponit judicium, satis habet, articulos diversos, sicut eos apud alios Grammaticos invenerat, in Lexicon suum retulisse. Hic, quod ad priorem articulum attinet, incidit in Grammaticum historiae bene peritum: mox posteriorem articulum adjecit ex Grammatico indocto, qui *ὁμωνυμίᾳ* turpiter deceptus, recentiori Pisandro assignavit, quae veteri tribuere debebat. Sic a Suida Lexicon illud compilatum esse, sexcentis locis apparet. Uno ut exemplo defungar, vide v. *Θεαίτητος*, ubi priore articulo Theaetetum *Atheniensem* fuisse dicit et *Socratis* discipulum, posteriore *Heracleënsem* et *Platonis* discipulum. At nunquam antiquioris poëtae carmen recentiori tributum est. Ne hoc quidem universe verum. Carmen pervetustum, *Κήϋκος Γάμον*, Grammatici quidam ad recentiorem poëtam re-

ıderunt. At Athenaeus II. p. 49. B. vindicat antiquis-
mo poëtae, Hesiodo. Edidit Fabricius B. Gr. Vol. VIII.
415. carmen bene longum περὶ καταρχῶν sub *Maximi*
ɔmine. Enim vero aut ego nullum poësis Graecae sen-
ım habeo, aut hoc carmen scriptum est a poëta Ale-
ındrino, Callimachi et Apollonii Rhodii aequali: qua
ɜ re sententiam Tuam, qui Alexandrinorum ingenium
:curatius, quam quisquam alius, spectaris, cupide ex-
ɔecto. Mox, nonnulla, dicis, quae ab Apollonii Scho-
aste laudantur, non ex Ἡρακλείᾳ, sed ex ἡρωϊκαῖς θεο-
κμίαις sumta videri. Recte quidem, et me approbante.
t hoc si dederis, confecta res est. Iam Scholiastes non
arandensem, sed Camiraeum laudavit. Relege indicem
riptorum, quorum testimonia Scholiastes affert: omnes
re Augusti et Tiberii aetate superiores esse reperies.
le igitur ut laudaret poëtam recentissimum, qui Ale-
andri tempore vixit? Mihi ne Lucianum quidem, quam-
uam antiquiorem Larandensi, laudasse videtur II. 329.
d ejus mentio ab interpolatore intrusa. Quid? Si per
ɛtatem laudare non potuit Larandensem? Mihi quidem
li Scholiastae ante natum hunc Pisandrum vixisse vi-
entur. Sunt in eadem disputatione etiam alia quae-
am, in quibus invitus a Te dissentiam. Placet tibi le-
ɜre Ἡραϊκαὶ θεογαμίαι. Sed ubi reperisti inauditam
raecis formam Ἡραϊκός? Ab Ἥρα non formatur, nisi
Ἡραῖος. Immo si carmen de *Iunonis nuptiis* egisset,
ıeptum fuisset addere nomen θεός. Nam ex Iunonis
ɔmine satis colligitur, *Deae* nuptias celebrari. Verum
ɔn egit de Iunonis nuptiis, tantum, ut Macrobius ait,
Iunonis nuptiis incepit. Quid igitur poëta hoc car-
ıine tractavit? nempe Ἡρωϊκὰς θεογαμίας i. e. *heroum*
*uptias cum deabus*, sicut Hesiodus, quem sibi imitan-
ıum sumsit, γυναικῶν κατάλογον scripserat, i. e. *Catalo-*
*um mulierum mortalium, quae nupserant Diis.* —

Eratosthenis de Pisandro locus cap. 12. non explicandus erat, sed sic emendandus e Phavorini Lexico: *ὡς ἔνδοξον πεποιηκὼς ἔργον*: id quod vidit juvenis eruditus Koppiersius Obs. philol. p. 110. Nec dicendum erat, Fulgentium in scriptorum nominibus contaminatissimum esse. Nam, ut Jos. Mercerus ad Non. Marcell. aliique post eum notarunt, nebulo iste lectori fucum fecit confingendis nominibus scriptorum, qui nunquam extiterunt. Etymologi quoque locum paullo festinantius inspexisti. Is non laudat Pisandrum, ut vulgarem notionem verbi *κεράσαι* firmet, sed ut doceat, veteres *κέρατι· ἀντὶ τοῦ προχόου* usos esse: quod rarum et notatu dignum. Atque hic irascor Academicis istis occupationibus, quae Tibi justum meditandi tempus eripuerunt. Quod si habuisses, pro sagacitate Tua facile vidisses, *Πίνδαρος* legendum esse, non *Πείσανδρος*. Ecce! Tibi Pindari locum, quo Etymologi glossa pertinet, apud Athenaeum XI. p. 476. *Δ. ἐξ ἀργυρέων κεράτων πίνοντες ἐπλάζοντο.* Contrario errore peccatum est in Zenobio VI. 49. *ὡς φησὶ καὶ Πίνδαρος ὁ ποιητὴς ἐν τοῖς περὶ Ἡρακλέους.* Repone *Πείσανδρος*. Versus, quos respicit Zenobius, conservavit Schol. Aristoph. ad Nub. 1047. *ὡς Πείσανδρος.*

*Τῷ δ' ἐν Θερμοπύλῃσι θεὰ γλαυκῶπις Ἀθήνη*
*Ποίει θερμὰ λοετρὰ παρὰ ῥηγμῖνι θαλάσσης.*

Idem error apud Etymologum MS. Bibl. Regiae, qui cum formam *ἀὲ* pro *ἀεὶ* Doribus tribuisset, statim addit: *ἐπειδὴ καὶ τὸ ἀὲς παρὰ Πεισάνδρῳ*, ubi scribendum: *παρὰ Πινδάρῳ*· quem Dorice scripsisse scimus. Ad Pindarum igitur referenda Hesychii glossa: *Ἀέ· ἐπὶ τοῦ ἀεὶ καὶ ἕως.* Denique in hac disputatione a Te exspectaram judicium de opinione Valckenarii Diatr. in Eurip. p. 24. qua nullum discrimen statuit inter *Ἡρακλείαν* et *θεογαμίας*. item castigationem puerilis erroris, commissi a Burmanno Secundo ad Valesii Emend. p. 117. quo Vir-

gilium cum Homero confundens, ex Macrobio docet, Pisandrum Homero antiquiorem fuisse. Sed nimis diu nos tenuit Pisander. De aliis confabulemur. De Catalectorum variantibus, mi Heyni, Burmannum appellabis; nec Tibi, quod petis, negaturum puto, praesertim cum illa potuerit Anthologia excludere. Sin forte se difficiliorem praebeat, easdem collationes sumemus a Schraderi humanitate, aut ex Bibliotheca adeo, quam curo, Leidensi, unde pleraque ducta scio. Schraderus prelo subjecit libros Emendationum, quarum plura capita in Culice et Ciri corrigendis consumuntur.

In praefatione ad Virgilium et alibi Tibi excidit vox *aesthetica*, quam belli homines, qui nunc in Germania bellas literas colunt, voluntque Graecis et Romanis, a quibus toto differunt coelo, similes videri, quam igitur illi minus belle finxerunt. Eam Graecam non esse hoc sensu, inde colligas, quod vir in Graecis literis primarius, Valckenarius, ex me, qui, ut Germanus, scire deberem, quid hoc vocis esset, quaesivit, et, ubi dixissem, Germanorum ineptias risit.

Klotzius, dudum me clanculum mordens, tandem aperte in me impetum fecit. Urit hominem, meis potissimum consiliis ad saniorem mentem revocatum, et ex isto latronum collegio abstractum esse Herelium, cujus ingenio mirifice faveo. Is aliquot epistolis mecum communicavit conjecturas in Tibullum, Propertium, Juvenalem, Statium et alios, dignos poëtarum Latinorum sospitatoribus, Heinsio, et Heynio. Cum vero aliunde sciam, Te alieno ab hoc juvene animo esse, majorem in modum Te quaeso atque obtestor, ut, vel mea caussa, injuriae, si quam Tibi fecit, obliviscaris, eum habeas numero Tuorum, confirmesque Tuis consiliis in recta, quam nunc ingressus est, via persequenda. Facit idem rogatu meo Cl. Ernestus, ejusque opera cum maxime

utitur in Ciceronis Codd. Erfurdanis comparandis. Quod scribis, Te Meermanno scriptionum Tuarum fasciculum ad me perferendum dedisse, negat ille quicquam sibi a Te esse commendatum. Iam per tres annos ea, quae Academiae nomine scripsisti, requisivi: nec tamen Tibi molestus esse volui, quod librarii spem fecerunt omnium uno volumine complectendorum.

Ex Reiskiana disciplina nuper in Tuam transiit Schneiderus, quem, praeter bonas literas, doceas velim modestiam et humanitatem. Nihil a longo tempore vidi, in quo plus sit petulantiae et vix ferendae arrogantiae, quam in ejus ad Anthologiam libello.

Valckenarius Tibi pro pulcherrimo munere Virgiliano maximas gratias agit, et Te quam officiosissime salutat.

Vale, Heyni humanissime et jucundissime, et huic tam verbosae epistolae haud paucioribus verbis rescribe. Ego in posterum non committam, ut meum scribendi officium requiras. Dab. Leidae a. d. 23. Ianuar. 1772.

---

## XIII.

## HEYNIO SUO

## DAVID RUHNKENIUS S. P. D.

Cum in eo essem, ut Tibi pro Virgilio gratias agerem, ecce, alio munere, nova Epicteti editione, beor. Profecto mihi ipse displiceo, cum Tu tam multa, cum summa nominis Tui laude, efficias; ego, forte nimia contra me calumnia, cuncter, nec, quo talem liberalitatem remunerer, in promtu habeam. Interea, dum Vellejus meus, paene totus literarum formulis exscriptus, ad Te perfer-

tur, accipe dissertationem de Longino, juvenis cujusdam rogatu a me conscriptam. Alio tempore alia in ipsum Longini textum scripsi, quae diutius, quam vellem, apud Toupium V. C. jacuerunt, nunc Londini cum ejusdem Longino excuduntur. De Virgilio Tuo, Heyni optime, sic judico, ut librum juventuti prisca elegantia imbuendae utiliorem hoc seculo prodiisse negem. Nec quisquam in disciplinam meam traditur, quin a Virgilio Tuo poëtarum legendorum auspicium faciat. Quo magis doleo, Te Horatii simili modo castigandi et interpretandi consilium abjecisse. Cujus rei quae causa sit, nescio. Certe non arbitror, Te ab eo, qui Halae hanc provinciam invasit, deterreri. Salgasius, quo discipulo glorior et amico intimo jam a multis annis utor, cum nuper me inviseret, totum Te in Apollonio esse, ex Tuis literis dixit. Quod etsi mihi gratissimum, sicut debet, accidit, tamen juventutis nostrae causa Horatium Apollonio praeverti vellem, vel certe cum eo conjungi. Non puto Tibi deesse librarios, qui sumtus facere velint. Sed si quid morae est in Germanis, quibus nunc ferme Latini libri sordent, paratos habes Batavos, imprimis Luchtmannos, quos non commissuros scio, ut Te operae in Horatio collocatae poeniteat. Vale, mi suavissime Heyni, et crebrius, quam ab aliquo tempore consuesti, de rebus Tuis ad me perscribe. Amicus communis, Valckenarius Te plurimum salvere jubet. Salgasius, etiam postquam muneri suo renunciavit, summa regis gratia florens, Lausannam abiit, matrem aegrotantem invisurus: inde mense Martio in aulam revertetur, causamque, quam ei mandasti, apud regem accuratissime aget. Dab. Leidae a. d. 2. Novembr. 1776.

---

## XIV.

## HEYNIO SUO

S. P. D.

## DAVID RUHNKENIUS.

Mitto ad Te Vellejum, cura mea, quam ante erat, castigatiorem. Qui si Te tanta voluptate, quanta me Tibullus Tuus, affecerit, uberrimum operae illi navatae fructum mihi cepisse videbor. Sed Tibullus Tuus vehementius apud nos incendit desiderium Horatii non semel a Te promissi. Quas partes si homini idoneo tradidisses, aliquo modo ferendum putarem. Nunc quid exspectari potest ab eo, qui, ut specimen indicat, nihil est, nisi Tui simius. Qui si panem quaerit, non Horatium ineptis notis oneret, sed libros e Francica in Germanicam linguam vertat. Itaque Te iterum rogo, ut consilium, quod olim instituisti, nulla Iani ratione habita, persequaris, praesertim cum unus omnium optime intelligas, citius juventutem Virgilii et Tibulli, quam Horatii, interpretatione carere posse. Sed quid Apollonio fiet? Iam dudum nulla ejus in Tuis ad me literis mentio est. Nec tamen puto, Te ejus edendi consilium abjecisse. Multa praeclare, imprimis ad Scholia, notavit Hemsterhusius, quae, ubi jusseris, Tecum communicabo. Brunckius mihi nuper scripsit, se, ut Gallis Apollonii gustum daret, tertium librum gallice versum edidisse. Ego novam paro editionem epistolarum criticarum, quibus quantivis pretii Hymnus in Cererem Homeri, an Homeridae, nuper ex Moscovia ad me delatus, praemittetur. Hac opera defunctus, ad Platonica nostra redibo; quae, satius fuerat, ante alia omnia proferri. Sed non semper licet, arbitratu nostro rem gerere. Salgasius noster Te plurimum salvere jubet. Is sibi apud nos ma-

trimonio junxit insignem generis splendore divitiisque viduam, ac rationes suas ita instituit, ut alteram anni partem in aula Britannica, alteram in Batavia degat. Valckenarius Tibi pro Tibullo maximas gratias agit, brevi Te remuneraturus nova Theocriti, Bionis et Moschi editione. Vale, mi optime et suavissime Heyni, mihique amorem Tuum conserva. Dab. Leidae a. d. 25 Aug. 1778.

Quis iste est collegarum Tuorum, qui nuper in Novellis vestris (gelehrte Zeitungen) scripsit: *Germanos gratias agere Deo, quod tandem Tulliana eloquentia liberati sint: neque hoc genus eloquentiae seculo nostro philosophico ferri posse.* Num vobis fustes desunt, quibus asinum tam impudentem coërceatis? Atqui talia sub auspiciis Academiae scientiarum eduntur.

---

## XV.

## HEYNIO SUO
## DAVID RUHNKENIUS S. P. D.

Duplici me nomine literae Tuae delectarunt, tum quod pristinum amorem omni ex parte spirabant, tum quod de Apollodoro et Apollonio, quae proxime optabam, nunciabant. Ad Apollodorum castigandum paucas notulas, a Scaligero et Palmerio libri margini adscriptas, Bibliotheca Leidensis suppeditavit. Schedae Swindenianae quo devenerint, heredes nesciunt. Sed hanc jacturam facile pensabunt tres Collationes, quarum Tibi copiam facit Wyttenbachius. In Gudiano Catalogo p. 513. memoratur Apollodorus cum duobus Codd. Vaticanis a Gudio collatus, qui, nescio, an per Schurzfleischium in Bibl. Vimariensem migrarit. Vellem Tibi tantum otii

esset a rebus aliis, ut Scholiastas Graecos cum Apollodoro conferre posses. Nam verissime monuit Swindenus, pleraque mythologica, quae apud illos reperiantur, ex Apollodoro esse derivata. Eundem, quamvis nomine suppresso, saepe etiam descripsit Scholiastes Platonis inditus, v. c. in Timaeum de columnis Herculis, ubi sic scribitur: *ἵστησι μὲν σημεῖα τῆς πορείας. ἐπὶ τῶν ὅρων Εὐρώπης καὶ Λιβύης ἀντιστοίχους δύο στήλας.* Item in Lib. VII. de Legg. ubi fabulam Antaei narrat: *Τοῦτον οὖν ἀράμενος τὸν Ἀνταῖον μετέωρον ἄμμασιν Ἡρακλῆς, κλάσας ἀπέκτεινε· ψαύοντα γὰρ τῆς γῆς, ἰσχυρὸν συνέβαινε γίγνεσθαι* etc. Sed majus, ni fallor, praesidium Tibi paratum erit in Eudociae *Ἰωνιᾷ*, quam cum maxime Venetiis edit Villoisonus, mox daturus Iliadem ab Aristarcho correctam, in cujus praestantia laudanda, quantum ex specimine ad me misso judicare potui, nihil videtur solitae vanitati dedisse. Hymno Homerico, cujus pauca exempla manu quasi emisi, statim accedent duae epistolae criticae, multis partibus locupletiores, quam ante, in quarum primam omnes Emendationes, ex Codice Moscoviensi ductae, conjicientur. Qua de re, si tanti putes, harum literarum studiosos in Novellis verbo monebis. Ceterum ego, ad alia properans, multa in Hymno Homerico sagacitati Tuae restituenda reliqui.

Gervinus noster mihi legendam dedit elegantissimam dissertationem Tuam de Hesiodi Theogonia, quam, dicere non possum, quanta cum voluptate perlegerim. Adeo sensus nostri hac quoque in re conveniunt. Nollem Tibi p. 132. excidissent verba, *Pamphus poëtriae.* Forte haec scribentis animo obversabatur Pamphila, quae Historiam scripsit, quam Corsinus in Fast. Att. marem fecit. Pamphus quidem poëta fuit.

Per aliquot tempus nobiscum versati sunt quinque Hispani, viri literati, praediti ingenio, et plan eamabiles,

in quibus nihil eorum, quae vulgo Hispanis exprobrantur, reperias, Comes de Penna Florida, Marchio de Narvos, Angulo, Bicunha, et omnium doctissimus Izquerda. Qui cum in itinere Germanico Gottingam, et praecipuum ejus ornamentum, Heynium, visere constituerint, etiam atque etiam Te rogo, ut in eos omnia humanitatis officia conferre velis, confirmoque Tibi, Te ex humanissimis illorum moribus fructum esse capturum.

Vale, mi suavissime Heyni, et mihi amorem Tuum conserva. Dab. Lugduni Batavorum d. 15. Maji 1780.

Tres Collationes, quondam in Swindeni gratiam factae, apud eruditos Parisienses haeserunt. Iis Wyttenbachium nostrum, Parisiis versantem, donavit eruditissimus Baro de Sainte Croix; sed certiora ipse Wyttenbachius suis ad Te litteris tradet.

Notaram in charta vacua Apollodori mei nomina eorum, qui hunc scriptorem emendarint. Quae huc transferam, ut Tuus in quaerendo labor minuatur.

Apollodorum saepe corrigunt Meziriacus ad Ovidium, Wesselingius ad Diodorum, Dorvillius ad Charitonem, Abresch ad Aeschylum. Perizon. ad Aelian. V. H. IV. 5. Bentlejus Epist. ad Mill. p. 19. ad Horat. II. Carm. 19. 23. Muncker ad Ovid. Met. p. 482. ed. Burm. Heinsius ad Virgil. Aen. III. 111. Vossius ad Pompon. Melam p. 591. 750. Spanhem. ad Callim. H. in Pallad. 82. Hemsterhus. ad Lucian. T. I. p. 236. 237. 269. 434. ad Aristoph. Plut. p. 113. 367. 372. ad Hesych. T. II. p. 980. 1477. (Hanc enim Hemsterhusii esse annotationem, monui ad Longin. p. 146.) Arnaldus de Diis *Παροίδροις* p. 163. 170. Valckenarius ad Eurip. Phoeniss. p. 628. 733. Diatrib. in Eurip. p. 268. Piersonus Verisim. p. 238. 232. 251. ad Moerid. p. 65. 112. 154. 267. 280. Koenius ad Corinth. p. 34. 71. 235. 244. Oudendorp. ad Thom. M. p. 46. 230.

438. 657. 703. ad Pompon. Mel. p. 992. ad Sueton. p. 38. 398. Duker ad Thucyd. p. 217. Abresch. Dilucc. Thucyd. p. 865. Toupius ad Theocrit. Schol. p. 219. Koppiers. Obs. Philol. p. 47. 102. Lannep. Anim. ad Coluth. p. 114. ad Phalarid. p. 20. 179. 219. 257.

Ipse quoque Apollodorum tentavi ad Callimach. Fragm. 247. item Epist. Crit. II. p. 12. quam correctionem postea occupatam reperi a Davisio ad Cicer. de N. D. III. 19.

---

## XVI.

## HEYNIO SUO

## DAVID RUHNKENIUS S. P. D.

Mitto Tibi, quas periisse putabam, tres Apollodori collationes, unam a Meziriaco, duas a Swindeno factas. Collectanea Swindeniana in Apollodorum mihi non visum est attingere, propterea, quod opera Tua non ad commentarium scribendum, sed ad textum castigandum videtur comparata. Habes igitur totum apparatum Swindenianum, tum, quem ipse quaesiverat, tum quem Bozii et Sallierii benevolentia ex Italia curarat. Qui cum demum post mortem Swindeni Parisios esset allatus, primum haesit in Bibliotheca Bozii, post in Baronis de Sainte Croix et Villoisoni, tandem in Wyttenbachii, Parisiis agentis, manus pervenit. Sed hac de re accuratius ad Te scribet Wyttenbachius noster. Nunc hoc unum vehementer a Te peto atque contendo, ut Philippo Swindeno, *τοῦ μακαρίτου* fratri, et patri praestantissimi philosophi Franckerani, qui primarius in foro Hagiensi causarum patronus est, et in literis nostris minime hospes, maximas pro hoc beneficio gratias agas, neve imitare

Clar. Ernestum, cui cum Cornel. Oudendorpius, excellentis doctrinae Theologus, Collationes quasdam per me misisset, is totum hoc beneficium mihi tribuit, nec ullam Oudendorpii mentionem fecit. Quod mihi majorem, quam ipsi Oudendorpio, attulit molestiam. Apollonii Rhodii editio, quam Brunckius tribus, ut in libris suis gloriatur, mensibus paravit, non Te deterrere debet a nova adornanda. Nec ingenium homini deest, nec Graecae linguae scientia, sed deest justa eruditio, qua tam docti poëtae interpretem instructum esse oportet. Vale, mi optime Heyni, et amorem Tuum mihi conserva. Dab. Leidae a. d. 18. Iun. 1780.

---

## XVII.

## *VIRO AMICISSIMO*

## C. G. HEYNIO

## DAVID RUHNKENIUS S. P. D.

Binas a Te literas, quae singularem veteris amoris significationem habebant, a Te accepi. Quarum posteriori prius respondebo. Fasciculum Moldenhauero inscriptum ego et Gervinus, sicut jusseras, solvimus, et libellos inde depromtos singulis, quibus destinati erant, distribuimus. Vecturae autem pretium quomodo Tibi expensum feram, qui adhuc in aere Tuo sim inde ab auctione Gesneriana? Apollodorum tametsi a Te gratissimum munus habeo, tamen commentarium multo cupidius exspecto. Post hanc castigationem facilis Tibi futura est ratio Scholiastae Apolloniani corrigendi. De Apollonii textu bene meritus est Brunckius noster. Sed idem festinanter inspexit principem Edit. Florentinam. Cujus negligentiae

non unum specimen in secunda Epistolarum Criticarum Editione, quam nunc ad Te mitto, notavi. Quibus addere potuissem ex III. 707. περικάμβαλον. Hanc enim formam non solum Hesychius v. κάμβαλεν agnoscit, sed etiam Ernestus in quibusdam Homeri libris reperit. Vide ejus praefat. ad Homer. p. 6. Apollonii Codex nondum collatus in Bibliotheca Vratislaviensi reperitur. Quem, non dubito, quin elegantissimus Schellerus, qui nuper mihi Orphica ejusdem Bibliothecae contulit, libenter sit in Tuam gratiam excussurus. Forte operae pretium feceris, si, ut ego Callimachum, sic Tu Apollonium cum Nonno compararis. Quamquam ingens taedium devorandum est. Multa ille ex Apollonio manifeste duxit, ut III. p. 90. totum locum de cornice, qui est apud Apollon. III. 931.

Homeri Hymnus, et Epistolarum Crit. retractatio, studium, quod Platonis Scholiastae dicaram, diutius, quam vellem, interpellarunt. Sed in posterum nulla me res facile ab eo divellet. De Arsenii Florilegio, quod Matthaeus ad Te Mosca misit, exspecto, quid statuas. Editum exemplar summae raritatis, quod a Matthaeo adjectum puto, meum est.

Vale, vir eximie, et nunc, Ernesto sublato, unicum literarum in Germania praesidium, et me, ut facis, ama. Dab. Leidae d. 21 Dec. 1782.

---

## XVIII.

*PRAESTANTISSIMO AMICISSIMOQUE VIRO,*

C. G. HEYNIO

DAVID RUHNKENIUS s. d.

Quantam voluptatem ex Apollodoro Tuo ceperim, vix ullis verbis consequi possum. In quo cum acre judicium Tuum exquisitamque doctrinam admiror, tum celeritatem in opere sic conficiendo, ut nullum festinationis vestigium appareat. Una tamen res, ne quid dissimulem, me male habet, quod video, Te acutissimas quasque animadversiones, quas Scholiastae Apollonii illustrando pararas, in Notas ad Apollodorum transtulisse, et sic nobis spem, quam de nova Apollonii editione conceperamus, minuisse. Sed hoc quoque feramus, ἀχνύμενοί περ, modo illam doctrinae praestantiam alteri scriptori, sive Graeco, sive Latino, impertias. Ad haec, quid consilii ceperis, exspecto. Ego, animum Platonicorum lectione subinde fessum recreaturus, levius opus curandum sumsi, id est, Mureti opera omnia ad fidem editionum Aldinarum recensere coepi, adspersis notulis, ubi Muretus, quamvis scriptor unus omnium tersissimus, a vera Latinitatis ratione aberrasse videbatur. Hoc consilium natum est ex offensione, quam mihi novitiorum Criticorum infantia movit. Quibus si Mureti lectionem commendaro, id assequar fortasse, ut, jejunitate ista repudiata, de rebus Criticis paullo disertius elegantiusque loquantur. Vale, vir eximie, et me, ut amas, ama. Dab. Leidae d. 14. Mart. 1784.

## XIX.

*PRAESTANTISSIMO AMICISSIMOQUE VIRO*

C. G. HEYNIO

S. D.

DAVID RUHNKENIUS.

Cum Luchtmannus junior, vir optimus, mihi significasset, se in itinere Germanico Gottingam etiam lustraturum, ei dedi novam Timaei editionem ad Te perferendam, ut dono elegantissimorum opusculorum Academicorum simile donum relatum haberes. Qui si unum mensem differre iter potuisset, Tibi simul attulisset Mureti opera quatuor voluminibus conclusa cum brevi annotatione mea, et Elogium Hemsterhusii cum accessione Epistolae Bentleji ad Hemsterhusium, illi, quam ad Millium scripsit, simillimae. Mureto mandabo, ut Te admoneat de nova Virgilii editione mittenda: qua me adhuc carere, utrique nostrum dedecori est. Nunc totus sum in Scholiis Platonicis castigandis explanandisque, quorum textus jam est impressus. Ea tantisper seposui, dum Timaeum, cujus nova editio a multis, praesertim ab Anglis, expetebatur, retractabam. Ex his omnibus intelliges, studiorum meorum cursum discordiis civium (quae quod ferro Borussico dijudicatae sunt, non conditionibus sanatae, aeternitatem habiturae videntur) iis igitur diligentiam meam nihil esse interpellatam. Te, video, uno omnium ore ad Homerum recensendum vocari. Quod onus, Dii faciant, ut Tibi imponi patiaris. Vale, Vir animo meo carissime, et mihi amorem Tuum conserva. Dab. Leidae d. 24 Iul. 1789.

## XX.

## HEYNIO SUO

S. D.

## DAVID RUHNKENIUS.

Quaerunt curatores nostri, quem P. Nieuwlando, Physices Professori, sufficiant. In hac deliberatione, necesse erat, statim iis occurrere collegam Tuum, Lichtenbergium. Nolunt tamen literas publicas ante ad eum mittere, quam agnorint, an, translatis Leidam Laribus, *philosophiam naturalem et Chemiam* docere velit. Annuum ei stipendium, tria millia Florenorum, decernuntur. Pro sumtibus in itinere faciendis semel mille Florenis solventur. Commoda, e lectionibus privatis et aliunde provenientia, quotannis aequabunt mille Florenos. Te igitur, optime Heyni, rogo quaesoque, ut, nisi grave est, Lichtenbergii animum explores, et quid de his conditionibus sentiat, ad me quam primum perscribas. Alio tempore Tecum de literis nostris agam. Nunc curatores me festinare jubent. Vale. Leidae, d. 6. Iul. 1796.

# EPISTOLAE VARIAE.

## I.

### EXIMIO ERUDITISSIMOQUE VIRO,

### W. F. VAN DER WILP,

S. P. D.

### DAVID RUHNKENIUS.

Etsi nimis audacter facere videor, cum Te, Vir Doctissime, tot tamque variis negotiis distentum literis meis interpello: tamen ab insigni Tua, quam optimus quisque celebrat, humanitate facile me veniam impetraturum confido. Ut vero ratio, quae me ad scribendum impulit, penitus a te intelligatur, rem omnem, quam potero brevissime, exponam. Accidit nuper, ut Ioannes van der Linden, verum librariorum ornamentum, et Daniel Goedval, vir nec ipse laude sua fraudandus, me convenirent, quaeritantes, num rationes meae ita ferrent, ut studiis illustris florentissimique Iuvenis Sixii praeesse possem? Quam quidem conditionem cum cupidissime amplexarer, de laudatorum virorum sententia nihil prius faciendum fuit, quam ut Tibi, Vir Eximie, cui idonei praeceptoris eligendi cura omnis demandata est, qui essem, quave studiorum ratione uterer, bona fide indicarem; ut nimirum Tu ex iis judicium facere possis, repudiandusne sim, an studiis tanti adolescentis praeficiendus? Quamquam, ut verum fatear, vix a pudore, quem mea mihi natura tribuit, impetravi, ut has ad te literas darem. Nescio enim, quomodo animus ab iis proferendis abhorreat, quae cum mea aliqua laude videantur esse conjuncta. Diu igitur tergiversantem vicit tandem obstinata amicorum voluntas, mihique hoc quidquid est literarum extorsit. Atque ut hinc ordiar, scito, Vir Prae-

stantissime, me honestis parentibus in Pomerania Borussica natum esse, iisque in primo aetatis flore eruditum artibus, quibus puerilis aetas impertiri solet *h*). Annum agens sextum decimum, patria valere jussa, in celeberrimas Germaniae Academias me contuli, ibique per quadriennium, et quod excurrit, ita sum versatus, ut nonnihil quidem temporis philosophiae, plurimum vero jurisprudentiae, historiae, et antiquitati tam Graecae, quam Romanae tribuerem *i*). Eodem tempore ad moderanda studia Generosissimi juvenis ab Uffenbach eligebar, quocum aliquanto post, perlustratis nobilissimis Germaniae et Belgii regionibus, in hanc Academiam sum delatus. Ex quo vero ille morte patris conturbatus in patriam remigravit, ego literarum humaniorum dulcedine, et praestantium magistrorum doctrina captus, in Batavia, vera omnis humanitatis nutrice, permanere, ibique fortunam meam, si fieri posset, stabilire, animum induxi. Interea in hac Musarum sede ita literis vacavi, ut et meam auxerim doctrinam, et gratiam apud multos inierim sane quam luculentam. Obtigerunt autem mihi duces auctoresque complures, quos si vel voto fingendi fuissent, neque elegantiores, neque doctiores optare potuissem, in Iurisprudentia quidem Gerlacus Scheltinga, in antiquit. et histor. Fr. Oudendorpius, in Graecis Ioannes Alberti, et inprimis Vir Summus, Tiber. Hemsterhusius, in quo ego colendo patriam mihi constitui pietatem. Horum omnium testimonia mihi non desunt, si haec vel a Te, vel ab ipso Illustri Consule exigantur. Quamquam vix privatis elogiis opus videtur, cum nuper Reverendus Alberti in praefat. ad Hesychium publica me laude dignum putavit. Sed ego profecto ru-

---

*h*) Conf. Vita Ruhnk. p. 6. sqq. *B.*

*i*) Cf. ibid. p. 11 — 16. *B.*

bore suffundor, qui ea de me scribere cogor, quae Tibi magnificentius quam verius dicta videri possunt. Verum prohibeat a me Deus Thrasonum insolentiam, ut prohibet certe. Interim in hac Academia horas subsecivas Constantini Harmenopuli Graeco Promtuario Iuris Romani emendando et illustrando dicavi, invitatus ad id cum MSS. quae Bibliotheca publica asservat, copia, tum vero magni Hemsterhusii mei voluntate. Haec fere sunt, Vir praestantissime, quae ad studiorum meorum rationem pertinent, quaeque Te ignorare nolui. De moribus meis mallem alios judicium ferre, quam me ipsum. Brevi tamen sic habeto, me, fastiditis seculi deliciis, soli mihi et Musis vivere, et cujusvis potius rei laude, quam integritate vitae et candore vere Germanico cuiquam mortalium concedere. Quodsi haec erudiendi Generosissimi Sixii provincia Tua mihi commendationis obtigerit, Te ego tamquam fortunae meae auctorem et amplificatorem numquam non suspiciam, cultuque prosequar sempiterno. Atqui hic finem facerem scribendo, nisi scire cuperem, num forte praesentia mea adjumento mihi esse posset. Quodsi Te ita judicare intellexero, quam primum me in viam dabo. Etiam atque etiam vale, Vir Eximie, mihique benevolentia Tua, qua nemini deesse soles, quaeso, subvenias. Lugd. Batav. d. 30. Dec. MDCCXLV.

---

## II. *)

## *PLURIMUM REVERENDO DOCTISSIMOQUE VIRO,*

## BRANDANO LUDOLPHO RAPHELIO,

### DIVINIORIS VOLUNTATIS INTERPRETI DIGNISSIMO,

S. P. D.

## DAVID RUHNKENIUS.

Ita mihi velim, quae opto, obtingant, ut Tuae me literae incredibili quadam voluptate perfuderunt. Cum enim quaelibet aliae, tantum spei ostendentes, mihi gratissimae fuissent, tum vero hae fuerunt eo acceptiores, quod ab illo profectas esse videbam, ad quem et virtutis paternae, et omnium eorum, quorum nos desiderio tenemur, hereditas pervenit. Tu igitur, Vir venerande, cujus ego eximiam humanitatem quibus verbis collaudem, non invenio, quicquid superest paternarum accessionum, quicquid dissertationum ad Philologiam sacram pertinentium, quicquid denique libellorum tanti auctoris nomine dignorum, ad nos, ut humanissime annuisti, quam primum, quaeso, transmittendum cures. Quibus si imaginem praestantissimi viri adjunxeris, erit, de quo nobis etiam atque etiam gratulemur. Ecquis enim est, qui non vultum ejus videndi noscendique studio efferretur, cujus politissima scripta manibus non tam tenet, quam terit, quemque inter eos, qui aetate nostra sacris literis florentioris Graeciae decus adjecerunt, tantum non principem ponit? Hinc nihil neque bibliopola noster, ne-

*) Has epistolas, ut voluntati meae gratificaretur, humanissime edidit *C. Morgensternius* in progr. acad. Dorpat. a. 1823. omnis generis annotationibus ornatas. *F.*

que dexterrimus hujus regionis artifex intermittet eorum, quae ad effigiem patris Tui scite affabreque exprimendam pertinere videantur. Ipsum quidem annotationum opus, ut, unde digressus sum, redeam, duos in tomos dividetur, quorum altero Annotationes in V. T. et Evangelistas, altero Annotationes in Actus Apostolorum reliquamque partem N. T. continentur. Ut vero nihil omnino in eruditissimi viri scriptis mutare sustinemus; quam Deus insaniam a nobis prohibeat, ut prohibet certe; ita nobis pace Tua, pace etiam, credo, manium τοῦ μακαρίτου, ordinem Annotationum ratione ea, quam subjectum specimen declarat, sumsimus immutandum. Neque id facere ausim arbitrio quodam meo, sed ductus auctoritate et Tiberii Hemsterhusii et Ioannis Alberti, summorum hominum, et in his literis paene divinorum. Neque vero dubitari potest, quin pater Tuus, si omnes eodem tempore Annotationes foras dedisset, eundem sibi ordinem eligendum putasset. *k*) Est profecto cuivis lectori aliquanto accommodatius, quid Herodotus, quid Xenophon, quid Arrianus, quid denique Polybius ad locum aliquem illustrandum contulerit, velut in una tabula obtutu uno contemplari, quam tria volumina, ut disjectas dissipatasque Annotationes conquirat, insigni cum taedio, nec minori temporis jactura excutere et pervolutare. Denique Tu, Vir plurimum venerande, maximopere a nobis rogandus es, ut et vitam patris Tui paulo fusius conscribas, et totum opus luculenta praefatione ornes. *l*) Quae certe praefandi provincia neque mihi,

---

*k*) Prodiit liber notissimus hac inscriptione: *Georg. Raphelii*, Eccles. Luneburg. Superint. annotatt. in S. S. ex Xenoph., Polyb., Arriano et Herodoto collectae etc. Praefatus est *Brand. Lud. Raph. G. F.* Lugd. Bat. 1747. 2. Tom. 8vo. *F.*

*l*) Vita non a filio conscripta, sed ab amico, cui, ut ipse adulationis notam aufugeret, suggessit materiam. *M.*

neque ulli alii, superstite adhuc Te, optimi parentis eruditissimo filio, conveniret. Nos quidem de Te egregia omnia exspectamus, memores illius Horatiani: Et bonis est in juvencis, est in equis patrum virtus. Nosti cetera. Neque illud nos augurium unquam fallet. Sed ut his in rebus et temporis Tui ratio habeatur, et muneris, quod sustines, gravissimi: bibliopola Tibi illud trium mensium spatium, per quod Annotationes prelum exercent, ad vitae historiam praefationemque concinnandam concedit. Si quid interea occurrit, de quo in antelogio admoneri, lectoris refert, id Tibi industrie a me, ut decet, perscribetur. Interim vale, Vir plurimum reverende, nobisque illud praeclare de nobis Graecisque literis merendi studium conserva. Lugduni Batavorum. d. 10. Martii MDCCXLV.

---

## III.

*PLURIMUM REVERENDO DOCTISSIMOQUE VIRO,*

BRAND. LUDOLPH. RAPHELIO

S. D.

DAVID RUHNKENIUS.

Serius aliquanto, quam vellem, literis Tuis respondeo, cum variis, quibus distineor, negotiis, tum maxime itinere aliorsum suscepto impeditus. Nunc cum rursus aliquid otii nactus sim, putavi certiorem Te esse faciendum, non solum praefationem et vitam, sed imaginem etiam parentis Tui recte ad nos pervenisse, neque nulla nos perfudisse voluptate. Inprimis mihi arriserunt ea, quae erudite et eleganter disputas ad illum Iohannis

[III, 13.] locum. Neque est dubium, quin omnium, qui de his rebus judicare possunt, punctum sis laturus. Sed non aegre feres, qua es humanitate, Vir plurimum Venerande, me in ultimo praefationis Tuae paragrapho et nomen meum, quod nimiis laudibus ornasti, delevisse, et alia nonnulla, quae ad rationem editionis nostrae declarandam spectare putavi, mutasse. Equidem tantum studii et industriae in emendandis et digerendis parentis Tui Annotationibus posui, ut, si nomen meum vel in ipsa libri fronte legi paterer, minime impudenter fecisse viderer. Sed scito, hunc a me laborem, non ut ullam inde gloriam aucuparer, sed ut tum animo meo Graecarum literarum amanti, tum etiam precibus bibliopolae obsequerer, esse susceptum. Accessit, quod hanc meam operam non ingratam esse viderim Batavorum Eruditorum longe Principi, Tib. Hemsterhusio, cui omnia mea minima maxima probari cupio. De cujus erga patrem Tuum, τὸν μακαρίτην, studio ego publica, quae in Notis ad Lucianum exstant, testimonia proferre possem, satis tamen, ut credas, erit dixisse, Summum hunc Virum patris Tui, Viri, ut ipse dicere solet, candidi et eruditi, amore captum, non subterfugisse, dum ego abessem, ingratum et fastidii plenum corrigendi laborem. Cum igitur ille in partibus, quas ipse emendavit, diligentiam praestiterit mirificam, nec ego in partibus reliquis minorem, spondeo, hanc editionem tam castigatam esse futuram, ac si ex Stephaniana aliqua aut Elzeviriana officina prodiisset. Poteram primum Annotationum Volumen, cujus nunc tantum titulum mitto, jam integrum ad Te ablegare. Sed, ut sumtibus parcerem, omnia, quae Tibi transmittenda sunt, ad finem Voluminis secundi reservanda duxi; quod ego Mense Mart. aut April. prelum relicturum spero. De Arriani editione, quod doleo, spes fere omnis decollavit. Nimirum Batavia tot

Blancardi et Gronovii editionibus abundat, ut nemo bibliopolarum, quos semper impuros lucripetas esse nosti, ad hunc Auctorem denuo excudendum adduci possit. Vellem mihi ipsi res tam lauta esset domi, ut opus hoc ab heredibus emptum Bibliothecae meae inserere liceret. Fortasse enim alio tempore aliove loco paratiorem offenderem bibliopolam, qui partum ingenii tam elegantem a tenebris, quibus alioquin premitur, sempiternis vindicaret. Ac licet vix ferant rationes meae, offero tamen heredibus nummos tres aureos cum exemplaribus nonnullis, si quando opus typis exscribatur. Tu vero, Vir plurimum Reverende, quid iis videatur, mihi rescribe, et, quod facis, favere perge. *m*) Etiam atque etiam vale. Dabam Lugduni Batavorum. d. 9. Decemb. MDCCXLV.

---

## IV.

## *CLARISSIMO ATQUE ERUDITISSIMO VIRO,*

## L. KULENKAMP

S. P. D.

## DAVID RUHNKENIUS.

Cum saepe constituissem, humanissimis literis Tuis respondere, Tibique gratias agere pro elegantissimis observationibus in Etymolog. M., alia ex aliis negotia mihi scribendi

---

*m*) Haec spectant haud dubie ad librum jam a. 1709 a Raphelio paratum, diu post illius obitum a genero *Conr. Arn. Schmidio* (Colleg. Carol. Brunovic. profess.) in lucem prolatum: „Arriani Nicom. Expedit. Alex. libb. VII. et Hist. Ind. Gr. et Lat. c. annott. et ind. Gr. Amstel. 1757." cf. *Harles* in *Fabric.* B. Gr. Vol. V. p. 98. *M.*

facultatem eripuerunt. Nunc vero aliquid otii nactus, nihil huic literarum officio praevertendum existimavi. Cepisti consilium, vir doctissime, et mihi et omnibus, qui graecas literas amant, longe gratissimum. Nam cum luculentas Suidae et Hesychii editiones habeamus, nihil jam vehementius optamus, quam ut similis editio Etymologici M. prodatur. Verum non aegre feres, quae Tua est humanitas, si de paucis Te libere et candide, ut mea fert consuetudo, admonuero. Video in Te et ingenii et doctrinae satis esse ad provinciam, quam suscepisti, recte administrandam. Sed aliis subsidiis parum mihi instructus videris. Credis Tu quidem, Te in codice Gudiano thesaurum reperisse. At ego vereor, ne inveneris carbones. Equidem mihi videor hac de re eo certius judicare posse, quod et Parisinum Utrajectinumque codicem, apographum, ut recte conjicis, Antwerpiensis, neutrum a Gudiano diversum, accuratissime excusserim, et multis Lexicis MSS. tractandis in utramque partem de Lexicis judicare didicerim. Quicquid bonae frugis in Parisino i. e. Gudiano Codice reperitur, diligenter excerpsi. Quod quantum putas fuisse? Vix duodecim implet paginas in quarti ordinis forma. Reliqua, quae ille liber continet, vix cassa nuce emerim. Fateor quidem, Te multa technica in Etymologo Gudiani codicis ope emendare posse. Sed technicorum emendationes etsi non spernimus, tamen non valde curamus. Quid, quaeso, illud est, quod in Etymologo M. a viris eruditis tantopere expetitur? Profecto non sunt technica ista, sed aurea veterum scriptorum fragmenta, sed exquisitiores quaedam observationes, ex veteribus grammaticis descriptae, quibus dialecti maxime illustrantur. Verum in fragmentis emendandis Te destituet, quem auxiliatorem advocasti, codex Gudianus, quippe non ita multa in eo reperiuntur. Relinquitur ergo, non multum opis exspe-

ctandum esse a cod. Gudiano ad Etymologum redintegrandum. Ego potius Tibi auctor sim, vir praestantissime, ut ad multo certius auxilium, nempe MSStorum ipsius Etymologi, confugias. Vidi in Galliae bibliothecis septem aut octo, longe antiquissima, ex quibus, non dubito, quin Etymologus mille locis emendari et augeri possit. Nec desunt codices in Italia, aut in ipsa Germania Vindobonae et Monaci. Praeterea Tibi comparabis *Orionis Thebani* Etymologicum, quod totum fere, etiam ubi non nominat, operi suo intulit Etymologus M. Ego inde nonnulla excerpsi in usus meos, ejusque specimina dedi in praefatione ad Hesychium. *Hemsterhusio*, *τῷ πάνυ*, cujus acerbissimum Musis obitum nondum eluximus, alterum Observationum Tuarum exemplum, ut jusseras, tradidi. Qui vehementer laudans institutum Tuum, illud unum mirabatur, quod scribis p. 8. *Sylburgii* emendationes saepius vulgari lectione deteriores esse. Nam ille *Sylburgium* criticum tam felicem quam modestum judicabat, et vix quemquam eorum, qui post renatas literas vixerunt, ei Graecae linguae scientia parem ponebat.

Vale, Vir Eruditissime, et de bonis literis, ut coepisti, bene mereri perge. Dab. Leidae a. d. 25. Nov. 1766.

---

V. *)

## CLARISSIMO CANTIO

S. P. D.

## DAVID RUHNKENIUS.

Anni triginta sunt ipsi, cum uterque tetrica illa quidem, sed utili tamen nec poenitenda fanaticorum *n*) disciplina continebamur. Erat tum ea de ingenio Tuo opinio, ut omnes praedicarent, posse Te, si studio nihil intermisso contenderes, ad id, quod in literis summum est, pervenire. Cui tantae exspectationi quid Te satisfecisse dicam, qui illam ita viceris, ut omnium, quos sive patria, sive Germania adeo habet, philosophorum luminibus offecisse videare. Quo mihi fuit gratius et jucundius, ex communi amico, *Wilkesio* *o*) intelligere, mei memoriam, ne post tantum quidem temporis intervallum, apud Te exolevisse. Ego quoque de Te, mi optime Canti, saepe multumque cogitavi, crebrius, mihi crede, cogitaturus, si, quod centies optavi, ingenii Tui monimenta videre potuissem. Verum, quaecunque germanico sermone scripta sunt, raro aut nunquam ad Batavos afferuntur *p*). Teneo librorum Tuorum argumenta e diariis litterariis, et laudibus, quibus ornantur, delector.

---

*) Hanc epistolam edidit *F. Th. Rinkius* in vita *Hemsterhusii* et *Ruhnkenii* a se germanice scripta. Regimont. 1801. p. 267 sqq. *F.*

*n*) Pietismum istorum temporum, quem vocant, dici apparet, admodum versatum illum in scholis Regimontanis. *F.*

*o*) Hic, principum juvenum *Wolkonski* studiis et moribus praefectus, cum alumnis suis iter per Europam faciebat eo tempore. *F.*

*p*) Postea frequentior factus est commeatus. *F.*

At nihil nisi Dissertationem de Evidentia vidi, semel mihi ostensam a peregrinatore Borusso. Omnino vos, qui patria potius, quam communi eruditorum lingua scribendum putatis, parum aut famae vestrae consulitis, aut exterorum utilitati. Audio, Te multum tribuere philosopho Anglorum populo, eique placere malle, quam ceteris gentibus ad humanitatem excultis. Quod facis merito, et me approbante *q*). Quin igitur latine scribis, praesertim cum magnam hujus rei facultatem jam diu consecutus sis, et gens, cui tantopere faves, Te vicissim miretur et in oculis ferat? Batavi tametsi illud philosophiae genus, quod nuper Germania celebravit, fastidiunt velut barbarum et expers elegantiae de priscis fontibus ductae, tamen non dubito, quin libros Tuos, latine scriptos, sint cupidissime lecturi, quippe qui severitatem metaphysicam temperes venusti ingenii lepore et suavitate.

Ceterum ut ego ex praestantissimo *Wilkesio*, in cujus Tu ore habitas, laetus intellexi, quomodo valeres, quam bene rem gereres, quantus amor in Te esset civium, ita Tibi quoque, ni fallor, jucundum futurum est, quae fuerit ante, sitque etiamnunc vitae meae ratio, plane cognoscere.

Relicto Regiomonte, Saxoniam petii, et ibi cum philosophiae, tum literis elegantioribus biennium dedi. Inde in Bataviam profectus sum eo animo, ut, triennio in Academia Leidensi transacto, patrios Lares repeterem. Verum cum hic tales reperissem humaniorum literarum magistros, quales reperiri vix speraveram posse, nec precibus parentum, nec minis poteram ab illorum disciplina divelli. Leidae igitur totos octo annos transegi, nisi quod

---

*q*) Quod ne perperam interpretere, cogites, quo anno haec scripta sint. *F.*

per anni spatium excurri in vicinam Galliam, ut mediocrem doctrinae apparatum, librorum MStorum copiis, quos Parisinae bibliothecae suppeditabant, locupletarem. Cepi tandem fructum diuturni, quod bonis literis impenderam, studii. Nam Leidensis Academiae curatores primum Professionem graecarum literarum extraordinariam, mox Eloquentiae et Historiarum ordinariam ad me detulerunt: cui nuper Bibliothecarii munus accessit. Quid multa? Batavi sua me munificentia tam beatum reddiderunt, ut non solum Pomeraniae meae facile obliviscerer, sed etiam opimam Gesneri provinciam, quae mihi cum novis honorum titulis a Goettingensibus offerebatur, repudiarem. Interea non pauca edidi ad graecas latinasque literas illustrandas comparata, quae laudem aliquam invenerunt apud Batavos et Britannos, jacent fortasse aut ignorantur in Borussia. Nec tamen me totum a philosophia, quam juvenis acerrimo studio sequebar, removi. Verum antiquitatis amor me ad Platonem detulit, in cujus placitis maxime acquiesco, verissimum esse expertus, quod scribit idoneus judex Leibnitius in Epistola quadam ad Huetium: *Doctrina Platonis metaphysica et moralis, quam pauci ex fonte hauriunt, sancta est rectaque, et quae de ideis aeternisque veritatibus habet, admiranda.*

Sed sentio, me longius provehi voluptate Tecum colloquendi. Unum si addidero, finem faciam scribendi.

Legi observationes in N. T. scriptas a Kypkio: qui an sit condiscipulus noster, scire cupio *r*). Is, quorum magna mihi intercedebat aemulatio, praecoci praeditus erat ingenio, et aliquando primas partes habiturus videbatur. At, qui observationes edidit, si quid ego judico,

---

*r*) Recte suspicatus est Ruhnkenius. Mortuus autem est Kypkius a. 1779 lingg. orientt. in acad. Regim. prof. *F.*

vix tenet secundas. De altero commilitone nostro, Porschio, qui versus latinos ad veterum poetarum exemplum mira facilitate fundebat, nihil ex eo tempore audivi, prope ut verear, ne messis in herbis sit intercepta *s*).

Vale, Vir eximie, et Tibi pro certo persuade, Te a me ita observari, ut Tui, quam ego sum, studiosiorem habeas neminem. Tu quoque facies, ut brevi Tuae literae, quae veterem amorem nostrum alant et confirment, ad me perferantur.

Dab. Lugduni Batavorum a. d. 10 Martii 1771.

---

## VI.

## *CLARISSIMO ATQUE ERUDITISSIMO VIRO*

## IACOBO VAN VAASSEN *)

## DAVID RUHNKENIUS S. P. D.

Cum literae Tuae, eruditionis et humanitatis plenissimae, ad me perferebantur, Academicis occupationibus et curis domesticis ita distinebar, ut responsio necessario in aliud tempus a talibus negotiis vacuum differenda videretur. Aliquanto post feriae paschales respondendi

---

*s*) Mortuus a. 1769 parochus eccles. Haberberganae Regimontii, ut annotat *Rinkius*. *F.*

*) Facta hujus Epistolae mentione, Bibl. Crit. P. XI. p. 156, eam judicat Cl. Wyttenbachius *adeo accurate, eleganter, ad hominis, cui scribebatur, admonitionem accommodate prudenterque scriptam, ut in exemplum epistolae hujusmodi commendari possit.* Ceterum, eam cum editis Vaassenii dictis contendi mereri Animadv. ad Fastos Rom. Sacros p. 399 sq., monuit Saxius Onom. Liter. P. VIII. p. 40 — 43., ubi primum edita est. *B.*

facultatem dederunt. Sed ecce! id me agentem aliae a Te literae opprimunt, acerbam lectissimae uxoris mortem nunciantes. Rursus igitur scribendi officium distuli, ne, tam alieno tempore Tecum de communibus literis disputans, Tibi ineptus viderer. Nunc vero, cum et ipse aliquid otii nactus sim, et Te liberiore animo esse sperem, ad singula epistolae Tuae capita, quod dudum faciendum fuerat, rescribam. Quanquam mihi ipse displiceo in eo, quod, in hac prima notitia nostra, mihi necesse est, in alia omnia ire, et conjecturas Tuas convellere. Putas, vir doctissime, parabolam apud Plutarchum tribus locis *t*) ita refingendam esse: *ἐκείνης μὲν* (scil. *λεγούσης*) *ἀσχολίαν καὶ κόπον ἐχούσης πολὺν· αὐτὴν δὲ, παρέχουσαν μετὰ σχολῆς* etc. At pace Tua dixisse liceat, haec barbara aut soloeca oratio est, qualis non dicam a Plutarcho, sed ne a Graeculo quidem Seculi XII. proficisci potuit. Nam syntaxis Graeca postulat *ἔχειν* et *παρέχειν*, non *ἐχούσης* et *παρέχουσαν*. Sed pergis ita, ut dicas, festum diem otio, profestum labori dicatum fuisse. Hic, quid Te in errorem induxerit, video. Diem profestum *ἀκριβῶς* et proprie sumsisti, qui populari ratione intelligendus erat. Est quidem dies, qui festum excipit, si proprie et vere loqui velimus, profestus, sed idem ex populi opinione et voluntate, quam Themistocles in hac parabola secutus est, festus. Festus dies apud Graecos consumebatur sacrificando, adorando, publica pompa, et mille aliis cerimoniis, nihil ut temporis, quod genio dari posset, superesset. Sequebatur *ὑστεραία*, quam Tu, vir eruditissime, fingis, non doces, ab *ἐπιβδαῖς* diversam fuisse. Hic demum ex vulgi opinione dies vere festus erat, quod tum victimarum partibus vesci, ludere, genio indulgere licebat. Etiam vulgus Ba-

*t*) T. II. p. 270, B. 320, E. et T. I. p. 121, B. *B.*

tavum, certe opifices Leidenses, diem, qui Pentecosten e. g. excipit, magis festum habent, quam binos dies praecedentes. Ex quibus liquido apparet, parabolae sententiam a Plutarcho rectissime esse expressam. Omnino praeclarus scriptor est Plutarchus, nec Graecae tantum, sed etiam Romanae antiquitatis peritissimus, in quo tam acerbe reprehendendo, cave, lauream quaeras. Novam ejus editionem, me auctore, suscepit discipulorum meorum optimus, Wyttenbachius, isque mihi affirmavit, se clarissime demonstraturum, plerasque Plutarchi reprehensiones ab inscitia linguae et antiquitatis profectas esse. Offendit, fateor, homo Graecus aliquando in rebus Romanis. Quid miri? cum ipsi Romanorum doctissimi, Varro, Livius, Festus, etc. in patriis rebus interdum errasse deprehendantur.

In *ἐπιβδαῖς*, non negem, aliquid obscuritatis superesse. Sed quod in Etymol. M. reponis *ἐπιδέχεσθαι*, respuit indoles linguae Graecae. Passivum verbum requiritur, non Medium aut Activum. Mihi, re iterum considerata, legendum videtur: *πρὸς ἐπίδοσιν, in auctarium.* Nec quicquam mutandum praeterea. De *ἐπιβδαῖς Ἀπατουρίων* plane sentio cum Kuhnio ad Pollucem, cujus sententia facilior est conciliatione Tua. Aristides Kalendas Ianuarias *ἐπίβδαν* vocavit, quod ille dies, tametsi profestus, tamen a populo ut festus celebratur. De repotiis disputas erudite post N. Heinsium Adversar. p. 611. sed conjecturis conjecturas opponis. In Hesychio pro *παῖδαι* scribis te malle *παλίαι*. Sed hoc nihili vocabulum est, quod viri docti bene ad Hesych. in *ἀπαυλία* mutarunt. In glossis adhuc teneo *ποδοστροφία*, quia nova nupta, ut grammatici dicunt, ad parentes suos redibat. Pro *ἐπίποδα* an Scaliger recte scripserit *ἐπιβδὰ*, nescio. Sed hoc scio, *ἐπιπόματα*, quod a Te reponitur, Graecis inauditum esse. Omnino nullum certius falsae

correctionis argumentum est, quam si quid scriptori inferatur, quod a linguae ratione abhorreat *u*).

Vale, Vir eruditissime, et meum in nonnullis dissensum in meliorem partem accipe. Dab. Leidae a. d. 5. Maji. 1776.

---

## VII.

## *OPTIMO AMICISSIMOQUE VIRO,*

## SAM. MUSGRAVIO

S. P. D.

## DAVID RUHNKENIUS. *)

Recta ad nos perlata sunt Tzetzis Scholia, pro quibus Steenwinkelius maximas Tibi gratias agit, animumque Tibi devinctissimum ducentorum et quinquaginta florenorum dono declarat. Quam pecuniam ubi ab Elmslio petes, velim, eum moneas, ut libris proxime ad Luchtmannos mittendis adjiciat Sydenhami versionem Angliçam Alcibiadis primi. Aliorum Dialogorum versiones habeo has, Hippiae majoris et minoris, Ionis, Symposii,

---

*u*) „Rem, commode feliciterque hac epistola excussam, Ruhnkenius, adjuvante Hemsterhusio, confecerat ad Tim. p. 87 sq. sive Ed. alt. 119 sq. Confer quoque Schol. ad Plat. p. 201 sq. Sed ubinam gentium *viri docti bene ad Hesych.* (*κοῦδαι*) *in ἀπαυλία mutarunt?* In ed. priore Tim. R., quanquam subdubitans, *ἐπιβδαὶ* conjecit, quod in curis posterioribus praeteriit. Quid sibi velit sive venerandus Saxius, seu typographus, plane me nescire fateor. Supra pro *παλίαι* fortasse *παυλίαι* legendum.“ KIDD. *B.*

*) Primum editae sunt duae hae epistolae in *Tyrwhitti* conject. in Aeschyl., Eurip., Aristoph. Oxon. 1822. p. 106 sq. et p. 148. *F.*

Rivalium, Menonis, Alcibiadis secundi. Habeo quoque libellum de doctrina Heracliti. Si quid praeter haec prodierit, id quoque addat. Quod scribis, te mythicae historiae defensionem parare, quaeso, adhibeas duplicem Heynii nostri de simili argumento dissertationem, alteram de fabulis Homeri, alteram de Hesiodi Theogonia, quas reperies in Commentariis Academiae Gottingensis.

Iterum edentur Epistolae meae Criticae, multis partibus locupletiores. In his retractandis me versantem amicus Codice Callimachi donavit. Sed cum ille ob recentioris manus indicium ex editione prima, quam nunquam oculis usurpare licuit, descriptus videatur, Tu, Vir Praestantissime, mea caussa, rarissimam editionem, quae ex Askewiana in Cl. Hunteri Bibliothecam migravit, sex locis inspicies, et, an ejus scriptura cum Codice meo conveniat, mihi indicabis.

H. in Dian. vs. 61. Codex meus hanc quantivis pretii lectionem habet:

*Ἀμβολαδὶς τετύποντες, ἀτειρέα μοχθήσειαν.*

*ἐπεὶ μέγα.* v)

H. in Del. 177, sic; omissis nonnullis verbis:

*Φρούρια καὶ*
*Καὶ πεδία Κρισσαῖα, καὶ ἠπείροιο φάραγγες.*
. . . . . .

Ibid. vs. 200. Codex ita:

*Ἔστης δ' ἐν μεσάτῃσι· κατωκτείρασα δὲ Λητὼ,*
. . . . . .
*Φῦκος ἅπαν κατέφλεξας.*
. . . . . .

H. in Lav. Pall. 136. Codex meus sic legit:

*κορυφὰ Διὸς οὐκ ἐπινεύει*

---

v) A diversa manu sunt voces minoribus litterarum formis impressae. *Ed. Angl.*

*Ἔμπεδον, ὡς δ' οὕτως ᾧ κεν οἷα θυγάτηρ.*

. . . . . .

H. in Cerer. 15. sic:

*Τρὶς δ' ἐπὶ καλλιχόροις χαμάδις ἐκαθίσαο φρητὶ,*

. . . . . .

*Τρὶς δ' ἐπὶ καλλίστην Σικανῶν πόλιν ἤλυθες Ἔναν.*

. . . . . .

*Αὐσταλέα* *.

Ibid. vs. 23. sic: *ὑπερβασίας* *

*Θῆκατο Τριοπίδην ἐχθρὸν καὶ οἰκτρὸν ἰδέσθαι.*

. . . . . .

Toupius nec Velleji, nec Homerici hymni munere provocatus, mihi respondit. Eos libellos nisi per Te misissem, in via periisse crederem.

Cl. Matthaeus nuper haec ad me scripsit: „In Bibl. „Crit. indicata est Dissertatio Thyrwitti de Babrio. Eam „si per Te nancisci possem, esset id mihi longe gratissi„mum. Nam in rusticatione mea nonnulla tetrasticha „Ignatii partim contuli, partim, quia editio mea illis „carebat, exscripsi. Ea sine ista Dissertatione et editione „Neveleti a me commode edi nequeunt. Exscripsi quo„que tum temporis LXIV. fabulas Syntipae Persae, de „quo vide Fabric. Bibl. Gr. Vol. x. p. 339. Fabularum „ejus nondum quisquam, si recte memini, mentionem fe„cit. Graecae factae sunt ex Syrio, a Monacho quodam, „cujus versio ad similitudinem fabularum Aesopiarum „proxime accedit.“ Hactenus Matthaeus, paratus omnia concedere Cl. Thyrwitto, si id ei placere intellexerit.

Vale, vir eximie, et me, ut amas, ama. Valckenarius et Allamandus Te plurimum salutant. Salgasius nunc nobiscum est, sub finem hujus mensis ad vos transiturus. Dab. Leidae, d. 9. Iul. 1780.

## VIII.

## *VIRO PRAESTANTISSIMO,*

## THOMAE TYRWHITT

S. P. D.

## DAVID RUHNKENIUS.

Non tam diu, quantam mihi voluptatem libellus a Te missus attulerit, Tibi significare distulissem, nisi Te ex eodem genere remunerare statuissem. Mitto igitur ad Te novam Hymni Homerici editionem, una cum Epistolis Criticis, altero tanto auctioribus. De libello de Lapidibus quam praeclare meritus sis, tanto minus nunc dicere attinet, quod in Bibliothecae Criticae parte, proxime edenda, publice de eo sententiam dicam, emendationibus quibusdam, quae Tuum acumen forte fugerunt, adspersis. Illa, quam dixi, Bibliotheca Amstelodami editur a discipulis meis. Quorum judicium interdum rego judicio meo, rarissime tamen censuras a me conscriptas interponens, nisi forte liber aliquis, qualis Tuus est, sua me elegantia ad talem scriptionem invitarit. Tu, Vir eximie, quid nunc agas, scire discupio. Utinam illam ingenii sollertiam conferas ad Stobaeum edendum. Quod consilium, me auctore, a Gisberto Koenio susceptum mors immatura turbavit. Profecto nullus Graecus scriptor est, in quo industria Tua, majore cum fructu, versari possit. Nuper ego ex Italicis bibliothecis tale Stobaei Supplementum accepi, quale adhuc latere, nemo eruditorum suspicatus erat. Neque enim tenue est, aut paucarum paginarum, sed implet centum et sexaginta paginas in quarti ordinis forma. Alia supplementa, Eclogarum praesertim Physicarum, sunt in Bibl. Leidensi et Augustana. Quae cujus generis sint, jam cognosti ex

Notitia, quam I. C. Wolfius in Observationibus Miscellaneis dedit. Vides, tantam materiae copiam esse, ut non labor fabro desit, sed faber labori. Vale, Vir praestantissime, et me, ut facis, ama. Dab. Lugd. Batav. d. 9. Ianuar. 1783. Exemplar Tuo adjectum, nisi grave est, ad Cl. Toupium perferendum curabis.

---

## IX.

## *ERUDITISSIMO VIRO,*

## IO. HENR. VOSSIO

S. P. D.

## DAVID RUHNKENIUS.

Obstupui, literis Tuis lectis, et statim Matthaei apographum, quod forte conservaram, evolvi, ut, eiusne an mea negligentia tot versus essent omissi, viderem. Inspecto apographo, patuit virum doctissimum, dum ut mihi gratificaretur, nimis festinabat, in tam grave ἀβλέπτημα incidisse. Iam meae me editionis ita poenitet pudetque, ut illa statim alia locupletiore paranda ex hominum memoria delere constituerim. Quo consilio, hoc ipso die clarissimum Matthaei per literas rogavi, ut editionem meam cum veteri codice anxia diligentia comparet, varietates notet, et versus temere elapsos restituat. Atque ut nova editio, praeter illos versus, aliam quoque commendationem habeat, faciam, quod multorum convicia me facere cogunt, id est, versionem Latinam textui graeco adjungam. Cujus conficiendae molestiam utinam Tu, qui tanta cum laude in Homero vertendo versaris, suscipere velles. Ego certe tot aliis occupationibus disti-

neor, ut huic rei vacare non possim. Quid sis facturus, velim mihi quam primum rescribas. De Emendationibus Tuis, in quibus maxime mihi placet ὁσίης ἐπέβη, alias agemus. Quod reliquum est, vehementer gaudeo, mihi per hanc occasionem notitiam Tecum esse contractam, et abs Te etiam atque etiam peto, ut me de omnibus rebus Tuis erudias, ubi natus sis, quibus magistris usus, quid edere pares. Ego, si quis alius hac aetate, omni genere instrumentorum, quae ad Graecos Latinosque scriptores expoliendos pertineant, abundo, et libenter talibus viris, qualem Te cognovi, copias meas impertior. Sed Tu me certiorem facies, quo genere maxime delecteris. Vale. Dab. Lugd. Batavor. d. 28. Aug. 1780.

---

## X.

## DAV. RUHNKENIO
## IO. HENR. VOSSIUS.

Incredibilem cepi, Vir gravissime, ex literis Tuis laetitiam, quod ardorem meum, in obtrudendo Tibi, quem sero resciturus ex clarissimo Matthaei videbaris, nuncio de omissis in Homerico Hymno versibus, adeo non displicuisse Tibi cognovi, ut singulari eum comitate et benignitate exceperis. Quasi enim Tua notitia digni hominis, de rebus meis doceri cupis; et quo minus blandiri tam amica curiositate videaris, thesauros mihi eruditionis Tuae ac scientiae recludis, et defers munus conficiendae versionis latinae, quam graeco carmini novis curis a Te expolito subjungas. Tali Tuo erga me studio non possum non morem gerere, quamvis levia sane relaturus.

Patria mihi est Penzlinum, oppidulum Megalopolitanum, in vicinia Strelitii, sed Suerinensi imperio subjectum. Bello afflicti parentes officinae me destinaverant. Precibus tamen efflagitavi, ut annos quindecim natus, A. C. 1766, in scholam latinam, quae Neobrandenburgi floret, missus humaniorum artium jacerem fundamenta. Nactus hic magistrum, qui, inculcatis N. T. pericopis, Graeco sermoni abunde se satisfecisse arbitrabatur, proprio Marte scriptores profanorum sub nomine rejectos (tanto eorum desiderio exarseram!) conatus sum; et, quem primum fortuna obtulerat, libellum de puerorum educatione, mox etiam Hesiodi ἔργα καὶ ἡμέρας, ingenti labore superavi. Post triennium exactum, progressuro in studiis cum nummi deessent, equitis cujusdam rustici liberis erudiendis alterum fere triennium locavi. Iam vero carminibus, quibus morae taedium lenire solebam, viro humanissimo Bojio, Gottingae tum degenti, innotui, cujus demum opera strenuam effugere contigit inertiam. Severiorum Pieridum sedes me ineunte vere A. 1772 excepit: ubi mox et Heynii me magisterio, et instructissimae bibliothecae opibus, utcunque potuerim, usum esse, dictu non opus est. Ex primis quidem scholis, per tirocinii infirmitatem, minime parem profusae et Grammaticam dedignanti doctrinae, haud magnum percipere fructum licuit. Audacior paulatim virum clarissimum, oblata carminum aliquot Pindaricorum versione teutonica, ad edendum Pindarum nobisque enarrandum instigavi. Quam sane copiosiorem mihi messem laeto animo recordor. Seminarii philologici sodalibus adscripto disputationes, quibus veterum Pindari enarratorum vel recte vel subtiliter saltem dicta contra Heynii tentationes modeste defendenda susceperam, velut spicilegium fuerunt Pindarici proventus. Inter talia biennium elapsum erat, cum gravis me morbus corripe-

ret, ut per integrum annum domesticis solum studiis et medici praeceptis vacarem. Quo jubente, caeli mutandi causa, Vandesbekam me contuli, qui vicus est ad Hamburgum. Victum praebebat Anthologia poëtica, Musarum calendarium appellata. Quid rides? Astronomorum tabellis genealogias principum, nundinarum indices, praecepta de re rustica, de curando corpore, de cimicibus fugandis, liceat subjungere, versiculos ad hilaritatem honestam compositos non liceat? Anno 1777 in matrimonium duxi sororem amici, qui Gottingam me vocaverat; et sequenti anno scholae Otterndorpiensis regendae munus delatum, meliora sperans, suscepi. En satis Tibi historiarum: quas tamen, qualescunque sint, Tibi soli narrasse velim.

Rogas, vir optime, quid edere parem. Elaborata, aut inchoata potius, mihi est Odysseae versio teutonica, cum commentariis, quibus, quae ad veteris Graeciae mores et artes et religiones et somnia de terrae caelique ambitu spectant, illustrare studio omni enixus sum. Grammaticas subtilitates, quas ab aliis vel neglectas vel male tractatas observavi, latino sermone separatim exponere satius duxi. Consilium de nova editione Odysseae, et subsidiorum penuria, et conscientia infirmitatis meae, et magna ejus, quam Villoisonius melioribus auspiciis parat, exspectatio, animo excusserunt.

Nisi tanto a me intervallo disjunctus sis, haud impune feras imprudentiam aperiendi mihi thesauros Tuos doctrinae tam copiosos atque exquisitos. Iam contentus ero, si Te salutandi nonnunquam per literas, et de rebus meis consulendi, potestas dabitur.

Versionis, quam desideras, conficiendae non molestiam, sed honorem, libenter arripio. Quam ut et Te editore, et me quoque, si tamen ingenii fruges aliquas in posterum promittere videor, haud plane indignam ef-

ficiam, omni, quam rei scholasticae obeundae intentio reliquerit, animi alacritate et diligentia curabo. Vale, vir optime, et mihi fave. Otterndorpii, d. 28. Sept. 1780.

---

## XI.

## DAVIDES RUHNKENIUS. *)

Nondum ausus sum, ullius eruditi Pomerani, qui quidem adhuc lucem adspiciat, Vitam in hoc Diario prodere: quum vero Celeberrimus Ruhnkenius, Professor in Academia Lugduno-Batava, res vitae suae praecipuas, manu sua perscriptas, flagitanti mihi tradiderit; tanto majore cum fiducia mihi licet, hujus civis nostratis, qui Pomeraniae nostrae tantum decoris conciliat, notitiam cum aequalibus meis communicare.

Doctiss. Pilati Vol. II. Epistt. de rebus Hollandiae, p. 177. sequentem de eo prodidit animadversionem: „Academia Lugduno-Batava etiam nunc duos habet Pro„fessores, qui iisdem ingenii dotibus, at majoribus sub„sidiis, eodem universe pulcri amore, at subtiliori sin„gularum venustatum sensu, vestigia magnorum duumvi„rorum sequuntur, *Gronovii* et *Iusti Lipsii*, qui olim

---

*) Hanc Vitae notationem, Latine a Ruhnkenio conscriptam, Germanice a se versam, literas ad se datas, Latine, ut erant, edidit Hakenius, teste Cl. Wyttenb. in Vit. Ruhnk. p. 177. Pars illa Analectorum Pomeranorum reperta inter nonnullas Wyttenbachii schedas, Biblioth. Lugduno-Batavae emtione comparatas, beneficio V. Cl. van Voorst ad nos pervenit. Hakenii autem Germanica Latina fecimus; quae quamquam cum Ruhnkenii exquisita Latinitate nullo modo comparanda, attamen Literarum studiosis gratiora futura speramus, quam si librum, totum ad Veterum elegantiam compositum, externa barbaris conspurcassemus. *B.*

„in eadem Academia humaniores Literas docuerunt, iis-„demque cathedris impositi fuerunt; *Valckenaerium*, „dico, et *Ruhnkenium*." Ex quibus sane judicare licet, hunc dignissimum esse, qui propius noscatur.

Priusquam vero ad ea, quae de eo dicenda habeo, accedam; memorabiles Literas, quas vitae suae Notitiae adjunxerat, praemittere lubet.

PLURIMUM REVERENDO ET DOCTISSIMO VIRO
CHR. GUIL. HAKEN
S. P. D.
DAVID RUHNKENIUS.

Iamdudum humanissimis literis tuis respondissem, nisi nautas Dantiscanos aut Pomeranos, quorum fidei libellos ad Te expeditos committerem, exspectandos putassem. Verum cum nulli ab aliquo tempore Amstelodamum venerint, aut, si venerint, notitiam meam effugerint, libros quidem plures, quos petiisti, alia occasione ad Te mittam, scribendi vero officium non patiar diutius a Te requiri. Quod scribis, Te ingenium et doctrinam ad res Pomeraniae illustrandas contulisse, dicere vix possum quam gratum id mihi acciderit. Adhuc ille ager incultus jacet. Nec quidquam in hoc genere erudite scriptum vidi praeter Schurzfleischii Origines Pomeraniae, quae sunt in ejus operibus historicis. Haec bonorum historicorum penuria facit, ut ego, quamvis et Pomeranus et historiae universalis Professor, nullius tamen gentis historiam minus teneam, quam patriae meae. Quandoquidem vero Tibi, Vir praestantissime, placet me quoque in eruditis Pomeranis recensere; vitae meae narrationem, sed breviter strictimque scriptam, adjeci. Neque enim aut eorum, qui nunc sunt, aut posterorum, interest omnia minutiora scire. Haec tamen si cui non

sufficiant ad me totum cognoscendum, is reliqua petat e libris meis.

Vale, Vir plurimum reverende, et quid rerum agas ad me subinde perscribe. De me sic Tibi persuadeas, non esse hominem ad omnia officiorum genera paratiorem, et talium virorum, qualis Tu es, amantiorem.

Dab. Lugduni Batavorum d. 4. Nov. 1780.

Hae Literae necessario optima quaeque de generosa et praestanti Viri, cujus nunc mentionem facturus sum, indole sperare jubent.

David Ruhnkenius hac ipsa in urbe Stolpa, ut scribit, honestissimis parentibus ortus est. Prima disciplinarum elementa, propter certas quasdam propinquorum necessitudines, non in Stolpensi, sed in Schlavensi schola percepit, duce ejusdem Rectore Kniephofio, qui postea per multos annos pari cum laude sua et discipulorum utilitate Coslinensi praefuit scholae.

Exinde Regiomontium in Collegium Fridericianum delatus, decursis ejus spatiis a. 1741, consilium coepit Goettingam adeundi, Gesneri maxime fama impulsus. Igitur per Pomeraniam iter faciens, ac per breve tempus apud parentes commoratus, Berolinum proficiscitur ad ea omnia, quaecunque in illa Regia sede visu digna essent, suis [ipse] oculis spectanda. Antea vero quam Academiam Goettingensem adiret, cepit eum visendae Witebergae desiderium, ut *Bergeri* ac *Ritteri* notitiam sibi compararet. Vix autem horum duumvirorum, qui civitati eruditae tanto fuerunt ornamento, notitia sibi contracta, conciliata item sibi arctissima *Ioannis Augusti Ernesti* amicitia, adeo ipsi placuit Witeberga, ut, misso Goettingam adeundi consilio, illius Academiam sibi praeferendam duceret. Literae Latinae, Antiquitas Romana, Historia Universalis et Ius Civile, omnia Witebergae quam optime tradebantur: solae penitus jacebant

Graecae Literae, quarum tamen ardentissimo desiderio tenebatur doctus juvenis. Relictâ igitur Germania, a. 1744. Lugduno-Batavum proficiscitur eo consilio, ut, duce *Tiberio Hemsterhusio*, suam discendi cupiditatem per aliquot annos satiaret; quaeque praeterea desiderabat, in hac Academia reperit, Historiae et Iuris Civilis Doctores, vera seculi sui ornamenta. In primis diligenter uti solebat ejusdem urbis Bibliothecae divitiis, unde factum est, ut Celeberrimo D. Ioanni Alberti in edendo Hesychio operam suam et auxilium praestaret; atque adeo, mortuo Alberto, opus ipse suo Marte absolveret, cujus alterum volumen a. 1766. ex ejus manibus exiit.

Anno 1755. in Galliam sese contulit, et integrum annum Lutetiae Parisiorum transegit, ad Bibliothecam Regiam perscrutandam, partim ut, quae in unaquaque disciplina scitu dignissima sunt, ex hoc thesauro sibi excerperet, partim ut vetustissimos scriptores cum Codicibus Mss. conferret.

Tot tantisque doctrinae divitiis onustus, in Belgium rediit: dum interea magister ejus et alter pater Hemsterhusius, probe perspecta ejus praestantia, a Curatoribus Academiae continuo et sine ulla interniissione petierat, ut sibi, longius aetate profecto, Ruhnkenius in docendi munere adjungeretur. Sic factum est, ut crearetur Professor extraordinarius, sive potius Lector docendis Graecis Literis.

Porro per quatuor annorum spatium, pari et sua laude et studiosae juventutis emolumento, hac statione quam fieri poterat diligentissime functo, post obitum *Francisci Oudendorpii*, delata est ei ordinaria Historiarum et Eloquentiae Professio; nec non a. 1774 Praefectura Bibliothecae Publicae Lugduno-Batavae.

Latissime dispersa Ruhnkenii fama motus Ampliss. Munchusius, eum in Gesneri locum Goettingam evocavit:

ipse ab Academia Leidensi relinquenda, quam maxime alienus, satis habuit Curatoribus commendare celeberrimum Heynium; cui haec provincia prosperrimo successu demandata est.

A. 1763. matrimonium iniit cum mercatoris Amstelodamensis filia, *Maria Heirmann* w), quod conjugium duabus carissimis filiabus, *Elisabetha* et *Maria*, beatum voluit Deus O. M.

Scripta, quae nomen ejus commendent, sunt sequentia:

1. Diss. H. de Galla Placidia Augusta. Vitemb. 1743. 4.
2. Epistolae criticae in Homerum, Hesiodum, Callimachum, et Apollonium Rhodium 1749—1751. 8.
3. Thalelaei, Theodori, Stephani, Cyrilli, Commentarii in Tit. D. et Cod. de postulando sive de Advocatis et Procuratoribus. Gr. et Lat. Hagae Comitum 1752. fol.
4. Timaei Sophistae Lexicon vocum Platonicarum cum animadv. Lugd. B. 1754. 8.
5. Orat. de Graecia, artium et doctrinarum inventrice Lugd. B. 1757. 4.
6. Orat. de Doctore umbratico, publice dicta in Academia Lugduno Batava d. XXI. Septr. 1761. quum ordinariam Historiar. et Eloquentiae professionem auspicaretur. Lugd. Bat. 1761. 4.
7. Hesychii Pars altera. Lugd. Bat. 1766. fol.
8. P. Rutilius Lupus de figuris sententiarum et elocutionis libri duo c. n. Accedunt Aquilae Romani et Iulii Rufiniani de eod. arg. libri. Lugd. B. 1768. 8.
9. Elogium T. Hemsterhusii. Lugd. B. 1768. 8.
10. Notae in Xenophontem adjectae sunt editioni Ernestinae. Lips. 1772. 8.

---

w) Paulo aliter Wyttenbachius scripsit *Heirmans*, Vit. Ruhnk. p. 119. *B.*

11. Vellejus Paterculus. Lugd. Bat. 1779. 8.
12. Notae in Longinum adjectae sunt editioni Toupianae. Oxonii. 1779. 4.
13. Homeri Hymnus in Cererem. Lugd. Bat. 1780. 8.

Sub ejus quoque praesidio juvenis quidam *Petrus Ioannes Schardam*, Sparendamo Batavus, ab ipso conscriptam *Dissertationem de vita et scriptis Longini* publice defendit. Quae omnia eruditissimi nostratis scripta, quanquam Viri late patentem Linguarum scientiam, accuratam Antiquitatis notitiam, judicii maturitatem, infinitam fere lectionem, et indefessam diligentiam, summopere testantur; tamen in patria nostra notiora non sunt, quam suae ipse patriae Ruhnkenius notus est: quam ob rem operae pretium duxi, eorum notationem, in laudem ipsius, Anal. nostris Pomer. inserere. Plurium etiam, qui adhuc vivunt, eruditorum Stolpensium similes Notitias dare, in posterum fortasse mihi licebit. H.

---

## XII.

## *ERUDITISSIMO*

## H. BOSSCHA

S. D.

## DAVID RUHNKENIUS. *)

Quandoquidem, me auctore, Eutropium ornare instituisti, indicabo Tibi fontem, a ceteris interpretibus neglectum, ex quo, ni fallor, aliquot emendationes vel explicationes in Eutropium derives. Intelligis, me signi-

*) Hanc epistolam nobiscum communicavit filius natu maximus, Petrus Bosscha, Professor Daventriensis: Eutropii illa editio prodiit a. 1792. Erat autem H. Bosscha tunc temporis Rector Gymnasii Harderovicenii. *B.*

ficare Capitonis, Lycii, Metaphrasin Eutropii, Versionem Paeanii antiquiorem elegantioremque, de quo vide Suidam v. *Καπίτων*. Eam ne forte in deperditis habeas, scito, bonam partem superesse apud Io. Antiochenum in Excerptis Peirescianis, ut Valesius vidit, et apud Suidam, ut Kusterus ad v. *Ἀμύσσειν* et v. *Ἀφηλιανός* indicavit. Alia hujus versionis fragmenta, sed velut in transgressu, contulit Sylburgius ad Paeanium p. 589. His de causis, operae pretium te facturum arbitror, si, toto Suida perlecto, Capitonis fragmenta, quae ex argumento cognoscere facile est, cum Eutropii textu compararis. Quod idem de Antiocheno dictum sit.

Capito non multum post Eutropium vixit, certe ante Stephanum Byzantinum, a quo laudatur.

Vale, vir egregie. Leidae, d. 28. Jul. 1790.

---

## XIII.

## RUHNKENII EPISTOLA AD F. TH. RINKIUM DATA.

Accepi literas Tuas, omni humanitate refertas, scriptasque multo elegantius, quam putaram *x*). Ex quo satis

*x*) *Frid. Theod. Rinckius*, qui a. 1821 obiit acad. Regimont. theol. prof., ut *Schultensium* orientis litteras docentem audiret Leidam profectus est a. 1786 multamque cum Ruhnkenio habuit familiaritatem. Cujus rei testimonium exhibuit in libro: *Tib. Hemsterhuys* und *Dav. Ruhnken*. Biographischer Abriss ihres Lebens. Regim. 1801. Nam non ad verbum vertit, quae Ruhnkenius et Wyttenbachius scripsissent, sed liberius usus est multaque scitu digna et auditu jucunda admiscuit ex suis copiis. *F.*

mihi perspexisse videor, Te, consilii mei memorem, assidue in Ciceronis, Livii, et similium lectione versari.

Iani morte an bonae literae magnam jacturam fecerint, nescio. Maximam certe fecit librarius Lipsiensis, qui ejus Horatium redemerat. Quanquam non dubito, quin brevi alius ex ventosa ista Aestheticorum natione exorturus sit, qui reliquam partem hoc novo more perficiat, id est, nulla aut mediocri utriusque linguae scientia, nulla exquisitioris eruditionis copia, nulla denique Critices usu, super locis, quos non intelligit, philosophetur, et circulatoria vanitate jactet, se demum totum et singularum partium ad totum rationem (le plan d'ouvrage) quae scilicet Casaubonos, Gronovios, Bentlejos fefellerat, planissime demonstraturum. Tales veterum scriptorum interpretes cum nunc in Germania vigeant, non mirum est, Editiones a Batavis et Britannis curatas, paucos, ut scribis, emtores apud vos reperire.

Vale, vir egregie, et mihi amorem Tuum conserva.

Dabam Leidae. d. 25. Febr. 1791.

---

Musicus, quem mihi commendasti *y*), tametsi, tempore, ut puto, exclusus, me non adiit, literas tamen Tuas per alium misit. Id filia mea, Musices, ut nosti, studiosa, factum nollet, praesertim cum audivisset, eum in concentu musico Amstelodamensi ita placuisse, ut Abbati Voglero *z*), at cui viro! par poneretur.

Quantum in bene scribendo profeceris, indicio mihi fuit praefatio Tua *a*), in qua perpauca, quae limam postulant, reperiuntur. Perge igitur, ut facis, stili exerci-

---

*y*) Is fuit clarissimus vir *Häslerus*. *R.*

*z*) Hunc Ruhnkenius, musicae artis amantissimus, ipse praesentem cognorat. *R.*

*a*) Rinkius e codd. biblioth. Leidens. ediderat: *Abulfedae tabul. geogr. et al. ejusd. argum. specim.* Lips. 1791. *F.*

tationem cum Ciceronis et aliorum veterum lectione conjungere.

Nondum potui literas Tuas Schultensio nostro reddere. Is enim, animi recreandi caussa, cum aliquot amicis in Palatinatum excurrit.

Vellem pluribus Tecum de bonis literis agere. Sed peregrinatores me interpellant. Vale, Vir Doct. et mihi amorem Tuum conserva. Leidae. d. 11. Novembr. 1791.

---

## XIV.

*VIRO AMPLISSIMO, EIDEMQUE ERUDITISSIMO,*

B. P. VAN WESELE SCHOLTEN

S. P. D.

DAVID RUHNKENIUS.

Pergratum mihi accidit, quod ex literis tuis, pari et humanitate et elegantia scriptis, intellexi, gymnasii Delphensis curam potissimum ad te pertinere. Facile enim video, quantum praesidii discipulis meis in Te, tantae tam praestantis doctrinae viro, sit futurum. Quo magis doleo, nunc neminem unum, qui ad illud munus vocari possit, apud nos reperiri. Nam alii nondum ad maturitatem pervenerunt, alii, diutius in hoc curriculo versati, evolare altius cupiunt, nec facile adducuntur, ut se in ima subsellia demittant, praesertim cum vulgo ita comparatum sit, ut bajulus aut operarius plus mercedis ferat, quam Grammaticus, pueris Alpha et Beta cantans. Vale, Vir Amplissime, et mihi, quod facis, fave. Dab. Leidae, d. 2. Febr. 1792.

---

## XV.

## *VIRO ILLUSTRI*

## IOS. DE RETZER

S. P. D.

## DAVID RUHNKENIUS.

Etsi praeclara opera, quam *Balbo*, ex inferis ad vitam revocato, navasti, omnibus venerum Latinarum studiosis gratissima accidit, nemini tamen gratior, quam mihi, ejusdem laboris in *Mureto* edendo socio et consorti. Quo majores Tibi gratias pro munere pulcherrimo ago, et me Tibi plane devinctum esse fateor. In carminum Balbinorum lectione cum me multa vitia, quae ex superioribus Edd. in hanc novam, Te invito, irrepserant, non mediocriter turbarent, librum legendum et corrigendum dedi *Laurentio Santenio*, cui haec aetas vix parem habet in Latinis poëtis tractandis. Sic natae sunt exquisitissimae in Balbum animadversiones, quas, mea sententia, recte feceris, si ad communem utilitatem protuleris, et, tanquam appendicem, Balbi operibus subjeceris. Video quidem plerosque errores in fine Tomi II. esse sublatos. Sed Santenianae correctiones doctrinam habent utilem futuris poëtis. Vale, vir illustris, et quod facis, litteras nostras ornare perge. Dab. Lugd. Bat. d. 20. Iul. 1792. *b*).

---

*b*) Eandem Epistolam ex ed. operum *Hier. Balbi* a *Retzero* curata, una cum Santenii illis Animadversionibus, repetiit C. D. Beckius, in Commentariis cocietatis Philologicae Lipsiensis, Vol. II. p. 145 sq. Vid. Wyttenbachii Bibl. Crit. P. XI. p. 136. *B.*

## XVI.

## *VIRO CELEBERRIMO*

## I. G. SCHNEIDER S. D.

## DAVID RUHNKENIUS.

Recte Heerenius noster meam Tibi facilitatem praedixit. Quae, cum de bonis liberis juvandis agitur, non solum notis, amicisque, sed illis etiam, qui alienum a me animum ostenderunt, libentissime gratificatur; sed apparatus Gronovianus non totus, ut ille putabat, in Bibliothecam Leidensem migravit. Illo enim thesauro publice distracto, melior quidem ejus pars Bibliothecae Leidensi vindicata est, multa tamen, ut fit, aliis animose licitantibus, relinquenda fuerunt. Quicquid nobis obvenit, ad scriptores R. R. pertinens, in cistula, quae per cursorem publicum ad Fritschium perferetur, conditum reperies. Sunt autem haec:

1. Cato ex edit. Popmae a I. F. Gronovio collatus cum MS. regio.
2. Cato ex edit. Commelini cum MS. collatus ab eodem.
3. Cato et Varro cum Notis Abr. Gronovii.
4. Columella cum Notis I. F. et Abr. Gronovii.
5. Excerpta Palladii ex Cod. Leidensi manu I. F. Gronovii.
6. Palladius cum MS. collatus ab Abr. Gronovio.

Nicandrea Gronoviana juvenis eruditus e nostratibus sibi edenda sumsit. Exemplum Alexipharmacorum lima tua perpolitorum, quod singularis humanitas Tua mihi destinavit, nondum accepi; nec mitti opus est, nam ut primum ejus copia fieri coepit, sit a me comparatum. Vale, vir egregie, et Gronoviana, ubi ea descripseris, per eundem Fritschium ad nos remitte. Dab. Leidae d. 13. Sept. 1792.

## XVII.

*VIRO PRAESTANTISSIMO*

I. G. SCHNEIDER S. P. D.

DAVID RUHNKENIUS.

Quo tempore literis humanissime scriptis a me petebas, ut Vegetii Leidensis, qui primum Petri Servatii, post Is. Vossii fuit, notitiam tecum communicarem, multae occupationes mihi facultatem studiis Tuis serviendi eripiebant. In his angustiis negotium dedi Viro eruditissimo, mihique amicissimo, Laurentio Santenio, ut codicem inspiceret et, quid boni ei inesset, ad me referret. Respondit, esse apographum, a. 1537 factum, Codicis MS. Monasterii Corbejensis Coloniae, apud S. Pantalem depositi, atque adeo hujus apographi variantes, sub litera C notatas in editione Gesneriana reperiri. Pauca tamen, non magni momenti habet, in ea editione praetermissa, quae Santenius in schedula adjecta descripsit.

Vale, Vir eximie, et brevitati literarum ignosce. Leidae, d. 2. Maji 1793.

---

## XVIII.

*PRAESTANTISSIMO AMICISSIMOQUE VIRO,*

HIERONYMO DE BOSCH

S. P. D.

DAVID RUHNKENIUS.

Quo saepius optavi, ut nos Grotiana versione beares, eo magis et mihi et tibi gratulor de Editione feliciter instituta.

Utinam aut mihi Amstelodamum, aut tibi Leidam excurrere liceret, ut hac de re consilia inter nos communicaremus. Quod per literas agere et longum et molestum est, praesertim mihi, cujus digitos arthritis debilitavit. Ex elegantissima Descriptione tua intellexi, te existimare, Anthologiae exemplum, Sylburgii manu notatum, ex Burmanniana Bibliotheca in Leidensem migrasse, aut certe Codicis Palatini variantes penes me esse. Nihil minus. Olim quidem Leidae apud Lennepium vidi Apographum Salmasii emendationum ad Editionem Aldinam, quod etiam codicis Palatini lectiones continebat, diversum ab eo, quo Brunckius usus est. Sed quo illud post Lennepii mortem pervenerit, nescio. Credo tamen, per Wassenbergium indagari posse. Omnino permagni refert, eas lectiones iterum ad textum constituendum adhiberi, praesertim cum Brunckius hac in re licentius grassatus sit, nec alias lectiones, nisi quas ipse probasset, commemorarit. Quid? si, proxeneta usus Santenio, eruditissimum Chardon de la Rochette adeas, ab eoque petas insignem, quem collegit, apparatum in Anthologiam, sicut ille olim a te petiit versionem Grotianam. Neque enim dubito, quin in tantis patriae turbis arma potius, quam Anthologiam, tractet.

Vale, vir egregie, et Wyttenbachium saluta.

Leidae, die 9 Martii, 1793. *c*)

---

*c*) Meminit hujus Epistolae, quae exstat in Anthologia Gr. Boschiana Vol. IV. praef. p. 1 sq. Cl. Wyttenbachius in censura hujus libri Philom. L. II. p. 205 sq. Boschii animadversiones, utpote ab h. l. alieniores, nullo lectorum damno praetermitti posse censuimus. *B.*

## XIX.

## *VIRO PRAESTANTISSIMO*
## FR. A. WOLFIO

## DAVID RUHNKENIUS S. D.

Quanti summum ingenium Tuum et parem ingenio doctrinam faciam, testem habes Spaldingium nostrum, quicum, dum Leidae versabatur, tam frequens mihi de Te sermo erat, ut facile intelligeret, me nullo in nomine libentius acquiescere. Postea quoque, non ignorans quam parce et tenuiter Professores Halenses habeantur, de Te in Bataviam traducendo cogitavi: quod consilium ne nunc quidem rebus turbatis muto, si id Tibi non displicuisse intellexero. Quae cum ita sint, quaeres, cur tribus, ut scribis, epistolis Tuis et donis adeo provocatus, ne semel quidem responderim. Ad haec accipe. Epistolae istae una cum libris interciderunt; unus antehac ad me pervenit Demosthenes Tuus cum litteris humanissimis. Sed is eo mihi tempore reddebatur, quo articulari morbo sive chiragra laborabam: quod morbi genus mihi, quamvis animo et corpore vigenti, saepe molestum est, et studia mea, praesertim in quibus dextrae celeritate opus est, vehementer retardat. Cum igitur ipse litteras pingere non possem, mandavi discipulorum meorum optimo, Wyttenbachio, ut Tibi gratias meis verbis ageret, et, quantopere mihi Demosthenes Tuus placuisset, significaret. Qui si id facere neglexit, defuit officio. Iam quid animi mihi fuisse censes ad conspectum Homeri tui cum tam honorifica nominis mei inscriptione? Profecto miratus sum indulgentiam et humanitatem Tuam, qui ne sic quidem, quod jure facere potueras, mei amorem abjecisses, cujus constantiae ne Te poeniteat, omni studiorum et officiorum genere, quantum in me erit, cu-

rabo. Prolegomena Tua semel iterumque perlegi, captus tum exquisitae doctrinae copia, tum criseos historicae subtilitate. De disputatione autem adversus antiquitatem artis scriptoriae, accidit mihi fere, quod illi Platonis Phaedonem legenti: dum lego librum, assentior; cum posui librum, prope omnis assensio illa elabitur. Sed hac de quaestione alias.

Academicam dissertationem, cujus mentionem facis, Tuam *d*) de Antimacho nondum vidi. Quam si quando retractatam libelli forma proferre velis, relegam Tua gratia grammaticos meos ineditos, ut inde Tibi fragmenta quaedam excerpam.

Platonis Scholiastes vereor ne exspectationem Tuam fallat. Non affert ille eruditionem eam, quam Aristophanis aut Apollonii Rhodii, sed quam Pindari aut Nicandri.

In posterum si quid librorum ad me mittere voles, nemini rectius eos commiseris quam Weidmanno, librario Lipsiensi: alia via missi pereunt, ut nuper Demosthenes Spaldingii; id quod ei quaeso significes.

---

